
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
12
30


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
55
11 A
1
ROMA


12
8
6
4-5


HERCVLES
MEDICVS
WOLF. HOFERI.
M.D.

Ad

HERCULEM MEDICUM.

SI non Morbosos sanant Medicamina, Ferrum
Arripe; sin frustra, Pharmacon Ignis erit.
Hæc tria nî possint Ægris adferre salutem,
Amphitryoniadis robur inane cadet.



HERCULES MEDICUS,

Sive

LOCORUM COMMUNIUM LIBER:

in quo plerorumq; humani corporis Affectuum Curationes attinguntur, &, quicquid in iis vel Theorico, vel Practico consideratione dignum, compendiosè pertractatur: ex probatissimis Autoribus laborioso studio collectus, propriisque Observationibus & Experientiâ confirmatus & illustratus

à

WOLFGANGO HÖFERO: Phil. & Med. Doctore, ac Sac. Cæs. Majestat. Aulæ Medico:

Nunc denuò ex Autoris autographo recognitus, locisq; innumeris auctus, nec non Consiliis aliquot, ac sub finem annexâ etiam Ipsi olim

MEDICATIONUM FAMILIARIUM

farragine locupletatus, ac





Cum speciali Sacr. Cæs. Majestat. Privilegio.

NORIBERGÆ,
Sumtibus Michaël. & Johan. Friderici Endterorum:
Anno M DC LXXV.

REVERENDISSIMIS ET AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ET ILLUSTRISSIMIS DOMINIS, DOMINIS ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, ET NOBILISSIMIS, DOMINIS

INFERIORIS ET SUPERIORIS PROVINCIÆ AUSTRIACÆ DYNASTIS ET PROCERIBUS,

Dominis, Dominis ſuis & Patronis longè gratioſiſſimis, & ſumma Veneratione reſpiciendis,

Salutem, & Corporis Sanitatem.

ANnus decimus octavus jam præteriit, quo, Veſtrâ gratiâ & ſtipendio, MAGNATES ILLUSTRISSIMI, conductus, Inferioris primùm, dein Superioris Auſtriæ Medicus apellari dignatus ſum. Et quamvis, ad Aulam Cæſaream acceſſurus, paucis ab hinc annis, Functionem à Veſtro gratioſiſſimo affectu mihi concreditam, ex multorum judicio, forſitan præmaturè depoſui: re-

 veren-

verentiam tamen erga Vos, & summam, quâ jure astringor, obligationem æternùm mihi reservavi. Sit pignoris loco, quod pridem statuere debuissem, & tandem exequor, munusculum hoc chartaceum, sat citò, si sat bene, ad manus Vestras devolutum. Non auderet illud Heroum pulsare fores, nisi præsentiret, apud Humanitatem Vestram nemini aditum patere liberaliùs, quàm Libris, & Liberalibus Doctrinis. Prodeat, si quæ est, scientiarum unica, & conqueratur, se à Vestris laribus, LITERATISSIMI PROCERES, repulsam esse. Nullus hîc locus est grandi Idiotæ Licinio, etiam Cæsaris nomen vel ab hoc indignissimè adepto, quòd tanto literarum odio exarsit, ut, plus quàm saxea mente, literas virus & pestem publicam pronunciârit. Sapientiùs verò plerique alii Cæsares, & rerum Moderatores, literas non tantùm non proscripserunt, sed ipsi iisdem pulcherrimè exornari, & Regna sua per easdem potissimùm stabiliri sategerunt. Quorum exemplum Illustrissima Vestra Ingenia ita imitari video, ut nullum supersit liberalioris doctrinæ genus, quo AUSTRIACA NOBILITAS non condecoretur. De SS. quidem Theologia hoc loco vel minimum ambigere, tot Reverendissimorum

Præla-

Prælatorum, & Doctorum, Orbi conteſtata prohibet eruditio. Juris prudentiæ verò ſtudium non tam per Veſtra Conſilia, & Directiones, tot annorum ſerie ſtabilita Tribunalia commendant, quàm Auguſtisſimorum Cæſarum, & Archiducum Aulæ, excellentiam admirantur. Artis Medicæ notitiam, & amorem, Vobis, ILLUSTRISSIMI STATUS, nō tam cordi eſſe, quàm prænominatas ſcientias, ferè mihi perſuaſiſſem, niſi Bibliothecas Medicas complures hiſce oculis perſpicere, & colloquiis Veſtris, de re Medica, doctisſimis ſæpeſæpius licuiſſet delectari. Taceo, Veſtris impenſis, MECAENATES LIBERALISSMI, pro ſalubritate publica, Medicos bis octo ſuſtentari. Philoſophia tandem Illuſtrisſimas Domos Veſtras, DYNASTÆ AUSTRIACI, ſic nobilitat, ut neſciam, an cujuslibet privata habitatio Athenæum; an verò utraq; Provincia Academica Univerſitas, juſtiùs appellari posſit ac debeat. Unica, quam Philoſophia ſubminiſtrat, morum & affectuum moderatrix, Ethica, ut alias Philoſophantium Diſciplinas, brevitatis ſtudio, non attingam, quantum Virtutes Veſtras Orbi hactenus, præ omnibus aliis Nationibus, commendaverit, hîc prædicare, vetat modeſtia. His itaq; inſtructus argumentis, prope-

properat libellus meus, & ad Vestram gratiam supplex admitti desiderat; non ignarus, quantâ fiducia Auctorem suum olim susceperitis; quantis insuper beneficiis, præter ordinariam & justam stipendii persolutionem, extra debitum, gratiosissimè ipsum sitis prosecuti. Et quia præcipuas comparandæ Praxis Medicæ occasiones, & in hoc opere sparsim notatas Observationes, Patria Vestra, PATRES MAGNIFICI, suppeditavit; non decebat, partam labore prolem alieno solo committere: ne (quod liberis peregrinum lac sugentibus non rarò evenire solet) degener, ad tantos Heroes jure pertinens, fœtus efficeretur. Hunc proinde, tot obligatus Nominibus, NOMINI VESTRO sacratum volo. Quòd si Tutelam ipsius, in mei singularem gratiam, non detrectaveritis, sanitati Vestræ, Vestrorumq;, summo in terris bono, & tuendæ, & procurandæ, accommodatissimum, & unà mecum Vestro Imperio obsequentissimum experiemini,

Reverendissimorum & Amplissimorum, Excellentissimorum, & Illustrissimorum, Illustrium, Generos. & Nobilissimorum utriusq; Austriæ Dynastarum & Procerum

Servus humillimus & Obligatissimus,

Wolfgangus Höfer, D.

Præfatio

Ad Literatum Lectorem.



QUantum intersit Literato, ordinem, sive quandam methodum, in studiis observare, omnes norunt, qui doctrinæ alicujus soliditatem affectant: hoc est, qui, in certa quadam arte, non tam pro honesta sustentatione, quàm pro Divino honore, & proximi adjumento, sibi proposita, si non præ omnibus, saltem præ multis, cupiunt excellere. *Nihil certè magis ingenia, aliàs satis liberalia & solertia, fatigat, quàm nulla Temporis distributio, confusa Auctorum lectio, nulla Librorum selectio.* Non talem perturbatam studiorum normam me edocuit Pater meus, *Wolfgangus Höferus*, in celeberrimo & florentissimo Ingolstadiensium Athenæo Medicus, Doctor & Professor, triginta tribus Annis, cujus honesta fama, & recordatio, inter Germaniæ & Italiæ literatos nondum obliterata est. Doctrinâ itaq;, & exemplo, & adhortatione optimi Parentis ductus, satis maturè *selectioribus libris, & certa studendi methodo* assuevi: quod

huc usque, pro ratione tamen occupationum mea-rum, soleo continuare. Sit, exempli gratia, Medico futuro, quin & præsenti quoque, utut exercitato & seni, *Hyems* destinata pro *studio Anatomico* & *Chirurgico*; *Æstas* pro *Botanico* & *Pharmaceutico*; *Ver*, & *matutinum tempus*, pro *exercitiis Theoricis*; *Autumnus*, & *vespertinum*, pro *Practicis* &c. An non omnia tempori sic conveniunt, ut studia, quantúmvis ardua, cum maxima tamen voluptate, & animi promptitudine, ex svavissimis Musarum fontibus, sine nausea, sine perturbatione, hauriantur? Sed non sufficit hæc, pro artium liberalium jucundiore captatione, constituta *temporis ordinatio*: *librorum* quoque huc spectat, jam commemorata, *selectio*; ne, si promiscuè quoslibet evolvamus, non solùm magnam temporis jacturam, sed & ingenii confusionem, & memoriæ detrimentum patiamur. Velim itaque, paucis, & probarioribus libris operam dares: &, si librorum copia ultrò, sine expensis, fortè ex hæreditate, vel dono, adsit, suaderem, ut, cum Petrarcha, libros non quidem abjiceres, sed sequestrares. Utendum enim melioribus, & iis sedulo repetita lectione inhærendum. Nunquid desiderio Tuo satisfactum existimes, si, quos doctrinæ excellentia Orbi commendavit, eorum assidua lectione, tuisq; studiis, factus scil. laudabilis æmulator, assequaris? Sufficiat,

Ordo Studiorum.

si,

ſi, in *Theoria*, *Sennerto*; in *Praxi*, *Horſtio*; in *Anatomicis*, *Laurentio*; in Chirurgicis, *Guilhelmo Fabricio Hildano*; in Botanicis, doctiſſimo *Bauhino*; in Chymicis, laborioſiſſimo *Hartmanno* &c. quos omnes noſtri ſeculi clariſſimos Anteſignanos eſſe conſtat, æqualem te effeceris. Ut autem memoriæ labili, & varietate negotiorum nonnunquam diſtractæ, ſuccurras, & nucleum, quod ajunt, detracto cortice, tibi aſſerves: quæ notatu digna ſunt, & nondum prorſus cognita, vel aſſveta videntur, ad *Locos Communes*, Librum, in hunc finem ſeparatim & ſtudio comparatum, tranſcribe; & ille *Compendii*, vel *Promptuarii* loco erit, ut, quando à Bibliotheca longiùs abes, in caſibus difficilioribus, ubi vel dignotio & prænotio morbi obſcurior, vel auxilium, ſive materia Medica, in promtu non eſt, ad eum accedere, &, quidquid inde in rem tuam quadrat, perſpicaci judicio eruere, & applicare poſſis. Atq; hæc ſtudiorum ratio ut perquam facilis & jucunda, ſic te plurimùm apud omnes commendabit, nec pœnitebit unquam ſuſcepti laboris, tam fructuoſi, quàm ad perfectiora ſtudia comparanda planè neceſſarii. Quod equidem, per plures annos, experientiâ certum eſſe, non tantùm comprobavi; ſed, ut aliis etiam omnibus rei veritas manifeſtè innoteſcat, hoc, quod vides, *Locorum communium* ſpecimẽ, quaſi Idæam

ad imitandum, publicæ censuræ, luci & utilitati, à nemine quidem rogatus, Germano tamen ductus animi candore, lubens commisi, & sic *omnibus prodesse, nulli nocere* studui.

Tituli ratio. Ubi imprimis, ut spero, Lector in limine non offendetur, neque *Herculis* clavem ferream, nec facem, timebit, *Hydræ* tantùm monstrosæ ferientem capita, in Lerneæ paludis voragine mox suffocandam. Ut enim Hercules, leoninâ pelle horridus, bestiam intrepidam ne loco quidem movit, multò minùs domuit, donec & ferro & igne eam aggressus est; sic Morborum Hercules, *Medicus*, si per Medicamenta, vel solo aspectu horrida, *Morbos*, Hydræ capita, nec amputat, nec expellit, Ferrum & Ignem admovet: juxta aph. Hippocratis, quem Interjectum vocat & interpretatur Ant. Musa Brasavol. *Quæ medicamenta non sanant, ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ignis sanat; quæ verò ignis non sanat, insanabilia sunt æstimanda.* Sunt formidandi *Medici*, fateor, sed non, nisi juratis suis hostibus, *Morbis.* Sic formidandus *Hercules*, non bonis & salubribus, sed malevolis & virulentis.

Methodi defectus, *Alterum*, quod occurrit in hoc opere, forsitan *Doctrinæ* aptiorem *Methodum* concernit. Sed noveris, me *Eclogarium* esse, & *Locorum communium* nomen & rationem (sicut & Aphoristica Hippocratis doctrina) strictam

ſtrictam Methodum non admittere. Plurima enim annotata ad plures aliquando titulos, & tractandi materiam ſpectant; unde multa vel faſtidiosè repeti deberent, vel ſuis locis primariis relinqui. Nihilominus tamen, ut *humanum corpus* in *Caput*, *Thoracem*, *Ventrem*, & *Artus* communiter dividitur; ſic *primis Quatuor Libris* ea, quæ ad has partes ſpectare videntur, ordine pertractavimus. His Libris *Quintum*, de *Affectibus Cutaneis*, & *Externis*, atteximus. Pro more etiam Auctorum, de *Febribus*, Librum *Sextum*, &, de *Mulierum* & *Infantium morbis*, Librum *Septimum* ſeparatim conſcripſimus; tandemq́; , pro complemento *Tomi primi*, Librum *Octavum*, *Varia* pertractantem, ſubjunximus. In quibus omnibus, quod Methodo perfectæ deeſt, ſubſtratus *Index*, cum vocabulis in *Margine* poſitis ad amuſſim conveniens, adimplebit, & erit rerum & verborum Magiſter optimus. Enumeratio.

Nec te, pro *Tertio*, amice Lector, perturbet *Operis imperfectio*, quam ipſe ego, unà Tecum, agnoſco. Multa, non nego, omiſi, quæ ad Scholas pertinent: plura etiam præſuppoſui, Medicum jam ſcire, quàm huc congeſſi; quia nunquam erat hæc publicandi animus: pro meæ ſolius indolis, & memoriæ adjumento, quæ mihi placuêre, collegi. Interim qualicunque hoc Opere contentus ſis, rogo; quo, præter Dei glo- Operis imperfectio.

riam, ac Medicorum & Ægrotorum utilitatem & salutem, lucri nihil unquam desideravi.

Eloquendi genus.

Quartò, si dicendi genus spectaveris, animadvertes, me, nudæ perspicuitatis gratiâ, medium retinuisse. Ne enim Librum *Lotichianis Querqueris, & Absentivationibus* conspurcare, neque *Freitagianis sesqui-pedalibus verbis*, quæ jure carpit, tanquam ad Medicum non pertinentia, cum *Scaligero, Sennertus*, grandi supercilio exornare placuit. Multò magis detestor modernam, scribendi dicam, an decipiendi, obscuritatem, quâ Philosophicum imprimis & Medicum studium turpissimè prostituitur. Et tales quidem Disciplinæ tali afficiuntur injuriâ, quæ suâpte natura, sine sophismate, sine fuco, maximè doceri postulant: nî difficultates, quas habent, plurimas, novis sententiarum & dictionum ineptissimarum involucris multiplicare, &, ne à solertissimo quocunque ingenio artes capiantur, studiosè, vel potiùs malitiosè, velis efficere. Ut autem perversum istud docendi genus, nihil Christiani amoris, nihil Germani candoris, nihil doctrinæ solidioris, præ se fert; sic callidè, ad tegendas mille contradictiones & ineptias, scientiæ talis divulgatores peregrinis & planè absurdis vocabulis utuntur: & ne fallaciarum venduli à viris doctis tam facilè arguantur & confundantur, terminos suæ artis vel in omnem formam,

Philosophia & Medicina nova inutilis, & noxia.

Vide Sennertum de Conf. & Diss.

Proteo

Proteo magis variegatam, torquent, vel ambiguis definitionibus & circumſcriptionibus ſcripta ſua obſcurant, finguntq; ſibi Philoſophiā novam, pro cujuslibet ingenii & libidinis proprio argumento. Hinc in ſcenam prodeunt *Archæi*, proſcripto *Spiritu*, *Calore nativo*, & ipsâ deniq; *Natura*: hinc exurgit & furit *Gas* & *Blas*, & magnum illud monſtrum *Magnale*, ad pacatam humilitatem depreſſis, tanquam *Rellolaceis*, qualitatibus, cum omnibus temperamentis: hinc (prô! res Orco digniſſimas) *Eveſtrum* ſub concavo Lunæ oberrat, & *Homuncio*, etiam ſeparatâ animâ à corpore; hinc *Meluſinæ*, & *Undenæ* familiares & ſerviles, nonnunquam etiam virtutum præceptrices fiunt mortalibus, ipſis Cacodæmonibus horribiliores. Viden', Chriſtiane Lector, quousque ingenia hominum pervertantur! Toleranda forſitan & ridenda hæc eſſent deliramenta, niſi implicarent, & in pernicioſos errores ſecum raperent, res majoris momenti. Quid, per Deum immortalem! ſpectat tractatio de Deo, de SS. Trinitate, de bonis & malis Angelis, ad artem Medicam? Nimirum, ut, dum tales videri volunt Divinitatis contemplatores, Sapientiæ filii, Arcanorum naturæ ſcrutatores, Univerſalis Medicinæ revelatores, fiant (aliquando præter intentionem) in ſuis ſcriptis impii, in Deum & Angelos blasphemi, Athei, ſtultitiæ & vanitatis ſoboles, naturæ

Vide Quercetanū Rediv. per Schrœder. divulgat, cap. de Angelis. Vide præfationē Crollii ipſo libro prolixiorem, & vide, quid Medico inde diſcendum?

naturæ ſimiæ, Medicinæ everſores. Et certè, ſi libros ab hoc hominum genere conſcriptos, ſine omni affectu ſiniſtro, quis attentè legerit, omnes omnino, in hoc convenire, deprehendet, ut, quando eorum ſcripta ad uſum Medicinæ Practicæ applicanda eſſent; vel in deſcriptis candidiorum Auctorum, & nobis quoque familiariter cognitis medicamentis ſubſiſtendum, vel obſcuritati eorum prorſus inutili, & utinam non aliquando noxiæ, acquieſcendum ſit. Hic Arcanum ſuum ſuper aurum & gemmas commendat, cujus compoſitionem cum tantâ fallaciâ, nonnunquam integro Libro, ſæpius quamplurimis foliis, deſcribit, ut dubium ſit, an ille ipſe Auctor, quid ſcripſerit, intelligat. Quemadmodum etiam Poëtæ quidam noſtro hoc ſeculo tales verſus cudunt, quos ſine Commentario, quem Clavem vocant, nemo, niſi Faber ipſe, explicaverit. Alter, dum materiâ Medica efficaci deſtituitur, cum ſuſpirio exoptat, tanquam ad curandos omnes morbos, unicam Panaceam, *Arcanum corallium Theophraſti*. Tertius divinum illud *Alkaeſt Helmontii*, nec divinando captabile, in extremis votis habet. Sic, dum exoptant talia, & bene precantur ſuis votis & ſuſpiriis ægrotantibus, quid aliud promerentur, quàm vota reciproca, & ſinceriorum hominum preces, ut, relegatis deceptionibus, & pernicioſis figmentis, tandem reſipi-

Poëſis obſcura.

Vide libell. Saturnia Regna dictum f. 90.

resipiscant, &, si quid profundioris doctrinæ, vel efficacioris Medicinæ habent, in publicum, exemplo ducti Clarissimorum Virorum, sincerâ mente proferant. Et hæc, ex justa animi indignatione, contra scientiarum corruptores dicta sufficiant.

Pro *quintò* admonendus es, erudite Lector, hunc laborem meum, præterquam, quòd ad Praxin quotidianam non sit inutilis, etiam ideò congestum esse, ut plurimorũ symptomatũ & causarum rationes & causas, in compendio haberes, & memoriæ servares, ex tempore, si rogatus fueris, proferendas; quarum potissimas *annexus Index* demonstrabit. Nihil enim magis scientiam prodit Medici, quàm expedita rationum & causarum allegatio. Vulgus quidem, sine data ratione, cur hoc vel illud fiat, curationem admittit: aliter verò Personæ Illustres, Nobiles, Literatæ, & Prudentes, curari postulant, quæ ad minutissima quæque respondendum, eaq; & enodandum, Medicum solicitant: sin is non appositè, vel saltem probabiliter respondeat, pro Idiota jure habent & inglorium dimittunt. Quòd si in omnibus responsis ad Quæstiones propositas *Hercules* meus tibi non satisfecerit, majorem illo, in similibus, & ex Philosophicis quidem fundamentis, fusè & ex professo tractatis, & explicatis, difficultatibus videbis; &, utinam brevì, Magnificum & Excellentissimum Virum, Libri utilitas.

Dominum *Joannem Conradum Wechler*. Sac. Cæs. Majestatis Personæ Medicum &c.

Scriptorum Autoritas.

Sextò: Ut ad docendum, & persuadendum, rationes congruæ apud Ægrotos plurimum valent, & Medico famam bonam conciliant; ita eandem auget cognita Scriptorum auctoritas. Propterea etsi medicamenta hîc descripta, si non omnia, saltem pleraq; in mea viginti trium annorum Praxi probata reperèrim; malui tamen sæpius primævis suis Auctoribus, quàm meæ qualiquali Experientiæ illa adscribere. His *Exempla* & *historias* annexi, quibus dictorum veritatem, pro tertio & efficacissimo probationis argumento, demonstrarem.

Doctrina Chirurgica.

Septimò: Plurima inserui *Chirurgica*, ut Doctores Medici sciant, partem hanc Medicinæ nobilissimam etiam ipsis deberi, & ad se spectare; quam in magnis Civitatibus plerumque negligunt, nimium confidentes Balneatoribus & Chirurgis: qui propterea, quòd sciant, Medicos plerosq; vulneribus consolidandis, luxationibus reponendis, ossibus ferruminandis, minùs intentos esse, ipsos ad Ægrotantes vel omnino non admittunt, vel præsentes clanculum, quasi rerum ignaros, irrident & despiciunt: interim, pro lubitu, ad pauca respicientes, miseros Patientes sæpissime torquent, & aliquando vel tardissimè curant, vel nō curatos deserunt.

Deniq;

Denique Materiæ cuilibet debitos subjunxi *Aphorismos Hippocratis*, ut ad manus statim essent, non ignarus, quantum auctoritatis & scientiæ habeant in Consultationibus Medicis, & ea imprimis parte, qua de morbi eventu statuendum est judicium. Magnam certè admirationem, & nescio quid divinitatis, parit Medico, accurata Prognostici elocutio, vel sola sufficiens, ut Medicum fortunatiorem reddat. Aphoristica.

Atq; hæc sunt, de quibus, *studiose Lector*, debuisti priùs admoneri, quàm ad lectionem & usum hujus libri accesseris. Si meus iste labor placuerit, mihi de suscepto gratulabor, Tibiq; *Usum Fructum*, quasi jus alienis rebus utendi fruendiq;, salva tamen rerum substantia, quam iniquiores æstimatores forsitan usurparent, libenter cedam, & minimè invidebo. Vale.

Riolanus, *fol. 152.* ex Flavio Albino ait, fructum legendi eum esse, ut quis æmuletur, quæ in aliis probat: &, quæ maximè in aliarum scriptis miratur, in aliquem usum proprium, opportunâ derivatione, convertat. Librorum Lectio.



PROSOPOGRAPHIA

HÖFERORUM:

MEDICORUM,

Patris: & filii.

HÖFERI, Nobiles à Lobenſtein, Curiâ Variſcorum oriundi, Neoſtadium ad Orilam domo migrarunt. Hinc dicti ſunt die Höfer: ſicut Beatus Rhenanus, ab oppido relicto & mutato, dictus eſt: teſte Panthaleone, de Viris Illuſtribus, parte tertiâ, pag. 112.

E Nobili hâc familiâ prognatus

WOLFGANGUS Senior, Medic. Doct.

Lucem hanc primùm aſpexit ipſis Calend. Octobris, A. C. Sexageſimo nono, ſupra milleſimum & quingenteſimum.

Hic, poſtquam Scholas triviales in *Patriâ* abſolviſſet, atq; in ipſo ſingularis eluxiſſet in-
1188. doles, & ingenii ad majora nati vis, *Lipſiam* à Parentibus miſſus, uberioris capeſſendæ eruditionis gratiâ, ubi ſolerti & indefeſſo ſtudio, brevi tam exactam Philoſophiæ Ariſtotelicæ acquiſivit peritiam,

ac

ac Diſputatoriis tàm privatis, quàm publicis Exercitiis talem ſe præſtitit, ut dignus fuerit habitus, cui Veneranda Facultas Philoſophica non primam ſolùm honorum Philoſophicorum Lauream, quam *Baccalaureatum* vocant, ſed & alterum Gradum, *Magiſterii* ſcili[cet] ſolenni ritu tribueret. 1590. 6. Cal. Apr. 1592. 8. Cal. Febr.

Ex quo tempore nullatenus prætermiſit Philoſophico ſtudio ulteriùs inhærere, Medicum inſimul huic jungens, dum diſputationes *de Vitâ longâ*, nec non de 1599. *Animæ immortalitate*, pro Loco, uti moris eſt, publicæ disquiſitioni propoſitas adeò maſculè defendit, ut ejus gratiâ & novi *Collegii Lipſienſ. Curator*, & inclytæ *Facultatis Philoſophicæ Adjunctus* merito ſuo denominatus 1599. fuerit.

Verùm cùm non uno ſemper loco hærendum ſibi judicaſſet, *Peregrinationibus* etiam tempus locavit, & *Zittaviam, Luſatiam, Bohemiam, Galliæ* nonnullas partes, *Italiamq;* peragravit: quâ perluſtratâ, in Athenæo *Patavino* (famâ celebritateq; iſtius Academiæ excitus, quæ tum temporis ubique locorum radios ſui nominis tanquam Sol lumen ſuum, longè lateq; diffundebat,) aliquandiu perſiſtere præſumpſit; ubi quoque

Mitra *Doctorali* ſummo applauſu inſignitus, ac, 1603. 2. Maij. eodem anno, in Germaniam reverſus, *Salisburgi* ab ArchiEpiſcopo, Senatuq; Civico, certo ſalario, *Phyſicus Ordinarius* conſtitutus fuit.

 Hinc

Hinc,

1606. *Freisingam* vocatus, ab Eminentissimo Coloniensi Archi-Episcopo; ipso die Fortunati, appulit, & Aulæ & Civitatis Medici munere functurus; ubi etiam, Deo

1607. volente, anno sequenti *Matrimonio* sibi junxit honestissimam Virginem, *Mariam Claram*, Viri Nobilis, *Marquardi Johannis*, Judicis Freisingensis, filiam: ex qua *Liberos* suscepit undecim; filios nempe quatuor, & septem filias.

Magnâ autem fide, dexteritate, & sedulitate, Wolfgangum nostrum muneri commisso præfuisse, hinc liquet, quòd Serenissimus Dux Bavariæ, *Maximilianus*, famæ celebritate illectus, eundem, anno 1614.

1614. in Emeriti *Philippi Menzelii*, *Professoris Ingolstadiensis*, dum viveret, celeberrimi, locum suffecit, stipendio CCCC florenorum constituto: quo ipso anno, die xx. Octobris, Oratione Inaugurali, *de Utilitate & Necessitate Consultationum Medicarum*, Professionem demandatam exorsus, functioni huic maximâ diligentia, ac summo Studiosorum emolumento, præfuit.

1618. Quadriennio verò pòst, offensus livore Collegæ sui, omnem Praxin sibi præripientis, à Serenissimo Principe vacationem Academici muneris rogavit: eaq; vix impetratâ, *Landishutum*, cum tota familiâ, Praxeos exercendæ gratiæ, sese contulit.

Desti-

Destitutâ interea, per integrum annum, Facultate idoneo subjecto, Universitas precibus exoravit Serenissimum Ducem, Eundē per literas ut revocaret: quo facto, ad pristinam functionem rediit, & *Theorica, Anatomica, & Botanicæ Professioni* præfectus est, aucto priori Salario CC. flor. & adventantem Universitas Ingolstadiensis gratulabunda, Studiosorum q. corona summo cum applausu excepit. 1619.

Senatus quoque *Ingolstadiensis* Civicus, ob felicitatem Praxeos, *Physicum* suum esse voluit, constituto annuo Salario CC. florenorum. 1621.

Abeunti ad Cælicos *Alberto Menzelio*, Seniori Facultatis Medicæ, *successit*, simulq; *Curator* ad *Cameræ Universitatis* negotia deputatus fuit. 1633.

Quin etiam, mandato Celsissimi Electoris, in Nosocomio *Pestilentiarius* nuncupatus est, atrocissima tum temporis *Peste* Ingolstadiense territorium, vicinaq; loca infestante: quam periculosissimam Luem, Dei benignitate, salvus & incolumis superavit, magnam exinde lucratus pecuniæ summam.

Academiam Ingolstadiensem *annis amplius XXX* adeò ornavit & illustravit vir indefessus & consumatissimus, ut antè hâc nunquam magis floruerit, quàm hoc docente, etiam senio & viribus jamjam consumpto.

Mun-

Mundanis autem valedixit Senex decrepitus, A. C. MDCXLVII. dum complevisset ætatis annum LXXVIIIvum.

Nihil eorum, quæ scripsit, voluit esse juris publici; quamvis habuerit plurima, quæ non invitus cum Auditoribus suis communicavit.

WOLFGANGUS HÖFERUS, Junior,

Wolfgangi Senioris, Med. Doctoris & Professoris, filius primogenitus,

Natus est Freisingæ, *sedis Episcopalis, A.C. MDCXIV. VI. Idus Febr.*

HUnc septimo ætatis anno, (apparebat enim jam tum, in illâ ingenii tenuitate, in primâ quasi herbâ, quantæ olim doctrinæ & virtutis ex eâ fruges essent futuræ) solicitus Pater erudiendum commisit P.P. SS. Jesu: &, inter hos, *Huberto Holleuchtero*, Juventutis Scholasticæ Informatori solertissimo: apud quem, ingenii felicitate, tantos progressûs fecit, ut non solùm condiscipulos suos longè superarit, sed etiam idoneus fuerit judicatus; qui ad Philosophicum studium animum applicaret: ubi eam maximè partem, quæ in rerum naturalium cognitione versatur, studiosissimè excoluit. Hanc cùm magnâ industria absolvisset, secumq; deliberasset, quamnam Facultatum Superiorum capesseret, optante Patre Religiosissimo,

Ignatii Ordini ut litaret, elegit haud degener Filius paternis potiùs insistere vestigiis, quàm Monachorum includi claustris. Itaq; totum Medico se mancipavit studio: in quo, favente Minervâ, fideli insuper paternâ instructione accedente, siquidem

Omnis in hoc Nato stabat pia cura Parentis,

in tantum profecit, ut summis divinæ illius scientiæ Insignibus, Doctoris scil. Axiomate, meritò decorari potuisset, nisi generosus animus ad altiora adspirasset. Noluit enim hoc sibi honoris attribui, quin exteras quoque regiones priùs visitasset.

Propitiis igitur vialibus Diis *Galliam* & *Italiam*, inq; his Celebriores *Universitates*, peragravit; *Illustrium* quin & *Virorum* notitiam & colloquia curiosus ambivit.

Itinere hoc feliciter peracto, in Germaniam, An. C. M DC XXV. redux, *Salisburgi* primùm, per aliquot Menses, Medicinam fecit.

Hinc,

Paternâ ex voluntate, domesticis salutatis Laribus, ad petendos & prensandos summos *in Facultate honores* sese accinxit: & non modò *Tentamina* & *Examina* rigorosa, aliaq; hujus Ordinis, & honoris Candidatorum solennia tam masculè sustinuit, ut ad *Honores* ipsos dignissimus judicatus & admissus fuerit, Brabeutâ ab Inclyta Facultate ipsius Genitore constituto.

Proh! quanta humanæ felicitatis pars!

Peracta itaq; *Inauguratione*, Anno M DC XXXV. d. 27. Novembris, Straubingam, ad Physici Ordinarii munus subeundum, vocatus proficiscitur, & triennio hôc dextrè fungitur.


Hinc,

Hornam, M DC XXXVIII. Grembsium & Lynzium, ab Illustri Regimine Superioris Austriæ, Physicus Provincialis dictus, A C. M DC XLV. pòst Viennam, M DC LIII. Facultatis Assessor, & Sacratissimæ Majest. Imperatoriæ Aulicus Medicus, tandemq;, Ejusdem Majestatis jussu, M DC LIX. Jaurinum concesſit, ibiq; Physicum Præsidiarium ad extremum usq; vitæ halitum egit.

Obiit, Uxoratus quidem, ductâ viduâ Austriacâ, Susannâ Grôningiâ, sed ἄπαις, A.C. M DC LXI.

Inter vivos adhuc existens edidit *Herculem Medicum*, Opus, certè, cunctis lectu jucundissimum, utilissimum, variis observationibus Practicis refertissimum, dignissimumq; quod in omnium versetur manibus: uti hîc repetitò auctū & impressum est: annexâ etiam *Medicationum* plerarunq;, ipsi in diversis Praxeos & Physicatûs sui Locis quondam *familiarium*, non minùs prælo dignarum visarum farragine, usq; ad obitum illius continuatâ.

Elenchus



Elenchus Auctorum, quorum in hoc Opere W. Höferus mentionem fecit, & qui vel scriptis claruerunt, vel Authori singulari amicitiâ jucundi fuerunt.

A.

Aetius.
Joh. Agricola, Palatinus.
Henr. Cornel. Aggrippa.
Prosper Alpinus.
Anton Altomarus.
Hieronym. Animæus, Superior. Austr. Practic.
Jul. Cæsar Arantius, Med. Bononiens.
Joh. Arculanus,
Aretæus,
Joh, Argenterius.
Arragosius Gal.
Caspar Asellius.
Augustana Pharmacopœa.
Avicenna.
Author Enchiridii Medici.

B.

Andreas Baccius, Elpidianus.
Thomas Bartholinus, Dan.
Frater Basilius.
Caspar Bauhinus.
Petrus Bayrus, Pract. Mœno-Francofurt,
Joh. Beguinus.
Alexander Benedictus,
Antonius Benivenius,
Andreas Bonettus.
Georgius Bertinus,
Bettmannus, Grembsii Med. Provincialis.
Joh. Beverovicius.
Biblia Sacra.
Joh. Bilgerus.
Petrus Blandinus,
Joh. Bodinus.
Anshelm. Boetius,
Henricus Botterus,
Albertus Bottonus,
Tycho Brahe, Danus.
Anton. Musa Brassavolus.
Gualterus Bruele.
Joh. Bruyerinus,
Louyse Bourgese, Obstetrix Gallica.

C.

Antoni, Comes Cæsanæ & Colle.
Casparus Caldera ab Heredia.
Joachimus Camerarius.
Guilielmus Capellus, Med. Paris.

Hieronym. Capivaccius.
Hieronym, Cardanus, Mediolan.
Jacobus Carpus.
Rodericus à Castro.
P. Vascus Castellus.
Cornelius Celsus.
M. T. Cicero.
Julius Cæsar Claudinus.
Samuel Clossæus, Med. Metens.
Realdus Columbus.
Fabius Columna.
Mauricius Cordæus.
Antonius Cartusus.
Jeremias Cornarius.
Joh. Crato à Kraffthcim.
Oswaldus Crollius.
Vincentius Alsarius à Cruce.
Joh. Claudius de la Courvéé.

D.

Democritus.
Claudius Deodatus.
Anton. Deussingius.
Pedacius Dioscorides.
Marcellus Donatus.
Petrus Salius Diversus.
Rembertus Dodonæus.
Michael Döringius.
Gaston. Dulcon.
Hieron. Drexelius, S. J.

E.

Jacobus Eckoldus.
Christoph. Eisenmenger.
Erasistratus.
Thomas Erastus.

F.

Joh. Faber, Med. Landishutanus.
Petrus Joh. Faber.
Guilielm. Fabricius Hildanus.
Hieron. Fabricius ab Aquapend.
Gabriel Fallopius.
Benedictus Victorius Faventinus.
Leonellus Faventinus.
Epiphanius Ferdinandus.
Joh. Fernelius.
Omnibonus Ferrarius.
Theodorus Fettich.
Joh. Fienus.
Thomas Fienus.
Leonh. Fioravanti.
Joh. Fischer, Medic. Provincial. Austr. Superioris.
Petrus Forestus.
Nicolaus Abraham, Frambesarius.
Joh. Freytagius, Med. Ratisbon.
Antonius Fuchsius, Italus, Medicus Norimberg.
Leonhardus Fuchsius.

G.

CL. Galenus Pergomas.
Joh. Garmers.
Petrus Gellius.
Cornelius Gemma.
Gentilis.
Guilielmus Gilbertus.

Joh.

Joh. Georgius Glanz. S.C.M. Med.
Bernhardus Gordonius.
Guil. Gratarolus.
Ludovicus Gravius, Profess. Heidelbergenſ.
Franc. Arnold, Grembs.
Philip. Grülingius.
Antonius Guevera.
Balthaſar Tymæus à Güldenklee.
Gynæciorũ opus diverſor. Authorum.

H.

Joh. Hartmannus.
Guil. Harveius, Anglus.
Joh. Hebenſtreit, Med. Aug.
Henricus ab Heer.
Helidæus.
Joh. Baptiſta Helmontius.
Gaſpar Geldera ab Heredia.
Daniel Herman. Poëta.
Joh. Heurnius.
Andreas Hildebrandus.
Franciſcus Hildeshemius.
Hippocratus Cous.
Philipp. Höchſtetterus.
Wolffg. Höferus Sen. Prof. Ingolſtadienſ.
Caſparus Hoffmannus,
Jacobus Hollerius.
Joh. Hornung.
Gregorius Horſtius.
Joh. Dan. Horſtius.
Garzias ab Horto.

J.

Leonhardus Jacchinus.
Joh. Phililippus Ingraſſias.
Joh. Jonſtonius.
Laurentius Joubertus.
Joh. Wilhelm. Juncker S. C.M. Med.
Hadrianus Junius.

K.

Johannes Keckius, Med. Bonon.
Sixtus Kepſerus, Med. Bavaricus.
Henricus Kornman, Med. Straubingenſis.
Jo. Jacobus Krafft.

L.

Joh. Langius.
Andreas Laurentius, Med. Pariſ.
Levinus Lemnius.
Ludovicua de Leonibus, Med. Bononienſ.
Joh. Lerius, Navigat. Braſſil. Scriptor.
Andreas Libavius.
Liberatus de Liberatis.
Georgius Lieblerus.
Joh. Antonides von der Linden.
Juſtus Lipſius.
Joh. Petrus Lotichius.
Conſtantinus Lucas.
Doctor Lucerna, Med. Hebræus Viennenſ.
Amatus Luſitanus.
Zacutus Luſitanus.

M.

Joh. Chryſoſtomus Magninus.
Albertus Magnus.
Olaus Magnus.
Theodorus Majernus, Anglus.
Joh. Guil. Mannagetta, Sac. Cæſ. Maj. Medic.
Maphæius S. R. Cardin.
Appianus Marcellus.
Proſper Martianus.
Alexander Maſſaria.
Petrus Andreas Matthiolus.
Thomas Meermannus, El. Bavar. Medic.
Albertus Menzelius, Profeſſ. Ingolſtadienſ.
Guil. de Mera, Phyſic. Delphenſis,
Ludovicus Mercatus.
Hieronymus Mercurialis.
Joh. Petrus Merenda.
Matthæus Merian.
Meſues.
Raymundus Mindererus, Med. [Auguſt.
Antonius Mizaldus.
Valent. Andr. Möllenbrock.
Petrus Monavius.
Bartholomæus Montagnana.
Joh. Baptiſta Montanus.
Moſes, Princeps Populi Iſraelitici.
Thomas Mouffetus Anglus.
Philippus Mollerus.
Hadrianus à Mynſicht.

N.

Joh. Nævius.
Joh. Neander.
Paulus Neucranz.

O.

Joachimus Oelhaſius.
Paulus Offredus.
Oribaſius.
AbrahamusOsmannus, Hiſtoric,.

P.

Helidæus de Paduanis.
Palingenius.
Julius Palmarius.
Phil. Aurel. Theophraſtus Paracelſus.
Ambroſius Paræus, Pariſienſ.
Petrus Paſchalis.
Bernhardus Penotus.
Severinus Pinæus.
Joh. Piſſelius.
Carolus Piſo.
Nicolaus Piſo.
Felix Platerus.
Plato.
Cajus Plinius.
Ponſonius Prof.
Petrus Poterius.
Joh. Prevotius.
Jacob. Primiroſius, Anglus.
Zacharias à Puteo.

Py-

Pythagoras.
Pythopæus.

Q.

Josephus Quercetanus.

R.

Guil. Rechbergerus, Med. S. Cæs. Majest.
Hieronymus Reusnerus.
Daniel Rhagorius.
Rhases.
Jan. Pharamundus Rhumelius.
Joh. Riolanus.
Lazarus Riverius.
Guernerus Rolfinccius.
Guil. Romanus, Med. Naumburgens.
Guil. Rondeletius.
Balduinus Ronsæus.
Joh. Rosa, Med. Ratisbonens.
Erasmus Roterodamus.
Franciscus Roussetus.
Franciscus Rubeus.
Joh. Ruellius.
Ruffus.
Martinus Rulandus.

S.

Philippus Jacob. Sachs.
Angelus Sala.
Schola Salernitana.
Salustius.
Joh. Rudolphus Salzmannus.
Sanctorius Sanctorius.
Michael Savonarola.
Hercules Saxonia.
Julius Cæsar Scaliger.
Joh. Schenckius.
Josephus Schmidt.
Sigismundus Schnizer.
Samuel Schönborn.
Laurentius Scholzius.
Philip. Mauritius Schönlin. Med. Bavar.
Joh. Schröderus.
Abrahus Seiler.
Luc. Annæus Seneca.
Hugo Senensis.
Daniel Sennertus.
Q. Serenus Poëta.
Marcus Aurelius Severinus, Neapolitanus.
Cosmas Slotanus.
Reinerus Solenander.
Hadrianus Spigelius.
Godofredus Steghius.
Bernhardus Stieberus.
Stephanus Strobelbergerus.
Sebast. Stromayer.
Suetonius.

T.

Jacobus Tabernæmontanus.
Andreas Tenzelius.
Joh. Christ. Teufel/Baro.
D. Thomas.

Leon-

Leonhardus Thurneisserus.
Joh. Tillemannus, Profess. Marpurg.
Victor Trincavellius
Nicolaus Tulpius.
Bartholomæus Turrianus.

V.

Franciscus Valleriola.
Varignana.
Christophorus à Vega.
David Verbezius.
Joh. Veslingius, Mindan.
Viennensium Appendix Pharmacevtica.
Arnoldus de Villa nova.
Vlscherus.
Matthias Unzerus.

W.

Joh. Walæus.
Guil. Weckerus.
Martinus Weinrichius.
Georg. Hieron. Welschius.
Franciscus Wendlerns.
Joh. Wernerus.
Joh. Wierus.
Joh. Albert. Wimpinæus, Med. Monac.

Z.

Paulus Zacchias, Med. Rom.
Joh. Zecchius, Med. Bononiens.
Martinus Zeilerus.
Jacobus Zieglerus.
Theodorus Zwingerus.
Joh. Zwölfferus.



INDEX

INDEX
LIBRORUM
&
CAPITUM
HERCULIS MEDICI.

LIBER I.
de Affectibus Capitis: pag. 1.

LIBER II.

de iis, quæ in Thorace continentur: pag. 99.

LIBER III.

de iis, quæ in Ventre continentur: pag. 153.

LIBER

LIBER IV.

de iis, quæ Artûs concernunt : pag.255.

LIBER V.

de Affectibus Cutaneis & Externis: pag.283.

LIBER VI.

de Febribus.

LIBER VII.

de Mulierum & Infantium morbis : pag.366.

LIBER VIII.

Miscellanea quædam continens, pro Operis complemento: pag. 453.



:(o):

CHRONOGRAPHICA,

Nobili & Excellentissimo Viro, Domino

WOLFGANGO HÖFERO,

Sac. Cæs. Majest. Aulæ Medico, Herculem suum publicanti, posita.

neC preCIo Caro LIber; ast haC arte IVVabIt:
èfLVVIo In hoC IVVIt MeqVoqVe gVtta freqVens.

---

perLege, qVICVnqVe es, bonVs est LIber Iste, pLaCebIt:
AC tIbI In hoC aLIqVID, qVod ITVet, InVenIes.

Honoris & gratitudinis ergo

A. Balthasare Raab, S. Sedis Apostolicæ Protonotario, & Parocho in Ansfelden, Sup. Aust.

Ad eundem:

HErculis magni validos labores
Prisca miratur meritò vetustas;
Monstra dum clavâ domuit ferarum
Unicus unâ.
HÖFER at longè superat priora,
Exhibens præstans opus hocce luci,
Quo docet morbos penitus fugare,
Unicus omnes.
Cous hæredem Medicum reliquit,
Hunc, ut æternùm volitet per orbem.
Omnium laudes igitur reportet
Unicus omnes.

Observantiæ causâ accinebat

P. F. Gabriel Lieffroy, Minim. p. t. Wranovii Corrector.

Acclamatio ad eundem.

SIc ergo Herculeos virtus te impellit in ausus,
HÖFERE ? ô Medicæ culta Minerva Scholæ!
Ut non privato cupias prodesse labore,
Sed Mundo toti lucra referre petas?
Vivere nempe tibi ingenio, virtute juvante,
Majorum exemplis, æmula cura fuit.
Quàm benè ! sic patrium florebit nomen in ævum,
Mortuus in Nati vivet honore Pater:
Ipsa at Pœonium te pro victrice labore
Alcidem merito Fama loquetur Anus.

Hac ex amicitiæ & sanguinis necessitate posuit

Henricus Hœfer, Posoniensium
in Pannonia Medicus.

Ad eundem.

HAc clavâ Alcides sibi non mortale lucratur
Nomen, qua mundi noxia monstra fugat,
Viribus hic dextræ quod fecit, mente reponis,
HÖFER, & ingenio tu fera monstra domas.
Cùm sis morborum domitor, nonne Hercule vili
Quantum mens præstat corpore, major eris?

Hac benevolentiæ, & futuræ vicinitatis ergo, ex tempore fecit

Georgius Schaidenberger, Munimenti
Jaurinensis Medicus.

Sacræ

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS Trium Consil. & Personæ Medicorum CENSURA.

HErculem Medicum, sive Locorum communium Medicorum Librum, à D. Wolf. Höfero, Aulæ Cæs. Medico, ex probatissimis Authoribus collectum, propriisq; Observationibus & Experientiâ confirmatum, ab initio usq; ad finem studiosè perlegi, nihilq; in eo bonis moribus, aut fidei Catholicæ contrarium inveni, sed multâ & variâ lectione laboriosè compositum; adeoq; omnibus Medicinæ Praxin exercentibus apprimè utilem, typisq; dignissimum censeo.

Joann. Guil. Mannagetta.

HUnc eundem Librum, Locorum communium Medicorum, sedulò perlegi totum, &, quia multo studio & labore, tam ex probatissimis Authoribus, quàm propriis Observationibus congestum & concinnatum, adeoq; nihil in èo reperi, quod bonis moribus aut fidei Orthodoxæ sit contrarium, sed qui insuper omnibus Medicis Practicis utilis & domesticus esse possit; ideò prælo dignè submittendum censeo.

Joann. Conrad. Wechler.

Otium


OTium absque literis mortem, cum Seneca, esse, credidit D. Wolff. Hôfer, Aulæ Cæs. Medicus. Qui ut longùm, etiam post fata, viveret ingenio, Librum Locorum communium Medicorum Herculeo labore conscripsit, & propriis Observationibus atque Experientiâ exornavit. Hunc ego legi, & eâ, quam Aula nostra permittere potest, intentione percurri, dignumq; judicavi, ob fœcundissimam brevitatem, claram profunditatem, summamq; ab Autoribus selectissimis eruditionem, ut typis excuderetur; quia omnibus literatis, maximè verò Hygeinæ devotis, eximium afflare poterit emolumentum.

Joh. Gregor. Glantz.



LIBER

LIBER I.
de
AFFECTIBUS CAPITIS:
CAPUT I.
de
Apoplexia.



Poplexia Gregor. Horstio, *Oper. Tom. 1. pag. 292. Disp. 9.* dicitur *affectus, quo homines subitò, principibus operationibus cum sensu & motu abolitis, consternuntur, remanente quodammodo respiratione.* Dicitur: *abolitis principibus operationibus*, non actu primo; sed actu secundo; quatenus facultas præsens quidem est; totaliter tamen impeditur, ut operari nequeat, ob denegatum spirituum animalium influxum. Sic discurrit dict. Horst. etiam *Oper. Tom. 3. pag. 28.* & de Apoplexia *à spirituum vitalium interceptione, propter sangvinem liquatum,* videatur Carol. Piso, *de colluvie serosâ.* Apoplexia quid?

Helmontius *causam Apoplexiæ accusat venenum anodinum, Archeo horrorem injiciens.*

Quòd autem Apoplexia, & reliqui affectùs soporosi, oriantur etiam ex *redundante sangvine frigidiore*, affirmat Lazarus Riverius, *Prax. fol. 23.* Ego verò non credo, facilè abundare sangvinem frigidiorem: caloris enim solet effectus esse, multum generare Causa.

rare

rare sangvinis. Sed addit idem: *frigidiore & serosiore.* De *sero* quidem concesserim: atqui illud rarò est frigidum; quia salsum: adeoque nec sangvinem refrigerare potest. *Serosos* quoque humores ita substantiam cerebri irrigare posse, ut diffluat, nervorumque principium petat, testatur etiam Platerus.

Prognosticum. Nec semper salvari Apoplecticos, *febre superveniente*, juxta Hippocrat. *aphorism. 51. sect. 6.* rectè sentit idem River. *fol. 27.* Nam si febris accedat secundo vel tertio die, viribus jam deficientibus, nihil juvat, sed maturat potiùs interitum. Debet itaq; statim in principio adesse, & satis vehemens quidem, ut possit materiam soporosam discutere. Propterea Medicus præsens, animadversâ febre, salutem Ægri adstantibus haud temerè denunciet.

Cura. Quid autem Medico vocato statim faciendum sit, pulchrè iterum docet Horst. *loc. citat. pag. 29.* hisce verbis: *Æger in loco calido contineatur, erectâ, si fieri poterit, cervice, corpore parumper agitato & concusso, propter materiam in sinubus cerebri commovendam: os, interposito cuneo, ad facilitandam respirationem, apertum teneatur; pili, circa pubem potissimùm, vellicentur; extrema fortiter ligentur, & aquâ vitæ, cum castoreo, sale, & aceto fricentur: cucurbitulæ magnæ dorso & lumbis, ut & cruribus, affigantur; & venæs. protinus adhibeatur.*

Clyster. Ex eodem Horstio, *loc. cit.* notandum, in principio acrem *clysterem* non admittendum, sed priùs fæces alvi per emollientem & laxantem esse educendas; ne fortiter agitatæ hæ fœtorem mittant ad cerebrum. Postmodum verò nec ipsum *crocum metallorum* veretur addere clysteribus River. *Prax. Med. cap. 2.*

Venæsectio. Dumque hæc fiunt, Medicus seriò apud se meditari debet: an *Venæsectio* instituenda sit, nec nec: quandoquidem ea in hisce affectibus cautè est administranda: utpote in quibus, ut Celsus, *de re Medic. libr. 3. cap. 27.* ait, sangvinis detractio vel occidit, vel liberat. Itaque quando qualisqualis plethoræ

adsunt

adſunt indicia, viréſque adhuc conſtare videntur, etſi per oppreſſionem ſint debiles; cum prognoſtico dubio, & proteſtatione adminiſtranda eſt, tanquam extremum remedium, in morbo extremè peracuto: ubi tale remedium eſt anceps: ne, ſi, quod ſæpius contingit, ob morbi gravitatem, Æger, dum ſangvis fluit, moriatur, Venæſectio, & ille, qui eam propoſuit, accuſetur. De *venæſectione* etiam in hoc caſu vide ex profeſſo Rivet. *Prax Med.cap.1.* Dan. Sennertus verò, *Libr.1.Pract.part.2.cap.33. pag. 667.* non expectandum ſemper eſſe, ait, usque dum clyſter infuſus fuerit; ſed interdū ſtatim, & ſine omni morâ, ſive noctu, ſive de die apoplexiâ quis corripiatur, opus eſſe ſanguinis detractione: non ex pede; etſi menſes ſint obſtructi: ſed brachio; propinquiori ſcil. ſangvificationi membro. Ita Zacut. Medic. Luſitan. apud. River. *pag.30.in Praxi*, mulieri juvenculæ, etiam menſes paſſæ, apoplecticæ venam brachii aperuit, poſtquam cucurbitulas femoribus appoſuerat: utique pro retinendo naturæ curſu: *Hiſtor. Med. Princ. lib.1.hiſtor.33.*

Audent quoque quidam Practici *ſectionem venarum jugularium* adhibere; quæ, vulneratæ, plurimum emittunt ſangvinis: unde mox emplaſtrum aliquod glutinans ex thure, aloë, pilis leporis, albumine ovi ſubactis; vel illud, quod infra, *Libr.V. Titul. de Vulnerib. cap. 2.* proponitur, applicant: quod jam citat. Zacutus confirmat *Obſ.79.* De hac venarum jugularium ſectione poteſt etiam videri Schenck. *Libr.2. Obſervat.Medic. 21.ex Jacob. Carpo,in Iſagog.Anatomic.* Quòd ſi poſt primam Venæſectionem, pergit Sennertus, *d.l.c.6.* Æger colorem faciei bonum habeat, & vividiorem, reſpiret faciliùs, ac pulſus fuerit laudabilis; bene ſperandum, & confidentiùs ſangvinis miſſio repeti poteſt. Venæ jugulares.

Interim *aqua* aliqua *Apoplectica* infundenda: quæ ſæpe miraculi inſtar profuit, ob inſignem diſcutiendi vim. Aquæ apoplecticæ.

Cucurbitulas verò *ſcarificatas* noli partibus dorſi declivibus applicare, ne reſpiratio intercipiatur: ſed ſtatim poſt ſcapulas. Cucurbitulæ.

tentandum esse. *In morbis* enim, ait Hippoc. *lib. 2. aphorism 34. minùs aliquando periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori, magis congruit, quàm quibus secundum horum nihil congruit.* Inter alia itaque in desperatis multum effecisse testatur Horst. *d. l. pag. 110.* tale *Emplastrum*, ex Hildeshemii *Spicilegiis*, capiti raso applicatum, ad formam Thaleri:

℞. *Myrrh. el.*	*ladan.* ana ʒß.
styrac. calamit.	*sandarachæ* ʒij. vel ʒiß.
bdellii,	*oss. cran. human. pp.* ʒiiß.
benzoës,	*lapid. Lazul.* ℈ß.

Cum *styrac. liquid.* s. q. F. Massa.

Ipsi verò cervici ejusdem magnitudinis *Emplastrum* impositum ex Emplastr.

℞. *Ol. euphorb.*	*zedoar.* ana ʒiß.
castor.	*baccar. laur.*
rutæ,	*juniper.* ana ʒj.
lauri, ana ʒij.	*serapin.*
pulv. castor.	*opopanac.*
piper. long.	*galban.*
pyrethr. ana ʒj.	*euphorb.* ana ʒß.
sem. eruc.	
nasturt.	*aq. aureæ Lang.* parum.

Cum *ceræ* & *resin.* s. q. M. F. Emplastrum.

Henr. ab Heer, *supr. d. l.* capiti raso etiam, post universalia, imponit *Emplastrum Al. Benedicti*: quod quoque commendat Francisc. Valeriola, *Obs. 9. lib. 5* &, se fidum invenisse, scribit. Admonemur etiam ab Hippocrate, in morbis gravibus non statim desperandum esse. Nam, *libr. 2. aphorism. 27.* inquit: *Si quid præter rationem levius fiat, fidere non oportet: neq; multum formidare, quæ præter rationem eveniunt.* Multa namq; hujusmodi stabilia non sunt, neq; multum durare, nec perseverare consueverunt.

Diaphoretica. Horst. *Oper. Tom.3. pag. 195.* statim in accessione proponit *diaphoreticum* ex *aq. cerasor. nigror.* cum *lapid. bezoar*, & *spir. lilior. convall.* item nares & fauces jubet fricari & inungi

Externa. *balsam. apoplectic. rutæ, succin. nigellâ, aq. Theriacal. Mithridatio, conserv. anthos, confect. alkermes* &c. Confer Author. *Oper. Tom. 2. pag. 71.* & *Tom. 3. pag. 29. Balsam. apoplectic. Magistral.* vid. apud Sennertum, *Lib. I. Practic. cap. propr. pag. 674. 675.* Schröder. *Pharmacop. Medic. Chym. libr. 2. pag. 156.* Minsicht. *Armamentar. Medic. Chymic. pag. 468. 469.*

Fit etiam à sangvinis copia. Posse, contra Scholasticos quosdam, qui hoc negant, Apoplexiam *è sangvinis copia* fieri, & modum rei perspicuè explicat Petr. Sal. Diversus, *de Affect. particularibus, capit. 2. propr.* & rem ipsam demonstrat Joann Jac. Krafftius, apud Gvilhelm. Fabric. Hildan. *in Centur. Observation. pag. 193.* ubi simul etiam causas addit, cur post mortem cadaver sangvinem per palatum, per aures, per nares, nec non per uterum, emittere possit. Supponit autem, cadaver tale positum esse in loco calido, & fuisse hominis plethorici, in quo consveta sangvinis evacuatio vel impedita fuerit, vel substiterit.

Cadaveris cruentatio. Cùm hoc loco insinuetur *Cadaveris cruentatio*, notandum: antiquum fuisse morem, in Germania præsertim, ut, si quis interfectus, inscio auctore, repertus sit, ille in publicam viam fuerit collocatus, & convocatos omnes de homicidio suspectos, alternatim in vulnus digitos imponere jussos, jure jurando innocentiam profiteri oportuerit. Quòd si nocens accesserit, & cadaver sangvinem recentem è vulnere emiserit, judicatum esse, id proditore Deo fieri: reum itaque, vindictâ Divina convictum, pœnâ debita mulctatum. Mos autem ille, & quidem rectè, nostris temporibus exolevit: quia, sangvinis istud profluvium naturale esse posse, attestati sunt Medici: Rationem quoque tradente Horstio, *Oper. Tom. 2. pag. 234.* dum *potest*, inquit, *aliquando sangvis floridus invenis latitare; præsertim*

tim ubi nulla praecessit sanguinis putredo, qui nihilominus, post ebulliens, vi caloris putredinalis succedentis, fluxu quodam sese exerat, accedente motione externa. Exempla vide *loc. cit.* &, ex professo, *Disputation. de Cruentatione cadaverum, Oper. Tom.1. à pag. 126 usq. ad 148.*

Apoplexiam *hæreditariam* esse posse, absolutè non concedit Crato, *in Consil. 37. fol. 97. Nam*, inquit, *ad morbum hæreditarium requiritur, ut is sit in generante vel actu, vel potentiâ. Actu Apoplecticus non generat; potentia autem, vel inclinatio ad hunc morbum, difficilis est demonstratu:* nisi quis antea laborârit Apoplexiâ, & iterum fuerit restitutus. Tunc enim fieri potest, ut Apoplectica dispositio remaneat in homine, adhuc ad generandum apto. Propterea scimus, totas familias malo huic esse obnoxias: utique propter nativam aliquam cerebri imbecillitatem. Hæreditaria.

Qui autem sint ad Apoplexiam *proclives*, describitur à Nic. Abrahamo Frambesario, *in Oper. Med. & Consil. lib.2. f. 110. Quibus* scil. *caput grave frequenti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit inertiumq; evadit, & oculis tenebræ offunduntur; maximè verò senes, pituitosi, somno meridiano & crapulæ dediti, & qui brevi angustaq; sunt cervice.* ad Apoplexiam proclives.

Crato, *loc. cit. f. 101.* & 103. etiam suspectas habet *Aquas* vel *Spiritûs*, quos dicunt *Elixir vitæ*. Non aliter enim, putat, obesse Apoplecticis, quàm ipsa ebrietas Apoplecticos facit. Et quòd noceat *Spiritus vini* (quidni etiam aliæ *Aquæ* similes?) habet quoq; Philip. Jacob Sachs, Colleg. Natur. Curios. *in Ampelograph. fol. 104.* Nec dissentiente Rembert. Dodonæo, quando, *Observ. Medicinalium Exempl. 3. de Catocho*, scribit, & Catocho & Apoplexiâ correptis talia temerè infundi & adhiberi, &c. quem vid. ulteriùs Sed limitationem patitur hæc assertio; si nimirum moderatè iis utamur, & quidem in ipso paroxysmo, vel præsentiâ Apoplexiæ, ubi cerebri vapores jam præsentes hîs *Aquis* discutiuntur; uti fecit etiam ipse Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 72. c. a.* ubi Aq. Spir. & Elixir vitæ.

aq.

aq. apoplect. Lang. cum *spir cerasor. nigr.* aliquoties infudit: non autem præservationis gratia, ubi caput vaporibus sic magis repletur, & viscera indurantur.

Cerebri ventriculorum officium.

Ventriculorum cerebri officium communiter statuitur esse, ut animalem spiritum conficiant, eumque ad functiones necessarias conservent, & in subjectas partes diffundant. Contrarium sentit, & rectè, Horstius, *Oper. Tom. 1. p. 87.* & *in lib. 1. de Nat. hum. Exerc. 9.* dicitque, ventriculos cerebri in alium usum efformatos non esse, quàm ut recipiant humorem cerebri superfluum & excrementitium: quòd illi in coryzâ sive catarrho pleni sint pituitâ; unde sæpius tanta materiæ copia emungatur. Idque apud eund. *Oper. Tom. 2. pag. 61.* & *73. 74.* confirmatur exemplo vulnerati Rustici, cujus cerebrum à palpebra usque ad medium ferè, unâ cum ventriculis, in abscessum abiit, remanentibus tamen actionibus animalibus utcunque perfectis, nullâ succedente apoplexiâ, convulsione, epilepsiâ; quin & ipsa ratiocinatione ad mortem usque non omnino sublata: an, quia basis cerebri, nervorum origo, mansit illæsa, nobilior scilicet cerebri pars? Unde colligitur, actiones cerebri non in ventriculis ejusdem stabiliri, sed in ipsa cerebri substantia: adeoque malè sentire illos, qui cerebri functionibus principalioribus, nimis sanè curiosè, certa in capite loca assignant, & sedes: cùm tamen confusè omnes functiones prudentiùs toti substantiæ, & moderamen earum certo temperamento tribuenda sint. Vide Horst. *loc. cit.* & *Oper. Tom. 2. pag. 323. c. 6.* Item Andr. Laurent. Anat. *in Opere Anat. f. 109.* ubi sententiæ huic contradicit. Conf. Sennert. *in Institution. pag. 465.* & *Libr. I. Pract. p. 658.*

Cerebrum an sentiat.

Cerebri substantia *sentire* quidem non debuit, quia organum & habitaculum est omnium sensuum. Dicitur tamen aliquando *sentire:* quandoquidem sternutatione, motuque convulsivo, conatur noxium à se expellere. Illud autem non facit sensu animali; qua ratione ventriculus ad appetitum incitatur:

tur: sed sensu naturali: quemadmodum cætera membra nutrienda alliciunt sibi familiarem succum, & minùs familiarem excernunt. Vide Horst. *Oper. Tom. 1. p. 90.* & *Tom. 3. p. 18.* Quòd si hæc sententia alicui displiceat, & ille magis dicendum arbitretur, cerebrum per membranas, non per ipsam substantiam, sentire; cum eo non litigabo.

Andreas Laurentius, Cerebrum *perpetuo motu moveri,* cordis instar, existimat. Huic cõtradicit Riolanus, & ait, *f. 249.* Qui motus spectatur, aperto cranio, in dura meninge, innumeris arteriis conspersâ, & palpitante, dependet ab ipsis arteriis agitatis, & moventibus istam tunicam; non à cerebri agitatione, vel pulsatione. Interim omnimodum cerebro motum non negat, *fol. eodem;* verùm non continuato, & regulari motu, cordis instar; ex intervallis longioribus; ubi necessitas adest, sese attollendi, sed & deprimendi. Cerebri motus.

Non obstat, aliquem esse constitutione calidum & siccum, & nihilominus *pituitosas* in capite *collectiones* fieri: unde tandem temperies cerebri calida in frigidam mutari potest. Est enim caput quasi labrum & receptaculum aqueæ humiditatis, quæ copiosiùs in calidis siccis, quàm in aliis, colligitur: propterea, quòd viscera eandem, non ritè digestam, promptissime attrahant, & ad caput elevent. Horst. *Oper. Tom. p. 66.* & *80.* Defluxiones.

Quemadmodum Apoplectici deperdito sensu & motu subitò cadunt; ita etiam ij, qui *Fulmine tacti* sunt. Cujus admirabilem effectum notatu dignâ historia confirmat Guil. Fabr. *f. 208. & seq.* Curam, si quæ admitti potest, tradit Joseph. Schmid, *in Exam. Chirurg. f. 310.* eamque absolvit merissimis alexipharmacis, quæ aliàs pesti debentur. Fulmine tacti.

Et sanè, si omnia, quæ circa apoplecticos fiunt, diligenter considerare velimus, longè potentiorem & graviorem ejus causam esse, quàm quæ vulgo creditur, patebit. Unde etiam rectè hic morbus Græcis ἀποπληξία, & sideratio appellatur:

quòd nimirum tale quid, quale fulmine ictis, aut membris subitò sideratis, ex maligni humoris affluxu accidit: & quidem non semper, sed forsan rarò, in capite ille humor, vel spiritus generatur, sed præcipuè circa viscera & in venis colligitur: & ut, si ad extremum pedem detrudatur, siderationem; ita, si ad cerebrum, apoplexiam excitat: in quam etiam malum tandem degenerare solet. Si enim materia sit tam prava, ut cerebri nativam temperiem destruere possit, etiam subitò, ac in momento quasi, facultas vitalis, ejusque actiones concidunt. Est tamen materiæ hujus quædam diversitas. Si enim ita prava sit, ut, sicut in extremis corporis partibus, si eò detruditur, ita & in cerebro, calidum insitum destruere possit; apoplexia fortis & incurabilis est. Neque enim calor innatus in parte planè exstinctus iterum restitui potest. Si verò materia tam maligna non sit, ut calorem nativum in cerebro planè extingvere possit; vel à cerebro excutitur, & ad partes infra caput, ac plerunque alterutrum latus detruditur; ubi paralysin plerunque incurabilem excitat; cùm materiæ malitia expugnari non possit: vel, in cerebro relicta, id quidem non planè morbificat; ita tamen ejus temperiem & constitutionem nativam debilitat, ut homines tales memoriam ferè amittant, & in delirium, aut fatuitatem quasi incurabilem incidant. Tandem utrisque fere semper recidiva accidit, &, ubi materia iterum cumulata, & deterior, temporis progressu, reddita est, iterumque hominem invadens, cum apoplexiâ jugulat.

Aliàs Tonitrua, uti sunt Naturæ & Magiæ opera; ita etiam Arte quodammodo concitari possunt. Hoc testantur Incolæ prope montem Pilati, in Helvetia, ad lacum Lucernensem: & Superior. Styriæ, de suo Windloch. De utroque vid. plura apud Horstium, *Oper. Tom. 2. p. 145.* hûc non parum conferentia.

Apoplexiam fortem nullo prorsus modo; debilem ægrè curaveris. Hippocrates, l. 2. aph. 42.

Apople-

Apoplectici maximè fiunt ea ætate, quæ est à quinquagesimo ad sexagesimum usque. l. 6. aph. 57.

Assiduis imbribus &c. fiunt Apoplexiæ. l. 3. aph. 16. hyeme Apoplexiæ, l. 3. aph. 23. etiam Senibus, l. 3. aph 31.

In morbis melancholicis periculosi humorum decubitûs, &c. Apoplexiam corporis denunciant. l. 6. aph. 56.

Quibus cerebrum sideratum est, intra tres dies intereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. l. 7. aph. 50.

Per somnum etiam, nunquid ex oculis subappareat, inspiciendum. Nam si quid, non exactè commissis palpebris, ex albo subappareat, modò non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione, contingat, malum est signum, & lethale valde. l. 6. aph. 52.

Caput II.

De Paralysi, Epilepsia, & Convulsione.

Paralysis, Horst. *Oper. Tom. 1. p. 291.* dicitur, quando motus voluntarius alicujus partis aboletur, propterea, quòd spiritus animalis non influat, vel quòd à cerebro non transmittatur, vel quòd transmissus non recipiatur à musculis: uti maximè fit in Paresi ex Colica: *ibid. p. 50.* & *299.* Paralysis.

[Helmontius statuit, *Paralysin fieri à terrore: hincq; fieri contractionem: ut, v. g. in colica, ob indignationem pylori; in hystericis, à furioso utero.*]

Petrus Forestus, *L. 8. Obs. 5. f. 240.* Juvenem Aurifabrum, qui, ob Mercurium, & Antinonium, inter deaurandum incautiùs tractatum, *Paralyticus* factus est, postquam multa nihil profuerunt, feliciter restituit usu *seri lactis caprini.* Vid. eund. *libr. 10. Observat. 82.* & *83.*

In *Paralysi* curandâ, præm. præm. non utere Unguentis, Oleis, Emplastr. Hæc enim omnia poros cutis obturant, & ma- Cautela de Emplastricis, & Pinguibus.

 teriam

teriam nervis inhærentem condensant potiùs, quàm discutiunt: quod tamen hîc requiritur. Sed præstat, pro externis, uti *Fomentis*, *Lotionibus*, *Suffitibus* &c. Herbas appropriatas v g. *roremmarinum, lavendulam, fl. paralys. chamæpit. hyssop. salviam, pæoniam, betonic. vino infundas esse*, Sennertus ait, *L. 1. Pract. part. 2. cap. 27. p. 529.* ut ad nervos faciliùs vis medicamentorum deferatur. Esse enim *vinum* vehiculi loco, nec omnino hîc prohibendum, præsertim in assvetis: commodius autem esse, si cum musto hæ plantæ deferveant. Contrarium sentire videtur Guil. Fabric. *in Op. Chir. p. 466.* ubi ait, *vinum* nervis inimicum esse, adeoque hîc omitti debere: nec dissentit River. *in Praxi, pag. 56.* Conciliantur ambæ sententiæ, si dixeris, nervis vulneratis extrà vinum nocere; resolutis verò neque extra, neque intra; si moderatè bibatur. *Aquam salviæ compositam*, frequentis mentionis apud Magnates, vid. itidem apud Sennertum, *d. l. pag. 537. c. b.* Riverio, *in Praxi*, placet, *fol. 56.* in Paralysi uti *decocto* sincero *Ligni*, præmisso tamen tali, cui *sena, turbith, hermodactyli* sint infusi. Sic per 8. dies simul purgando corpus paulatim disponit ad sudorem. Quod ego etiam in lue Venerea diligenter observo. Vid. *infra*.

Vinum pro Paralyticis.

à Causa externâ.

Exemplum Paralysis à *causa externa* observavi in Super. Austria, non procul Gmundnâ, Oppido Salinario, ubi, mense Januario, an. 1648. quidam juvenis Molitor, ab uxoris alienæ, quam deperibat, marito deprehensus, per fenestram sese præcipitem dedit, &, pedibus rectis terræ allisus, vertebram coxæ proximam luxavit; unde, medullâ spinæ intortâ, nervisque inde occlusis, spiritus animalis ampliùs defluere non potuit. Et sic medium corpus, infra coxam, Paralysi affectum est, miseramque vitam Æger, omni motu destitutus, diu transegit. De compositione & usu *destillati Galbani*, spinæ dorsi inungendi, in hoc casu, vid. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 78. c. b.* item *pag. 420.* & *421.* ex Craton. *Consil. 172.*

Qua

Qua ratione in *Paralysi ex colicâ* natura metastasin illam, sive materiæ translationem, ope venarum instituat: vide pulchrè demonstratum *infra, cap 5. libr. 3. de Colicâ*, ex Horstio, *Oper. Tom. 3. pag. 30. 31.*

Quod ego in dolore Ischiadico proposui, remedium, idem non malè membro *paralytico* applicat River. *Pr. f. 58.* ubi *Urticâ viridi* membrum affectum *percutit* ad rubedinem; sed non ad vesicas usque; ne, quod attractum est, dissipetur. Percussio.

Epilepsia.

EPilepsia Horstio, *Oper. Tom. 1. pag. 292.* dicitur *Symptoma abolitæ actionis principis, cum motu convulsivo conjunctum, proveniens à partiali cerebri meatuum obstructione, vel coarctatione; quam materia peccans, imprimis alienâ suâ qualitate, cerebrum ad expulsionem irritante, producit.* Confer & *Tom. 3. pag. 32.* Epilepsia.

[Helmontius *acori ventriculi degeneri adscribit, atq; subtracto duumviratûs regimini.*]

Epilepsia vera ab eâ, quæ *Hysterica* dicitur, in eo distingvitur, quòd illa hominem sensu, ratione, & memoriâ privat; hæc autem memoriam, & gestorũ recordationem, non omnino tollit. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 79.* Exemplum vidi in Matronâ quadam Bavarica Illustr. quæ, cùm à Chirurgo Castrensi, ut eam ab Epilepsia hysterica, & imminente suffocatione liberaret, obscænè tangeretur, postea apud Maritum de illatâ sibi injuriâ conquesta est: Chirurgus verò, à me honestè excusatus, periculum mulctæ declinavit. Epilepsia hysterica.

Non ineptè Chymici Epilepsiam ad *morbos Mercuriales* referunt; siquidem in illâ symptomata Mercurii, intra corpus sumpti, similia apparent: nervorum incontinentia, tremor, suffocatio, salivatio, &c. Propterea sicut Pictores, Aurifabri, Chymici, & omnes ii, qui Mercurialia tractant, rectè curantur per medicamenta, quibus quoquomodo aurum admixtum est; juxta Sennertum, *Libr. I. Practic. pag. 499.* sic idem observare licet Morbus Mercurialis.

in Epilepticis. Credibile enim est, Aurum cum argento vivo intra corpus non aliter misceri, quàm extra : & sic simul è corpore ejici. De metallorum generatione vide Horstium, *Oper. Tom. 2. pag. 495.* Sennert. *de Consens. & Dissens. Galenicor. cum Chymic. pag. 113.* de Metallificis spiritibus refert, ex Medico quodam, qui diu Fribergæ, fodinis metallicis nobili oppido in Misniâ, Medicinam fecit, fossores quosdam metallicos (Berg⸗knappen) post mortem apertos, pulmones habuisse eodem infarctos metallo, quod vivi laborando tractarunt. Hinc concluditur, metalla per spiritûs augmentari, & vicinam materiam dispositam, illorũ spirituum ope, in sui substantiam convertere; revera tamen non crescere. Propterea vix ullus illorum laboratorum annum 40. attingit. Quòd autem metallá verè crescant, non negat P. Monavius, apud *Scholz Epist. 320. pag. 354.*

Epilepticæ materiæ sedes.

Epileptica materia, etiam minutissimæ, quiescentis *sedes* diligenter Medico est perquirenda; ut ejus loci in Curatione maximam habere possit rationem. Nam, juxta Hippocratem, *libr. 4. aphorism. 33. sed &, si qua pars ante morbum laboraverit, ibi morbi sedes.* Hæc à Patiente nonnunquam proditur, qui, cùm materiæ ebullitionem, futurum scil. paroxysmum, præsentit, ipse de dolore, vel aliâ aliqua molestiâ alicujus partis conqueritur : vel artificiosâ conjecturâ, omnes circumstantias diligenter perpendendo, indagatur.

Epilepticos excitantia.

Excitantur Epileptici accenso *galbano*, ex Horst. *de tuend. sanitat. Oper. Tom. 3. pag. 194. c. b.* & *succino*; minimè verò *nidore* (vel potiùs fœtore) *cornu capræ, hirci, cervi*, & aliis fœtidis fortioribus, præsertim in mulieribus epilepticis, convulsionibus obnoxiis; utpote qui capiti valdè nocent, illisque cerebrum agitatur : unde humores in ventriculos præcipitantur, ac symptomata ingravescunt. Vid. Roderic. *à Castro, libr. 2. de morbis Mulier. cap. 1.* Errant igitur, qui horum fumo epilepticos excitare, aut aërem pestilentem depellere nituntur: quin imò majoris

potiùs

potiùs mali autores esse tales, affirmat Samuel Schönbornius, *Manual. Prax. Medic. fol. 22.* Sal itidem, in os spumantis immissum, illum excitare, testatur Forestus, *libr. 10. Obs. 64.* Rationem vid. *ibid. in schol.* vid. & *Obs. 59.*

Claudius de la Courvee, Regin. Polon. Medicus, *Paradox. de Nutrition. fœt. in uter. pag. 244.* emisit sangvinem gravidæ plethoricæ, in ipsa convulsione epilepticâ, bis in die, ad ℔j. singulis vicibus: & illa peperit noctu filium vividum. Alii timidiores Medici hoc fortè non tentassent. Sed ego non video, quid obstet, quò minùs hoc liceat: modò deligatio cum majori cautela instituatur, & ictus. Venæsectio.

Purgantia in Epilepsia non semper leviora exhibenda; sed interdum ad fortiora transeundum esse, Al. Massarias, *Pract. Medicin. libr. 1. cap. 19 propr.* præcipit: & hinc fieri, dicit, quòd epilepsia raró curetur, quia Medici semper in lenioribus hæreant. Itaque Riverius, *Prax. pag. 86.* exhibet *Syrup. de Peto Quercetan.* quem maximam vim ad curandam epilepsiam habere, ait, sed non nisi à prudenti Medico usurpandum; quia vehementissimum sit medicamentum. Ego verò tam forte non expertus sum, ut Tabaci quantitatem, pro intentione pharmaci, semper duplicaverim; juxta animadvers. *infr. suo loc.* propositam. Quin ipse River. *pag. 92.* in epilepsia puerorum, fumum Tabaci ex ore adstantis, in os pueri frequenter jubet insufflari, ut à paroxysmo liberetur. *Ibid. pag. 93.* specifica duo proponit: *radic. valerian. sylvestr.* cum *lacte* exhibitam: & *fel catelli lactentis*, quod vix ponderabit gran. iiij, &, cum *aq. flor. tiliæ* exhibitum, miraculi instar operaturum, scribit. Prius est Fabii Columnæ: posterius Unzeri. Purgatio.

Vomitus autem omnino cautè est movendus, præsertim in ipso paroxysmo epileptico. Ex violento enim illo motu magis repletur caput & obstruitur: unde apoplexia non raró causatur. Contra non ita periculosè procuratur vomitus, ubi certò sci- Vomitus.

mus,

mus, ex ventriculi repletione ac ingluvie epilepsiam esse ortam. Tum enim per vomitum solet solvi accessio: & *sale Vitrioli vomitorio* recentem aliquando epilepsiam curari, tertio, vel saltem quarto quoque die exhibito, habet River. *Prax. Medic. cap. 5. p. 28.* ex Angelo Salâ.

Decoct. Ligni. In Epilepsia usum *Ligni* commendat Horst. *Oper. Tom. 3 p. 38.* ita tamen, ut cautè *coquatur*, vase tecto, ne spiritûs exhalent; deinde ex remanentiis fiat sal, cum decocto miscendus. Utitur etiam ejusdem Ligni *oleo*, per descensum facto. Idem, *Tom. 2. Obs. 21. pag. 90.* proponit *Emplastrum Cratonis*, capiti raso imponendum, in ipso paroxysmo, tale:

Emplastrũ Craton.

℞. *Succin. alb.*	*ambr. grys.* gr. vj.
thuris,	*mosch.* gr. iij.
mastich. ana ℥iß.	*sem. pæon.* ʒß.
galban.	*ladan.* ℥iß.
opopanac. ana ℈j.	*ol. nuc. mosch.* parum.
visc. quercin ℥ij.	*rosac.* q. s.

M. F. Emplastrum; cui adsperge *pulverem cubebar.* & suturæ coronali applica.

Opiatum. Sennertus, *libr. supr. citat. Pract. pag. 594.* in ipsius paroxysmi epileptici initio exhibet *laudan. opiat.* cum pauxillo *olei camphoræ* (camphora verò suspecta habetur apud Craton. *Consil. 75. pag. 203.* & *Epist. Scholz. 130. p. 228.* ut quæ humido radicali inimica sit, & maximè obsit iis, qui caput & ventriculum habent imbecillia) superdando aliquid de *aq. Epilept. Lang* & *syr. de pæon.* ex *qua*, & *sem.* ejusdem, *Sacculum* format, collo gestandum, præservationis gratiâ, Forestus, *libr. 10. Observ. 59.* De quo, & aliis, vid. etiam Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 303. c. b.*

Ova Coturnix. Epilepsiam, experimento certissimo Viduæ cujusdam, hoc remedio se suamq; familiam sustentantis, curari per exhibitum *Pulverem*, ex *ovis coturnicis* factum, testatur Illust. Domina de Windisch-

Windischgrätz. Exiccantur paulatim *ova*, ut in pulverem teri possint : de hoc exhibetur, pro dosi, ʒß. ℈ij. Sic provida natura ex eadem aviculâ, etiam, ut perhibetur, Epilepsiæ obnoxiâ, promit remedium. Sicut secundum Horst. *Oper. Tom 2. p. 334.* canis rabidi hepar alexipharmacum exhibet demorso: & scorpio à se inflictum vulnus sanat.

Guil. Fabr. *in Cent. Obs. fol. 220.* singulariter pro magno usu in Epilepsiâ commendat *Usneam*, sive *muscum, supra cranium hominis mortui enatum.* Colligit autem illum in cœmiterio, & dubitat, utrum supra suspensorum, & decollatorum, capita ille reperiatur, quia, propter tempestatis injuriam, nihil ejus adhærere posse, existimat. Propterea cavendum, ne, nescio quid, à carnificibus, loco Usneæ, emptum, ægris nostris exhibeamus. Qualis etiam solet deceptio contingere, dum axungiam Hominis emimus: ubi plerunque Canis pingvedinem Nebulones substituunt. Usnea.

Remedium contra Epilepsiam ex *Vitriolo* habes apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 506. ex Hartmanno.*

Schröderus, *in sua Pharmac. Med. Chym. l. 2. cap. 52. pag. 189. c. 6. a. num. 7. Elixir antEpilepticum* ex Cratone tale describit: Elix. ant-Epilept. Crat.

℞. *Ciner. cornic. juven.* *gran. tiliæ* ℥ij.
turturum, *stercor. leonini* ℥ß.
cran. human. calc. an. ℥j. Affunde *spir. vini* ad eminentiam trium dig.

Extrahe f. a. & è fecibus calcinatis fac *salem*, & adde prioribus. Postea adde *vini Malvat.* tantundem (cum spir. vini) & *sacchar. cand.* ℥iiij. Dosis cochl. ß. j. ij.

Antonius Cortusus, apud Crat. *L. 4. Epist. f. 416.* experimentum tale profert: ℞. *Panem albissimum ex furno calentem, destilla eum per cucurbitam vitream: liquoris destill.* ℞. ℥iiij. *dentis majoris lupi pulv.* ʒiß. *M. & exhibe Patienti.* Nota, Chymicum quendam, perceleberem Impostorem, mirè gloriari, in hoc af-

Oleum panis. fectu, de *Oleo* suo *panis*: quod cùm ego viderem, non potui quidquam aliud judicare, quàm illud ad hanc normam simpliciter destillari. Neque enim habuit formam Olei, sed potiùs Essentiæ, vel Liquoris simplicis, crustam panis assam odorere præsentantem.

Pulv. niger. Hîc locorum à Matronis, & Obstetricibus maximè decantatus est *Pulvis niger*: qui sic paratur: ℞. *Rad. diptamni, pæoniæ, visci quercin, in carbones ustarum* v. g. an. ℥j. *Carbonum arboris tiliæ, C. C. usti præp. myrrhæ, semin. rapar. summitat.* vel *seminis arbor. tiliæ* (Lindengipffel) *flor. pæon.* ana ʒiij. *geranii, flor. papav. errat.* ana ʒij. *herb. C.B.*ʒj. Pulverisat. omnibus adde *fol. Auri* n. vij. Detur infanti, in primo balneo, ℈j. cum *melle rosato*: adultis ʒß. ℈ij ad ʒj. pro *præcavenda* Epilepsia. Conducit etiam in expellendis variolis.

Pulv. Ægagropil. Epilepsiam gravissimam, in puella jam nubili, Augustæ Vindelicorum à celebri Empirico, solo *Ægagropili Pulvere*, aliquoties exhibito, perfectè curatam, postquàm integro quadriennio omnis Medicorum opera frustra fuisset, refert Georg. Hier. Velschius, *dissert. de Ægagropil. f. 58.* Datur verò hic Pulv. ad gr. xij. vel xv. imò & ad ℈j. ex *aq. cerasor. nigr.* aut *flor. tiliæ*, cum *syr. fl. pæon.* mixtâ. Credibile verò, omnibus capitibus affectibus mederi posse, quia ex doronico, & montanis herbis odoriferis, cephalicisque generantur; ipso Authore pereruditè sic docente.

Forma. Epilepsiæ *forma* multiplex est: in quibusdam enim unum tantùm membrum; in aliis totum corpus concutitur. Rarissima videtur esse talis, ubi omnino nulla conjungitur convulsio. Talem autem dari, ex Celso asserit Barthol. Turrianus, *in Buliatria l. 4. f. 178.* Oportet verò tunc adesse singularia capitis malè affecti signa, cum nonnunquam prægressa epilepsiâ. Conf. Sennert. *Lib. 1. Pract. p. 592. c. b.*

Velum obducendum faciei, quale. Ubi *facies* in Epilepticis paroxysmis *deformis*, & *astantibus horrenda*, & nonnunquam etiam *noxia* apparet, *velum ei obducere*

sole-

ſolemus: ſed cavendum, ne illud nigrum ſit. Offenduntur enim ſic, ut ait Illuſtriſ. quædam Virgo Epileptica, Viennæ, oculi, ob vaporum tetricorum ſimilitudinem. Præſtaret itaque, candidiore velo caput tegere. Quod rationi non videtur diſſonum, in *hyſtericis* epilepticis; ubi aliqua ratio permanet: ut *ſupra* dictum. Hyſterica ſuff.

Ubi, inſurgente naturâ ad expellendum noxium, Epileptici inſultûs aliquando videntur atrociſſimi, ſtatim deſperandum non eſt, ex ratione, quæ peti poteſt ex Hippocr. *libr. 2. aphor. 27. His, quæ non cum ratione levant, non oportet fidere; neq; multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt. Plurima enim horum ſtabilia non ſunt, neq; valde durare, neq; diu permanere conſuevêre.*

Quicunque juvenes morbo Comitiali laborant, mutatione potiſſimùm ætatis, locorum, & victuum, liberantur. Hipp. l. 2. aph. 45.

Quibus ante pubertatem Epilepſia fiunt, mutationem accipiunt; quibus verò anno vigeſimo quinto fiunt, fere comitantur ad mortem uſque. l. 5. aph. 7.

Aſſiduis imbribus &c. fiunt Epilepſiæ. l. 3. aph. 16.
Vere Epilepſiæ fiunt &c. l. 3. aph. 20. etiam Æſtate. l. 3. aph. 22.
Adoleſcentibus Epilepſia &c. l. 3. aph. 29.

Convulſio.

APhoriſmum 49. l. 6. exponens Galenus, *Laborantes*, inquit, *Podogrâ, nunquam tentari convulſione.* Contrarium expertus ſum in Senatoris cujusdam Viennenſis famulo, Daniele Scholtzio. Idem negat etiam Foreſtus, experientiâ quoque ductus, *L. 10. ſ. 744. Obſ. 104.* Convulſio.

Quòd convulſionis cauſa non ſemper ab inanitione, vel repletione, deducenda ſit, ſed nonnunquam (imò plerumque; ſi non ſemper) à venenoſa materia ſeu ſpiritu, nervos vellicante, & peculiari virtute eos affligente, proveniat, pulchrè docet Horſt. *Oper. Tom. 2. p. 12. c. 4.* ex Avicenna, *libr. 3. fen. 2. cap. 5.* Cauſa.

Idem videre est *in Epist. D. D. Jacobi Eckoldi, Med. Memming. ad Horst. datâ, Oper. Tom. 2. p.* 122. 118. ubi ait: *fieri non posse, ut materia, nervos distendens, tam citò possit discuti, & hinc paroxysmi solvi. Verisimile autem esse, vaporem aliquem tetrum, nervoso generi, fibris, & animali spiritui infensum esse, qui vellicando nervos & musculos, ut fugiant adversum, moveri inordinatè cogat.* Vid. Thom. Erast. Disputation. de Convulsion. ex professo.

Pituita. Riverius verò, postquam, *Prax. fol. 65.* puræ Convulsionis causam *pituitam* esse, ait; & nullam sibi sufficientem differentiam reperit, inter convulsionem & paralysin, quæ ex humore simili proveniunt, neque à Gal. & Hipp. libenter discedit, nec Recentioribus assentari cupit; excogitavit tandem, ut se è tantis difficultatibus extricaret, aliquam differentiam, & ait: Convulsionem provenire à *pituita*, pluribus *flatibus* permixta; Paralysin verò ex pituita pura. Et sic, præter voluntatem, cum Recentioribus videtur concludere, cum Erasto scil. Platero, Sennerto, & Horstio, qui omnes, pro causa convulsionis, allegant *spiritum flatuosum*; non quidem cum multa pituita mixtum, nec simplicem; sed peculiari vi nervis inimicum. Aliter certè Convulsionis modus explicari non potest.

Castoreum. In omnibus medicamentis hîc cum *aq. salv. aureâ* addere *Castoreum*, ejus *Essentiam*, *Extractum*, *Spiritum*, Sennertus jubet, *L. 1. Pract. f. 568. 570. 574.* Conf. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 34. c. a.*

Causa maligna. Ligaturæ. In *Convulsionibus*, plerunque ex *causa occulta & maligna* oriundis, commodè utimur *Ligaturis*, ut revellatur materia maligna à corde & cerebro: In *Spasmo*, Convulsionis specie, Germ.

Spasmus. Vincula. der Krampff/ Armillas, Cingula, & Vincula facimus è *corio humano*, etiam per modum occultum agente: eaque prodesse, docemur experientiâ; auctoritate etiam Petri Blandini, apud Guil. Fabr. *in Cent. Obs. f. 527.* Itaque talia non superstitiosè gestantur à plurimis contra spasmum. In *Spasmo*, convulsionem imitan-

imitante, epilesiam minante, confice *salem ex stercore pavonum*, & exhibe sæpius. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 513. ex Quercet.*

Experimentum D. D. Joannis Fabri, Bavarici quondam Provincialis Medici Celebris, Landishuti; hoc est: ℞. *Anserem pingvem, ad coquendum paratum, imple ejus ventrem axungia can.* ℥iij. *herb. chamap. hyssop. rorismar. flor. chamamel. lavend.* an. Mj. *castor.* ʒij. *terebinth. mellis* an. ℥j. *Clauso ventre assetur in veru, supposito vase, cui immitte aliquid vini albi: pinguedo defluens servetur.* ℞. *Salis com. M. j. coq. cum vino & aq. pro lavacro pedum; deinde inunge pinguedinem.* Simile quid legitur apud Forest. *L. 10. f. 743.* Experimentum.

Ego præcipuum, & præservans quidem remedium *Spasmi* esse experior exactiorem *Diætam*, & quidem talem, quæ flatibus generandis ansam non præbet. Sic enim proxima ejus causa prævertitur, flatûs scil. musculorum cavitatibus sese insinuantes, & cum dolore maximo membra contorquentes: qui ipsi flatûs etiam causantur à refrigeratione membri, inter dormiendum detecti; propterea noctu corpus benè tectum sit. Diæta.

Febrim Convulsioni supervenire, melius est, quàm Convulsionem febri. Hipp. l. 2. aph. 26.

Si cui Convulsione, aut distentione nervorum detento febris superveniat, morbum solvit. l. 4. aph. 57.

In febribus acutis convulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. l. 4. aph. 66.

In febribus per somnum pavores, aut convulsiones, malum. l. 4. aph. 67.

In febribus spiritus offendens, malum; convulsionem enim significat. l. 4. aph. 68.

Convulsio ex helleboro, lethalis. l. 5. aph. 1.

Convulsio ex vulnere, lethalis. l. 5. aph. 2.

Sangvine multo profluente, convulsio, aut singultus, superveniens, malum. l. 5. aph. 3.



A purgatione superflua convulsio, aut singultus, superveniens, malum. l. 5. aph. 4.

Si quispiam ebrius repentè obmutescat, convulsus moritur; nisi febre corripiatur; aut, quâ hora crapula solvitur, vocem recuperet. l. 5. aph. 5.

Qui nervorum distentione corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; si hos effugerint, sani fiunt. l. 5. aph. 6.

Est tamen, ubi, in nervorum distentione, sine ulcere, juvene bene carnoso, æstate media, frigida larga profusio caloris revocationem efficit. Calor autem hæc sanat. l. 5. aph. 21.

A quartanis correpti non adm. convulsione tentantur; si verò priùs tentati fuerint, & quartana supervenerit, liberantur. l. 5. aph. 70.

Convulsio fit aut à repletione, aut ab inanitione: ita singultus quoque. l. 6. aph. 13.

A vigilia convulsio, aut delirium, malum. l. 7. aph. 18.

A medicamenti potione convulsio, lethalis. l. 7. ahp. 25.

In morbis melancholicis periculosi humorum debitus convulsionem denunciant: &c. l. 6. aph. 56.

Ab Ileo convulsio, malum. l. 7. aph. 10.

Helleborus periculosus sanas carnes habentibus: convulsionem enim inducit. l. 4 aph. 16.

Frigidum verò convulsiones, nigrores, & rigores febriles, &c. l. 5. 17. & 20.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorsali medulla; calidum verò amicum. l. 5. aph. 18.

CAP.

Caput III.

De Capitis Dolore.

D*Olorem capitis* explicat fusiùs Horst. *Oper. Tom. 3. p. 18. & seq.* [Helmontius *dolorem capitis fieri, infert, si Archeus Duumviratûs, in furorem actus, cerebri meninges efficiat.*] Capitis dolor: ex percussion.

Forest. *l. 9. obs. 32. & 33. in schol.* in *dolore Capitis ex Percussione* summè laudat *Ung. de alabastro*: quod *ibidem* quatuor modis conficit. Ab *Augustanis* idem commendatur promiscuè in omnibus *Capitis Doloribus.* Idem Forest. *loc. cit. obs. 51.* se servum suum, & alios multos, clam suppositâ *Verbenâ* contusa ad nucham, curasse, ait, ad miraculum usque. Confirmatur à Sennerto, *L. I. Pract. part. 3. sect. 1. cap. 3. f. 745.* Insigne specificum, intus & extra usurpatum, *verbenam* etiam nominat Phil. Müller. *in miracul. & myster. Medico-Chymic.* Camerar. *in histor. heder. arbor. hujus folior. & nucl. Persicor.* ana num. x. contundit & coquit parum in *acet. rosac.* ℥iij. & *ol. rosac.* ℥iß. ad Cataplasma, fronti & temporib. applicandum.

Est Cephalalgiæ species, Bavaris das Hauptbör dicta, quæ nonnullis superstitiosa videtur; quòd illam comitetur futurarum divaricatio: & superstitionem arguit etiam modus curandi; quo, nescio quibus, ceremoniis mensuratur, & tandem circumligatur caput. Potest tamen, sepositâ superstitione, dolor aliquis esse tantus, ut hinc factâ solutione continui (doloris causâ proximâ) *futura distendantur & dehiscant*: talisque dolor fasciis arctioribus curari postulat. Sennert. *Libr. I. Pract. fol. 738.* Cephalalgia: Hauptbör. Suturarum dehiscentia.

Cur communiter, & multò sæpius, anterior pars capitis doleat, quàm posterior, rationem innuit Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 273.* ubi de eo dolore loquitur, qui *per consensum* contingit: quia meninx reduplicata circa frontem venas & arterias plures habet, ad quas vapores ascendentes copiosiùs recipiuntur. Oportuit Cur frequentiùs doleat sinciput, quàm occiput.

tuit autem ibi plura vasa componere. Copiosius enim ibi, & grandius est cerebrum: majoriq; proin nutrimento indiget, &, per consequens, vasis nutrimentum deferentibus.

Syncipite dolemus, & ibidem citiùs sudamus, quia meningum partes suturis immiscentur, & vaporũ copiâ aliquando vellicantur & distenduntur: ut ait Neucranz, *de Purpura, fol. 180.*

Crato, *L. 4. Epist. f. 437. Fiunt*, inquit, *dolores capitis plerunq; per consensum, & in fœminis præsertim ventriculi, & uteri. Quando per consensum ventriculi; tum dolet ferè pars anterior: quando uteri consensu, dolet posterior.* Ratio ex Anatome petenda, quæ docebit, vasa, spinæ dorso incumbentia, recipere exhalationes ab utero; & sic posteriorem partem capitis dolere: ventriculum verò rectâ per sternum, & intra præcordia, per jugulares venas evaporare; unde dolor capitis anterior.

per consensum.

Biliosus.

In *bilioso* capitis dolore Frambesarius, *Consf. Med. f. 147.* fronti applicat *conservam nymphaæ*, cum *ung. populeon.* contrarium causæ morbificæ remedium: licet nostris Practicis inusitatum sit, conservas cum ungventis miscere. Forestus verò, *L. 9. Obs. 26. in schol.* in eodẽ affectu admovet *oxyrrhodinũ* ex *aloes* ℥ß. *farinæ fabar.* ℥ij. *olei rosar.* q. s. & *acet.* parum: idq; similitudinis ratione, ut biliosum humorem attenuet, & attenuatum foras eliciat. Hoc quadrat in principio: illud in morbi progressu. Utrumque sic expertus sum non inefficax.

Nodulus ad nares.

Ubi caput *per consensum* dolet, ad reprimendos illos vapores, naribus crebrò objicit talem *Nodulum* Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 33.* ℞. *Majoran. fl. anthos*, ana ʒß. *n. moschat. macis, sem. nigellæ* (quod appropriatum capiti) ana ℈j. *camph.* gr. j. M. F. Pulv. & ex eo Nodulus.

Hippocr. *L. 5. aph. 68. Cui*, inquit, *postica pars capitis dolet, huic in fronte vena secta prodest.* Sed cautè cum apertione hujus venæ procedendum, ac non, nisi prægressâ corporis purgatione: atque ubi caput dolet non per sympathiam, sed per idiopathiam.

pathiam. Aliàs vel saltem nihil juvabit, vel etiam visum & loquelam destruet. Historiam talis facti narrat Guil. Fabr. *f.399.* ubi rationem pulchrè insinuat: attractam scil. esse ab inferoribus partibus, non purgatis, cacochymiam ad superiora.

In affectibus capitis dolorificis, ubi *Purgatione* opus est, plerumque præscribimus *Pilulas:* unde vulgatum illud: Haubtpilulen: quasi medicamentum in forma solida validiùs à partibus remotioribus & capite attraheret, quàm in liquida. Ratio esse potest, quia medicamentum solidum diutius hæreat in ventriculo, adeoque plus temporis attrahendi habeat, & distribuendi suos spiritûs, per quos præcipuè agit. Sed multi in iis exhibendis nimis sunt religiosi: dum alii manè; alii ante; alii post prandium, vel etiam cœnam, sumunt. Joh. Rudolph. Salzmannus, apud Guil. Fabr. *loc. cit. f. 256.* laudat *Pilulas cephalicas*, horis duabus à parca cœna propinatas: & ita, experimento se habere, ait, dimidiam dosin, circa horas vespertinas, sine molestia majorem habere efficaciam, quàm integram manè sumptam. Conf. Hier. Mercurial. *de Oculor. affectibus, pag. 23.* & *de morb. cutan. cap. 4. pag. 27.* it. Benedict. Victor. Faventin. *Empiric. cap. 2. de Epilepf. pag. 27.* & Fuchs. *de compos. medicamentor. libr. 3. cap. 9.* Nostris hoc consvetum est in *Pilulis Francofurtensibus*: de quibus, si ex sola *aloë*, cum *succo violarum* insuccatâ confectæ sint, non immeritò quis mirari possit: cur unus scrupulus aliquando tam copiosè alvum moveat, ac justa dosis electivè purgantium.

Pilulæ Cephal.

Pil. Francofurt.

Elegans *Pil. Cephalicarum* descriptio reperitur in Minsicht. Armament. *pag. 143.* quibus in Aulâ Cæsereâ frequentissimè usus sum, à ℈j. ad ʒß. Sic autem ab Authore componuntur:

Pil. Minsicht.

℞. *Scammon. rosat.* vel *resin.*	*tartar. vitriolati,*
scammon. ʒiij.	*spec. diambr.* ana ʒß.
extr. pil. cochiar.	*ol. succini d.*
helleb. nigri, ana ʒiß.	*major. d.* ana ℈ß.

M. cum *ol. fœnicul.* q. s. fiat Massa.

D Eodem

Eodem modo uti possumus *Pilulis Classii, Weibelii, Marocost. Tartareis, de Succino Craton.* Sed de Pilul. Francofurt. *infra*, suo *loco*, ubi simul suspitio habetur, ne aloë non parva quantitas diagrydii admixta sit.

Arteriæ incisio. *Arteria incisio* admittitur in *Cephalalgia diuturna per essentiam*, à variis Auctoribus, Mercato, Fernelio, Paræo, Marcell. Donato, & Riverio, tanquam præsentaneum & minimè periculosum remedium: siquidem sangvis hic prorumpens, quod maximè formidatur, facilè in arteriis, præsertim minoribus, supprimatur Gal. *Emplastro* apposito ex *bol. Armen. thure, mastiche, pilis leporinis*, & *ovi albumine.* Imò *Prosper Alpinus*, apud Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 22. c. b.* hanc tam familiarem Ægyptiis fuisse, asserit, quàm nobis est simplex venæ incisio; in capitis præsertim, & oculorum vitiis. Statim autem, post effluxum sanguinis sufficientem, digitis fortiter compressit vulnus, & superposuit denarium æneum, vel plumbeam laminam, ut pondere deprimeretur, & cohiberetur arteria à pulsu; frigiditate verò retrocederet sanguis fervidus: qualis deligatio etiam in improvida *arteriæ incisione* locum habere potest. Vid. River. *Pract. Med. cap. 10. p. 45.* & *comm. Obs. 31. pa. 418.*

Riolanus, *fol. 143.* ex Valæo monet, arterias per ligamentum fortius, ante V. S. à Chirurgis brachio applicatum, motum suum perdere posse. Propterea ante ligaturam rectè suadet, explorare manu pulsum, ut evitetur imperita arteriæ apertio.

Quæstio, de *aperienda arteria*, studiosè tractatur à Marco Aurelio Severino, *de Efficaci Medicina, part. 2. Chirurgia efficacis, statim in princ.* Et tandem, cùm ipsi durum videretur, arteriotomiam non admittentia argumenta convellere, concludit; arterias majores, è Galeni providentia, *L. de cur. ration. per sang. miss.* aperiendas non esse, sed minores: quod omnes facilè ipsi, Sangvisugæ. & ultrò, concedent. Tutius autem eas ipsas per *sangvisugas*, quàm ferrum, aperiri, rationi & experientiæ consonum est. Neque

que

que Galenus aliter patrocinatur Severino; cui, Galeno scil. occasio aperiendarum, *eodem lib. cit. cap. 22.* somnium fuit. Egregia scil. ratio, quâ, ad tam difficilem operationem inductum se esse, asserit. Conf. Horst. *Oper. Tom. 1. Disp. 18. pag. 327. 330. Tom. 2. pag. 431. & Tom. 3. pag. 22.*

Hieron. Fabric. ab Aquapendent. *in Operat. Chirurg. fol. 343. venarum ora non difficulter aperiri*, ait; *arteriarum verò aut nequaquam, aut maximâ cum difficultate: quia ateria corpus durum est, & ora adstricta sunt: tum verò arterialis sangvis evacuatione non indiget; cùm rarò quantitate, aut qualitate, peccet, ut venarum sangvis. Ideo natura eum, quasi thesaurum, sibi conservat.* Hinc concludendum, arteriam neque arte secandam; quia natura ipsam non aperire tentat. Venarum ora.

Cùm artificiosæ incisionis arteriæ hîc mentionem fecerim, placet, quædam de *Anevrismate* subjungere. Si itaque, per imperitiam Chirurgi, contingat, ut, loco venæ, vulneretur arteria, sangvis, saliendo prorumpens & floridus, non statim cohibendus; nisi tumor, & arteriæ dilatatio, jam præsens fuerit: & affectus hic difficillimus vulgari modo, ut tumores reliqui, non est tractandus, ad cohibendum fluxum. Emollire enim tumorem non licet, ne causetur ulterior dilatatio, & sequatut gangræna: multò minùs incidere; ne, unâ cum arterioso sangvine, spiritus vitalis, atque adeò ipsa vita, effundatur. Si in principio itaque Medicus vocatus, vel ipse apud errorem præstò fuerit, sangvinis fluxus protinus, ut dictum, cohibendus; & partibus circumjacentibus *defensivum* applicandum; ipsi autem vulneri adstringentibus valentioribus est succurrendum: mitioribus autem, si tardiùs ad curam accesseris: non omissis universalibus. Confer. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 430.* Anevrisma.

Riverius, *Prax. tom. post. fol. 91.* exempla refert anevrismatis *interni*, quod ad pugni magnitudinem accrevit; ubi dilatata tunica ossis, vel saltem cartilaginis, duritiem induit. Propterea, Anevrisma internu.

 si tale

si tale quid in Anatomia acciderit, non credendum, lusum quendam esse naturæ, vel novi ossis p. n. generationem.

Anevrismatis curatio. Exemplum feliciter *curati Anevrismatis* vidi Straubingæ in Bavar. An. 1636. D.D. à Kornmann. provinciæ Bavaricæ id loci celebri Medico, Collegâ quondam meo, hoc modo:

Cataplasma.

℞. *Thuris*,	*hypocist.*
mastich. ana ℈ij.	*malicor.*
balaust.	*gallar. immatur.* ān. ℈j.
myrtyll.	*flor. rosar. rubr.* ℈ij.
acacia, Cum	*alb. ov.* F. Cataplasma,

statim tumori applicandum: dein appone *laminam plumbeam.* Pòst

Emplastrū.

℞. *Rad. bistort.*	*summit. cupress.*
consol. maj.	*bacc myrti*,
cynogloss.	*malicor.* ana ʒß.
sigill. Sal. ana ʒj.	*mumia*,
flor. rosor. rubr.	*sang. dracon.*
ligustr.	*sarcocoll.*
chamamel.	*mastich.*
melilot.	*myrrh.*
balaust.	*thuris*, ana ℈j.
fol. hedera arb.	*croci Martis* ℈ß.
sem. perfoliat. an. ℈ij.	

F. omnium Pulvis subiliss. ter *aceto rosaceo* irrorandus, & rursus siccandus & terendus, ut per cribrum trajici, & cum *ol. mastich. cerâ* & *tereb.* in Emplastrum redigi possit: quod satis latè supra plumbum applicetur. Tandem hoc *Epithemate* fasciæ madefiant, iisque tepidè totum brachium involvatur:

Epithema.

℞. *Aq. bursa pastor.*	*croci Martis*, an. ʒj.
plantag.	*litharg.* ʒij.
sperm. ran. aut *rosa.* ℔ß.	*alb. ovor.* n. vj.
alum. crudi,	M. ad fictile.

Com-

Compendiosiùs fortè *curatur Anevrisma*, si statim in principio applicetur *magisterium opii*. Sic enim, ait Horst, *Op. Tom. 2. l. 9. Obs. 12. pag. 446.* sistetur sanguis, saltu prorumpens, ad miraculum usque. Eundem effectum habet *compositum Sperniolæ*; cujus idem, *loc. cit. Observ. 1. pag. 430.* mentionem facit: descriptionem autem habet Crollius, *in Bas. Chym. f. 328.* Magist. opii. Compos. sperniolæ.

Anevrisma differt à *Sugillatione*, quam Græci *Ecchymosin* vocant, quòd sangvis extra vasa sub cutem non feratur, sed ex arteriæ dilatatione tumor fiat, nonnunquam ovum gallinaceum magnitudine æquans, & tangenti cedens, sangvine scil. in arteriam repulso. Et talis quidem dilatatio absurda videri non debet, cùm & *venæ, Hæmorrhoidales* præsertim, ut Practici sæpius observant, in magnum aliquando tumorem attollantur: quæ venæ tamen unicâ tantùm componuntur tunica, ad dilatandum non tam apta, quàm duplex arteriarum. Suggillatio. Hæmorrhoides.

Pro *curatione* commodè utimur *Ungvento de linariâ, oleo ovorum, cydonior.* & *mastichin.* item *spongiâ* mitioribus adstringentibus ebriâ applicatâ. (Vid. Horst. *Oper. Tom. 2. Obs. 16. lib. 5. p. 279. c. a.*) item *ol. momordicæ*, ex Craton. *Epistol. Medicinal. 122. pag. 218.*

Guil. Fabric. *fol. 220.* & *seq.* in *curando anevrismate* sæpius purgat corpus, diætam optimam instituit, locoque affecto continuò gestandum applicat *Empl. de cicuta.* Cùm advertit, tumorem minui, mutat emplastrum, & applicat *diapalma* cum *mastich. rosis, myrtillis, rad. symphyt. maj.* &c. Emplastra:

Anevrisma internum *mortis repentinæ* causam esse posse, testatur Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 431.* idque sæpius fieri in ebriis, currentibus, parturientibus, in iis etiam, qui curam luis Venereæ sæpius sustinuerunt: ubi scil. sangvis, ob violentiam motûs, vel medicamenta nimis calida, ita inflammatur, ut arteriam nimium attollat; quæ tandem aperitur, rumpitur, & sangvinem in cavitatem aliquam corporis, una cum vita, deponit. Et qui sic moriuntur, dicuntur, ob ignorantiam causæ, apo- Prognosticum:

plexiâ, catarrho suffocativo, veneno, &c. Hîc occurrit, cum Daniel. Sennerto, *Libr. 3. Practic. partis 3. capit. 5. pag. 451. & ibid. part. 5. section. 1. capit. 3. pag. 515. ex Marcello Donat. de histor. Med. mirabil. libr.* 4. *cap. 8.* conquerendi occasio, de neglectâ, imò, Medicis etiam petentibus, plerumque prohibitâ corporum, sine cognitione veræ causæ extinctorum, Anatomiâ: quasi, hac administratâ, cadaveri, & ipsi etiam domui, & familiæ, injuria quædam fieret. Sic autem multa manent abscondita, quæ ad cognitionem morborum perspicaciorem plurimum valerent, & multis postea ægris feliciùs curandis inservirent. Aliter agitur, & quidem prudenter, in multis Germaniæ Provinciis, ubi, urgentibus Medicis & Chirurgis, etiam Magistratus præcipit apertionem corporum; quamvis non rarò invitis hæredibus. Sic quoque Medici docti sæpius famam tuerentur à calumniis; indocti verò, & qui exercent artem, quam nunquam didicerunt, erroris sui perpetrati convincerentur, antequam eum terra tegeret; & cum infamia, vel, pro gravitate delicti, sufficienter multati, dimitterentur.

Anatome neglecta.

Quibus per febres urina perturbata, quales jumentorum, iis capitis dolor vel adest, vel aderit. Hipp. l. 4. *aph.70.*

Dolenti partem capitis posteriorem, rectà in fronte vena secta prodest. l. 5. aph.68.

Capite laboranti, vehementerq; dolenti, pus, vel aqua, vel sanguis, per nares, aut os, aut aures, effluens, morbum solvit. l.6.aph.10.

Qui, bene valentes, capitis doloribus repentè corripiuntur, & protinus muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt; nisi febris eos apprehendat. l. 6. aph. 51.

Si æstas sicca & aquilonia fuerit; autumnus verò pluvius & austrinus; dolores capitis hyeme fiunt, &c. l. 3. aph. 13.

Austrina constitutio caput gravat, &c. l. 3. aph. 17.

Hyeme cephalalgiæ fiunt, &c. l. 3. aph. 23.

Suffitus

Suffitus aromatum muliebria ducit; ad alia verò multa utilis esset, nisi capitis gravitatem induceret. l. 5. aph. 28.

Lac dare caput dolentibus, malum &c. l. 5. aph. 64.

Caput IV.

De Vulneribus Capitis.

Vulnera capitis non statim consolidanda esse, prudenter suadet Horst. *Oper. Tom. 2 libr. 2. Observ. 8. p. 64.* Latet enim aliquando ipsius cranii fractura: tuncque vulnus potiùs dilatandum, atque ubi, sub fracto cranio, purulenta quædam materia apparet, ore cohibito, per nares fortiter expirandum, ut ita exitus paretur materiæ. Capitis vulnera.

Utrum autem *cranium fractum* sit, licebit explorare per filum sericum: cujus extremitatem alteram nodatam immittat in os Patientis, ut hic eam dentibus compressis teneat; alteram extendat manu suâ Chirurgus, & pulset tanquã chordam. Tum enim, si *fractum* est *cranium*, de dolore magno statim conqueretur Æger, propter commotum filum, & sonum, quem molestissimè fert, ratione continuationis partium, & ingredientis aëris ad membranas cerebri, qui eas distendit. Sin fuerit calvaria integra, nihil dolebit Æger. Est experimentum, quod primò vidi Salisburgi An. 1635. monstrante ejus loci Chirurgo celebri, D. Kirchover. De quo tamen experimento dubitat Sennert. *L. 1. Pract. part. 1. cap. 23. fol. 161.* ex mente Ambr. Paræi, *libr. 9. c. 2. Oper. Chir.* scribentis: Ejus tamen signi veritatem se nondum potuisse experientiâ comprobare, etsi in multis tentaverit: & in hoc casu Alexander Benedictus, *libr. 1. de medend. morb. cap. 5.* valde commendat hoc *Emplastrum*: Fractura cranii.

℞. Gum-

℞. *Gummi hederæ* ℥iij.
resin. purgatæ ℥ß. (alii habent ℥iiß.)
ceræ ℥iij.
ol. rosat. ℥iiß.
ammoniac. ℥ij.
terebinthinæ ℥iij.
succi corymbor. hederæ ℥iiij.
farin. fabarum. q. s.
M. F. Emplastrum,

Autori *Cerotarium ex lacrimâ hederæ* dictum, ad ferruminanda fracta calvariæ ossa, doloremq; ex fractura subortum leniendũ decantatissimum. Confer Forest. *libr. 9. Obs. 35. in schol.* Sennert. *d. l. cap. 20. pag. 139.* Animadvertendum tamen, similia justo diutius non esse in capite relinquenda, ne, fœtore ex putredine contracto, plus noceant, quàm prosint. *Emplastri*, vel *Cerati de Betonicâ* descriptionem vid. in Pharmacop. Augustan. *suo loco.*

Quanta adhibenda sit diligentia in *curandis capitis vulneribus*: & *qua'ia* secum ducant *symptomata*; *unde* etiam illa proveniant, pulchrè docet Horst. *Op. Tom. 2. libr. 2. Obs. 1. pag. 55. & seq.* *Sartaginem carbonibus impletam* applicat vulneribus capitis, inter deligandum, ne ab injuria aeris frigidioris lædantur, Guil. Fabr. *fol. 384.* Idem fecisse recordor Albertum Menzelium, Professorem Medicum celeberrimum Ingolstadii, Præceptorem quondam meum honoratissimum: Qui præterea in curatione talium vulnerum tam fuit sollicitus, ut laminam ferream calefactam vulneri applicuerit, ne ob frigus externum cerebrum aliquid mali pateretur. Idem Fabric. *fol. 202.* & *392.* *Sacculum* in *aquâ* coctum ex *majoran. betonic. roremar. chamæmel. rosis* &c. detecto vulneri applicat, in eundem finem; & ita simul sangvinem, si fortè sub cranio lateret, ad exteriora evocat, & exiccat.

Vulnera capitis tardè sanantur.

Vulnera capitis *simplicia*, ubi nimirum certi sumus, cerebrum neque vulneratum, neque violenter commotum, neque calvariam fractam, vel fissam, vel depressam esse, tutò quidem curari possunt; tardè tamen coalescunt, propter frigidum os proximè substratum, & læsum plerunque periostium. Exemplum

plum vidi Ingolstadii, Anno 1632. in Signifero juvene Excellentissimi Herois Joann. de Wert &c, cujus vulnus grande, inflictum collo, ad vertebras usque, citiùs curatum fuit & consolidatum, quàm aliud exiguum propè suturam coronalem.

Guil. Fabr. *fol. 201.* postquam circumcirca abradit capillos, & vulnus abluit *decocto* aliquo *cephalico*, ossi denudato imponit *filamenta sicca*, idq; tandiu, donec tegantur carne; vulnus autem reliquum *suo digestivo* implet, & sic mundificat; tunc imponit *empl. Basilic.* totum verò caput, si necesse est, *oleo rosaceo*, & *de betonica*, inungit. Nota verò, ex eodem, *fol. 202.* & *392. unguentum digestivum* non in omnibus vulneribus, & semper, ac toto curationis tempore esse applicandum, sed tamdiu, donec vulnus mundificatum fuerit: tuncque digestivo addendum aliquid de *sarcoticis*, v. g. *rad. caryophyl. iridis, aristoloch. rot. myrrhæ, thuris* &c. *cum melle rosato*. Idque in omnibus vulneribus est observandum. Ung. digestiv.

Methodicam capitis vulnerati, simul cum fractura cranii, curationem vide apud eundem, *f. 402.*

Hùc spectat, quod Frambes. *in Can. & Consf. Med.* observat, *fol. 622.* & *seq.* Ubi os comminutum est, ita, ut, partibus exemptis, quæ coalescere non possunt, spatium aliquod inter os unum & alterum relinquatur; tunc cave, ne modo vulgari, ut in fracturis communibus, procedas, ne gangrænam concites: sequere ergò methodum *loc. cit.* Fractur. Calvar.

Guil. Fabr. *fol. 23.* postquam ait, non omnia vulnera cerebri, ubi etiam particula ejusdem abscinditur, esse lethalia, subjungit; nihilominus magnam difficultatem parere, in cerebri meningumque vulneribus, excrescentiam illam spongiosam, quam *Fungum* appellamus; & fit duplici ratione: I. cùm, exemptâ particulâ cerebri, & durâ matre læsâ, statim humores circa plagam affluunt, & externâ frigiditate condensantur, inque tumorem attolluntur: II. vel cum, durâ matre læsa, pia per fla- Fungus Cerebri.

tum extenditur, propter cerebri calorem imbecillem, qui, cùm in materiam, quæ affluxit, agere cupit, flatum excitat. Is *Fungus*, ut & prior, in momento quasi generatur, & tardissimè recedit: nullis autem *corrodentibus* vult attingi; sed multò mitiùs tractari: v.g.

℞. *Fol.* & *flor. betonicæ,*
salviæ,
chamamel.
melilot.
flor. rosar.
summit. majoran.
rorism. ana mj.
sem. anisi,
fænigr. ana ℥j.

Incisa, & in linteum intersutum inclusa coq. in *aqua* & *vino*: & sic cooperiatur calidè vulnus, & major pars capitis, donec refrixerit: tunc linteis siccis absterge vulnus, & ipsi, *Fungoq;* insperge hunc *Pulverem*:

℞. *Rad. caryophyll.*
angel.
calam. arom. ana ʒß.
aristol. rot.
rad. Iridis Flor.
ligni Gvajaci, ana ʒij.
flor. salv.
summit. majoran.
rorismar. ana p. r.

M.F. *Pulvis* subtilissimus: dein superpone ℞. *Emplastr. de Betonica* ℥iiij. *gumm. elem.* in *ol. rosac.* dissolut. ℥j. *pulv. rosar. myrtillor.* ana ʒj. *mastich. calam. aromatic.* ana ʒiß. Cum s. q. *ol. rosac.* F. Emplastrum His *Fungus* curari poterit intra quatuordecim dies.

Nolim tamen, tibi persuadeas, excrescentiam talem esse ipsius cerebri substantiam; quæ & ipsa quidem abscindi potest, sine hominis certo interitu: juxta *Obs. 13.* Guil. Fabr. *Cent. 1. f. 21.*

Quòd sit. sed additamentum aliquod, vel per humorum affluxum; ut antea diximus; vel per nutrimentum, quod parti debebat apponi, genitum, & in substantiam cerebro saltem similem, albam & spongiosam, conversum.

Quemadmodum videmus, maximè luxuriantem carnem

Fonticuli. adnasci abscissis membris; vel positis etiam *Fonticulis*. Ubi non semper credendum, hanc *carnem*, quam vulgus *sylvestrem* nominat,

nominat, G. Wild Fleisch/ vel mucorem etiam, ex ipsa fonticuli cavitate prodeuntem, provenire ab humore illo excrementitio, quem volumus evacuatum, & propter quem instituimus talia corporis emissaria; sed sæpius illud ipsum in materiam talem convertitur, quod, si pars integra esset, cederet in ipsius nutrimentum. Id quod probatur auctoritate Thomæ Fieni, *L. 1. de Cauteriis, c. 15. ap. Möllenbroc.* ubi, ob eandem causam, illos adolescentibus & pueris prohibet; quia ipsorum impediant incrementum: quod aliâ ratione fieri non potest, quàm quatenus partem alimenti absumunt. Et hinc etiam fit, ut nonnulli fonticulos gerant sine omni effectu. Cui meæ opinioni consentit etiam Primirosius, *l. 4. f. 538.* de illorum scil. vanitate: nec secùs de iis statuit jam dudum Albertus Bottonus, *de morb. muliebrib. cap. 34. prop. de Cauteriis:* ac noviter Helmont. cùm *Tract. propr. de Cauteriis*, tum *de Asthmat.* & *Tussi, p. 301.* De *Fungis Cerebri* ex Lang. *libr. 1. Epist. Med. 6.* vid. etiam Scholz. *Epist. Med. 60. pag. 89. 90.* Wild Fleisch.

In *locis palustribus* ulcera capitis celeriter curantur; crurum verò difficulter. Arist. *Sect. 14. Probl. 6.* Exemplo est, quòd Bononiæ, in Italia, vulnera capitis parva lethalia dicuntur: Romæ verò etiam majora minùs: contrà tibiarum vulnuscula Romæ difficulter; Bononiæ facilè curantur. Balduinus Ronsseus, *de Scorb. cap. 1. pag. 3.* Loca palustris.

Quomodo in vulneribus capitis, ubi calvariæ apertio necessaria est, vel ob ejusdem depressionem, vel materiæ, ossiculique latitantis præsentiam, commodè *Trepanus* sit administrandus, docet Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 56. 57. 58. 59. it. 64.* ubi monet, in fronte, si *Trepano* opus est, cutem per formam crucis non esse incidendam, ut aliâs fieri solet, ne palpebræ musculus lædatur, & sic ipsam ampliùs attollere non possit Æger. Vide etiam Frambes. *in Can. & Med. fol. 586.* ubi usum *Terebræ* graphicè describit. Trepanus.

Ex ictu capitis stupor, aut delirium, malum. Hip. l.7. aph. 14.

Quibus ex aliqua causa cerebrum concussum fuerit, eos repentè mutos fieri, necesse est. l.7. aph. 58.

Quibus dissectum est cerebrum, his febrem & bilis vomitionem succedere, necesse est. l. 6. aph. 50.

CAPUT V.

De Catarrho.

Catarrhi causa. CAtarrhi originem, sive causam antecedentem, in visceribus hæmatosi servientibus generari, ac tum primùm cerebro communicari, pulchrè demonstrat Horst. *Oper. Tom.2. libr. 2. Obs. 11. pag. 66.*

Helmontius *hic accusat custodes facultatis, quòd non ritè exequantur munus debitum, quòd nempe sordes atomorum aëris non eluant, à scopo scil. aberrantes.*

Catarrhi generatio. Frigus: Cerebri. De *Catarrhi generatione* bene discurrit River. *Prax. cap. proprio*; ubi allegat etiam illam similitudinem spongiæ aquâ turgidæ, quæ si comprimatur, humorem emittit: sic, ajunt, *frigus comprimere cerebrum*, ut catarrhi defluant. Si quis autem existimet, frigoris effectum esse, condensare potiùs, quàm resolvere, huic sapienter respondet idem River. verum esse, si frigus totum corpus ambiat æqualiter; secus, si partem tantùm unam, aëri aliàs expositam, humoribus refertam. Sed non hâc ratio-

Pedum. tione, pergit, solâ catarrhi contingunt. Etiam *pedibus refrigeratis* catarrhi fiunt, idque ob insignes nervos, qui à capite ad pedes deferuntur; per quos actuale frigus, per intima corporis, capiti communicatur, & illud sic debilitatur, ut ex retentricis imbecillitate cogatur humorem demittere. Tertiâ ca-

Pororum constipatio. tarrhi generandi ratio ipsi est *subitanea pororum constipatio.* Hinc primo autumni frigore maximè vigent catarrhi; quia æstate pori aper-

ri aperti, superveniente frigore, clauduntur: unde vapores & humores cerebro communicantur. Et quamvis tota hyeme pori sint clausi; non tamen tot catarrhosi. Fiunt enim, ob concentratum calorem, coctiones meliores, & quicquid catarrho materiam suggereret, per evidentiores vias, palatum, oculos, nares, alvum, vesicam, excernitur. Tandem Sanctorii diligentiam, in excretorum ponderatione, & transpirationis necessitate, unà mecum approbat.

Litterati catarrhis magis, quàm *alii*, sunt obnoxii: ideo, quia, multum meditando, plurimùm egent spiritibus animalibus; quorum consumptorum loco (siquidem natura de reparatione deperditi singulariter est sollicita) copiosè subministrantur vitales; quibuscum vapores & halitûs multi, qui in corpore abundant, per venas & arterias facilè in caput & cerebrum rapiuntur. Sennertus, *L.1. Pract. part. 2. cap. 34. pag. 697. c.A.* Qui Catarrhis magis obnoxii.

Quod verò aliàs è Galen. *9. de usu part. cap. 1.* dicitur de capite seu cerebro, quòd sint velut tectum, fumosæ domui superpositum, omnia, è partibus subjectis sursum elata fuliginosa & vaporosa excrementa per gulam & tracheam excipiens; vapores autem, ratione levitatis suæ naturà semper superiora petentes, ad cerebrum adscendant: non ita simpliciter est intelligendum: cùm certum sit, vapores & humores, in corpore mixto & animato, non moveri motu elementorum prævalentium, seu gravitatis & levitatis, sed parére animæ, ejusque facultatibus, expultrici, retentrici, &c. Nec obstat, quòd vapores illi sint quid præter naturam. Nam natura etiam excrementitios humores regit, nec illos sui juris esse sinit. Potior ergo ratio hîc à Sennerto allata, cur cerebrum quandoque tot scateat halitibus & vaporibus. Et habetur etiam eleganter de hac re apud Anton. Muf. Brassavol. *in Trochiscor. Examin. pag. 34.* & *38.* Helmont. *Ignot. act. regimin. pag. 273. c. 4.* item *Duumvirat. pag. 276. c. 4. m. 13.*

Urina spumosa. *Urinam spumosam*, & ex ea spumâ paulò pòst circulum facientem in superficie, judicant Medici, *signum* esse catarrhi à capite defluentis, ex Argenter. *de Urinis*, *cap. 25.* Hoc Anno 1654. Mense Augusto, animadverti, verum esse in Illustriss. D. Francisco Antonio, Com. à Königseck &c. Cæsareo Ephebo, primo in Aula mihi commisso Ægro, febre tertiana, in Eberstorff, decumbente; qui, cùm post febrim, Dei gratiâ, feliciter curatam, *Urinam spumosam* mingeret, paulò pòst ex catarrho graves sensit dentium dolores.

Sputatio. Catarrhosi sunt *Sputatores*: hoc est, quod Horstii, *supr. d. l.* allegatam sententiam confirmat, catarrhi causam antecedentem petendam esse à visceribus concoctioni dicatis. Sputum enim illud à ventriculo ascendit in fauces, non aliter, quàm iis, qui vomere incipiunt, os pituitâ resolutâ priùs turget. Apud Persas homines sedulos, & laboribus deditos, frequenter *expuere*, maximum ignominiæ argumentum fuit; quasi nimia voracitas, aut potiùs segnities, ob intermissa exercitia, indicaretur. Celsus.

Apostema cerebri. Multi, doloribus capitis gravati, conqueruntur de *Apostemate cerebri*, & Medicis etiam contradicētibus non credunt. Tractatur hujus curatio à Riverio, *Pr. l. 1.* sub titulo: *Cerebri sphacelon*, *c. 12.* Ubi rectè notat, conjungi febrim vehementissimam, quâ absente, nihil de apostemate metuendum sit. Sic pusillanimes Ægri, in qualibet cephalalgia, quando felicior natura excrementa qualia qualia, etiam purulenta, per emunctoria capitis, & meatûs patentes, cum cessatione doloris, excernit, *Apostema* fuisse arbitrantur, etiam à Medicis aliquando persuasi, ut videantur à gravissimo morbo liberati, & sic teneantur honorarium duplicare. Historias facti nolo apponere; quia essent odiosæ.

Med. extern. Ung pectorale. Ubi catarrhus *ad pectus* ruit, *Unguentum pectorale, ex emollientibus conflatum*, Cratoni, *L. 4. consf. fol. 21.* suspectum, nec promi-

promiscuè, & nullâ habitâ ratione, etiam aliis talibus externis est utendum: quia musculi pectorales inde relaxantur, & fluxioni major aperitur via. Malè itaque sentit vulgus, quando dicere solet: Auswendige Mittel schaden ja nicht. Advertim, enim, etiam in intemperie partis, v. g. calidâ, epithemata frigida, intempestivè adhibita, majorem intemperiem posse conciliare, repellendo scil. humorem affluentem ad partes interiores; qui aliàs per transpirationem occultam evanuisset: id quod confirmatur etiam à Schönbornio, *in Manuali Med. f. 201.* exemplo ungventi refrigerantis, in febrib. dorso temerè applicati. Ubi enim febris crisin molitur per urinam, necessariò obest, naturæ cursum impediendo. Ac medicamenta, quæ, intus assumpta, non obsunt, aliquando, extrà applicata, nocere posse, confirmatur etiam à Galeno, *de temperament. cap. 3.* apud Rolfinck. *de febrib fol. 430.* dum inquit: *Nihil eodem modo operatur intus & extra.* Primirosius etiam, *lib. 4. cap. 45.* rectè arguit, medicamenta externa multoties esse inefficacia, & aliquando etiam obesse magis, præsertim cùm rariùs innovantur. Sic enim in corpore calefiunt, & naturam morbi nihil oppugnant. Idem observandum in cataplasmatibus, quæ, nisi sæpius renoventur, vel siccitate offendunt, vel frigore morbum fovent. Propterea bene monent providentiores Practici, ut talia epithemata, etsi è refrigerantibus sint composita, &, ut refrigerent, applicanda, non nisi tepidè partibus affectis applicentur. Epithemata.

Qui catarrhis frequentioribus sunt obnoxii, his Jonston. *lib. 8. pag. 393.* singulis mensibus, paulò ante novilunium, corporis lenem purgationem imperat: præsertim si iis alvus siccior fuerit.

Nos utimur percommodè *Pilulis aloeticis* in catarrho, sive *Francofortensibus*, sive aliis, ut, e gr. hisce: ℞. *Bdell. alb. moll. & pingv. aloës in fusa 3. dieb. in lact.* ana ℥j. F. Pilul. justæ magnitud. ℈ß. pro dosi. Vel etiam *Pilulis de succin.* Craton. *Consil. Medicinal.* Pil. Aloeticæ.

nal. 321. additis tamen aliquot granis *diagrydii*, pro majori efficaciâ, ac minori saltem dosi: sed præstat, ut tres doses, tribus vicibus, ita sumantur: Prima scil. ante, vel à parca cœna; alterâ subsequente die, manè; tertia eodem die, vesperi. Sic, ut expertus sum ego, & testatur etiam Horst. *Oper. Tom. 2. libr. 2. Obs. 12. pag. 70.* ex Joanne Bilgero Med. non possunt non copiosè & suaviter evacuare: cùm una dosis alteram quasi trudat. Ad quam sententiam confirmandam Mindererus quoque, *Aloedar. fol. 187.* svadet, Marocostinas suas tribus successivè vicibus sumere.

Sudorifera. Post universales purgationes, inprimis utilia esse censet Sennertus, *L. 1. Prax. part. 1. c. 11. pag. 102. Sudorifera*, sudoresq; ait, certissimum esse & prophylacticum, & curativum remedium doloris capitis, & aliorum morborum, à seroso humore, à capite defluente, ortum habentium; quod confirmat quoque Joubertus, *de thor. aff. c. 14.*

Oris & Palati ulcera. Solent aliquando à catarrho fauces, gurgulio, nares, palatum, & propinquæ partes, ita *exulcerari*, ut Medicum non immeritò in suspicionem trahant latentis malignitatis, è lue Venerea contractæ: quapropter circumspectus is sit, oportet, ne & Sibi, & Ægrotanti, infamiam attrahat. Tales *exulcerationes* vocantur à Guil. Fabr. *fol. 98. Ozana.* Inter alia, turundas aliquot excavatis naribus, & palato, indit, cum singulari levamine, hoc *Unguento* illitas:

Ozænæ. Unguẽtum.

℞. *Succi geranii*,	*lithargyr. auri*,
solatri,	*plumb. ust.*
sempervivi, an. part. æq.	*lap. calaminar.*
	cerussa, ana ℥ij.

Indantur in mortarium, affuso cochl. 1. *ol. rosar.* & *succi superioris*, alternatim, donec pistillo aliquandiu agitata, omniaq; probè mixta, in Unguentum coeant. Habebis sic in Ozæna, etiam malignitatem spirante, pretiosum remedium.

Jonsto-

Jonstonus, *Id. Med. Pract. fol. 416. Ulcera* talia exiccat *per vaporem scoriæ ferri candentis, vino rubro* conspersæ.

Nos verò *Palati* & *Oris ulcera* simplicia commodè curamus, in die sæpius, per *siphonem*, injiciendo decoctum aliquod, imprimis abstergens, dein moderatè adstringens: ulcus autem, postquam sic mundatum est, inungimus *melle rosato*, cum pauco *spirit. vitriol.* vel *rob. diamoron.* Conducunt tales *oris collutiones Infantibus* præsertim, qui modum gargarisandi ignorant: vel ubi profundiùs delitescunt ulcuscula; vel materia nimis tenaciter adhæret, ut per gargarismum sibi ipsis Patientes adjumento esse nequeant. Talis curandi modus hîc Viennæ tam est vulgaris, ut quilibet, etiam leviori catarrho affectus, operâ Chirurgi utatur: Lassen sich in den Hals spritzen. Cave autem, ne admittas pus generantia, vel nimis acria, qualia sunt *ungvent. digestiva*, vel etiam *ung. Ægyptiac.* nisi valde *sordida* sint ulcera: aliàs profundiora fient, & tardissimè consolidabuntur; propter naturalem palati madorem, qui exiccantia magis, quàm maturantia, vel erodentia, postulat & admittit. Oris collutio per siphonem. Usus. Ulcera sordita.

Ex *fumo fornacis recentis*, & *fœtore argillæ*, nec non *pavimento recens loto, linteaminibusq; madidis, in conclavi suspensis, pedibus madefactis*, &c. catarrhos perniciosos fieri, historiâ demonstrat Guil. Fabr. *fol. 294.* Causæ externæ.

Idem, *fol. 518.* Aulicos, ait, etiam ideò catarrhis esse magis obnoxios, quia *detecto* quamplurimùm incedunt *capite.* Sed præcavetur illud incommodum nostro tempore per *Capillitium artificiosum*, vulgò *Perruque* dictum. *Ibidem* bene ipse reprehendit morem Gynæcei, quòd, virorum instar, non modò *nudis* incedant *capitibus*, sed & *detectas mammas* gerant: unde catarrhos aliquando gravissimos incurrant. Perruque.

In catarrhis, ut *exiccentur*, hîc, in Austria, utimur sæpissimè Cucuphis & Suffitibus. Ne autem caput gravent, species, juxta Catarrh. exiccant.

Hipp. *l. 5. aph. 28.* extra conclavia linteaminibus insuuntur, & tunc capiti admoventur. Exempli loco sit, quæ

Cucupha.

℞. *Succini*,	*ligni aloës*, ana ʒß.
myrrh.	*caryophyll.*
mastich.	*cinnam.*
styracis,	*nucis mosch.* ana ʒij.
benz. ana ʒij.	*flor. rosar.*
thuris,	*lavend.*
ladani,	*anthos*, ana p. 1.

adde, si placet, *alipta mosch.* &c. & F. Pulvis grosso mod. Sacculo insuendus. S. Flüßsäcklein. Possunt hæ species etiam pro *Suffitu* carbonibus injici, & fumus excipi, pro Pulvere pro fumo: Flüß-rauch.

D. Phil. Maur. Schœnlin. pro Principe Guilhelmo, Duce Bavariæ, ordinavit, in catarrho à cerebri frigiditate, pro capite, instar Cucuphæ, hoc *Emplastrum:*

℞. *Cerot. de betonic.* ℥ij.	*sem. sinapi* ʒj.
summitat. majoran.	*mastich.* ℈ij.
flor. rosar. rubr.	*spec. diambr.* ℈j.
chamæmel. ana p. j.	*essent. rorismarin.* gut. iij.
succin. albiss. ℈iiij.	M. F. Emplastrum.

Nodulus. Horst. *Oper. Tom. 3. Quæst. 5. Decad. 3. pag. 41.* proponit *Nodulum* ex *sem. nigellæ* naribus continuò objectum. Sic enim catarrhum sisti.

Tabaci usus. Idem, *ibid. Quæst. 7. p. 42.* in catarrho usum *Tabaci* non prohibet, sive, in *Pulvere*, per nares attrahatur, Schnup-Taback / sive incensi *Fumus* per os hauriatur, Trinck-Taback; purgato tamen & jejuno corpore.

Famem & sitim sistit. Quin &, fumum ejusdem sitim & famem sistere posse, non sine ratione affirmat: dum pituitæ copiam insignem ad palatum attrahit, quæ, deglutita, chyli instar concoquitur. Et quomodo

modo famem & sitim sistat *Tabacum* : videatur etiam in Tabacologia Joh. Neandri, *fol. 34*.

Nec tamen naturâ siccis & biliosis, sicut & melancholicis, *Tabaci* usus concedendus: sed pituitosis, & sanguineis potissimùm : quibus svavem etiam inducit somnum. Certum est, multa millia militum, in præterito nostræ Germaniæ bello tam diuturno, conservata fuisse per *Tabacum*. Hoc enim in annonæ penuria miseros cibavit milites, in aëris intemperie eos conservavit incolumes, aquas, quas non pro lubitu, sed pro occasione, bibere opus habuerunt, sive putridas, sive turbidas, salubriores reddidit; putredinem arcendo, & conceptos jam humores, morborum plurimorum causas proximas, per superiora & inferiora deturbando. Accedit, quòd *Tabacum*, vi suâ narcoticâ suavem somnum inducendo, noxiorum ciborum difficilem concoctionem juverit, nec non singulari quadam suavitate, etiam invitos, ad sui amabilem usum ita traxerit, ut maluerint pane, quàm *Tabaco*, carere : taceo, quòd animi nonnihil ad cordatiùs pugnandum addiderit : quandoquidem fumum in faciem suorum militum, propter eandem causam, inflant Tuppin Imbas, qui sunt Sacerdotes, Caraibes dicti, ut testis est Lerius, *de navigatione in Brasiliam*, *fol. 220*. Primirosius quidem, *l. 4. cap. 31.* negat, inesse *vim narcoticam Tabaco*: sed argumenta illius non sunt tam valida, quin refutari possint. Putat autem, quia movet & evacuat, narcoticum esse non posse. Atqui distinguendum inter fumum ejus, ad cerebrum admissum, & ipsum intra corpus deglutitum. Quod idem insinuare videtur *cap. seq.*

Quibus cõcedendum.

Utilitas.

Sunt, qui, nescio qualem, noxam, & cerebri nigredinem, ex usu *Tabaci* frequente metuunt, quasi fumus nigrorem calvariæ intus induceret, ut ignis fumans camino : quod idem cùm suspicaretur Serenifs. Dux Bavar. & Elector, Maximilianus, &c. Sacr. memor. cujusdam Consiliarii sui, Tabaco usi, & ferè abu-

Tabacum an sit narcoticum.

Incommodum.

 si, &

si, & vomitu continuo tandem extincti, caput per Anatomiam explorari mandavit; quod, unâ cum cerebro & membranis, sartum tectumque, sine omni noxa inventum est. Nihilominus pro causa continui vomitûs & mortis potuit statui abusus Tabaci; vi cujus nimium pituitæ ad ventriculum transiit; quæ vel copiâ & frigiditate eum tandem enervavit, vel malam qualitatem, & corruptelam, per moram induens, vicina membra, & ipsum adeò ventriculum, in commune malum traxit. Primirosius, *d. l. c. 33.* existimat, fumum Tabaci ad cerebrum non pertingere: & satis probabiliter. Sed contradicit sibi ipsi, *c. 34.* dum, fumum hunc cerebrum exiccare, certum esse, ait.

Quantumcunq; verò aliàs, *in dicto libro*, laudet Tabacû Neander; tamen, *fol. 61.* scribit, totius ferè Orbis incolas inescatos esse fœtido hoc & olente suffumigio, ita, ut sapidissimis etiam fumitionibus longè præferatur. Quod sanè non cedit in laudem Tabaci. Idem, *fol. 74.* Tabacum lue Venereâ infectis noxium esse, ait; præsertim naribus attractum: extra verò ulceribus applicatum, ab ipso, ex Palmario, commendatur, *fol. 199.*

Helmontius, *ex Tabaci fumo stomachum flavedine tinctum à fuliginibus, narrat.*

Minimè autem Tabaci abusû cerebrum nigredine deformari, sed potiùs omni suâ parte naturale conservari; testis quoque est oculatus Guil. de Mera Physic. Delphens *Tabacol. f. 291.* qui, dissecto fumi sugæ celeberrimi capite, omnes cerebri partes, processûs, ductûs, & ventriculos, diligenter examinavit, & nihil tale invenit.

Errhinum. Cùm *pulveris Tabaci per nares attracti* hîc mentio facta fuerit, non immeritò quæritur: *an errhina masticatoriis sint præferenda.* Riverius quidem, *Prax. fol. 17.* rectè existimat, materiam catarrhi meliùs evacuari per palatum, ope masticatorii; quia tunc Medicus sequatur ipsam naturam, quæ hanc viam pro cerebro

rebro purgando destinavit, quàm per nares, ope errhinorum; quâ viâ natura abutatur potiùs in expurgando superfluo. Sicut nec errhina in oculorum affectibus catarrhosis probantur, quia præcipitant catarrhos ad locum affectum.

Pro masticatorio verò in catarrho, præter Tabacum, quod & ipsum masticatum plurimum pituitæ allicit, formare licet *Mixturam*, quam habet Neander, apud Horst. *Oper. Tom.3. Dec.3. quæst.7. p.42.* sub Tit. *Elix. phlegmagogum:* Masticatorium.

℞. *Mag. Magnet.* *succi. Nicotianæ* ℥ij. Elix. phlegmagog.
succin. *helleb.* ℥ß.
lap. hæmatit. *aq. majoran.* ℥iiij.
extr. euphorb. ana gr. v. Digerantur vase clauso sæpius agitata. De hoc in ore contineantur gutt. vj. ad eliciendam pituitam.

Hîc maximè præstat Terra Japponica, Catechu dicta, si frustulum ore agitetur & volutetur.

In catarrho, ad pectus potissimum ruente, & *Suffocationis* periculum minante, mihi placent ea, quæ Horst. *Oper. Tom. 2. l. 2. Obs. 12. f. 68.* præscripsit alicui fœminæ Nobili, proculdubio obesæ, & fluxionibus multis obnoxiæ, I. *dilutum agarici*, cum *extr. diacartham.* &, pro alteratione, *conf. rad. cichor. rosar. vitr.* II. ad fluxum ascendentem & evaporantem, *Cratonis Pil. de succino*: morsulos item *è conserva rosarum*, *thure*, *mastiche*, *nuce mosch.* exhibuit. III. ad materiæ diversionem, *vesicatorium in nucha* posuit. IV. ad suspensionem vertici inspersit *Pulver.* ex *nigella, mastich. nuc. mosch.* &c. (Nostri *Cataplasma è cruda cochlea*, cum *testa* & *nuce mosch.* contusâ, in usu habent) V. ad expectorandum & digerendum, utebatur *Oxymelite de Peto* Quercet. quod vide *in Pharmac. rediviva*, *fol. 323.* ut etiam *Rotulis* ex dissoluto *succ. liquiritiæ*, cum *specieb. diatragac. frig. ol. fænicul. sacchario*, in *aq. veronic.* dissolut. confectis. Ad intercipiendum verò *trochiscis sublingualibus, ibid. pag.* 142. *c. b. sub fin.* & *pag.* 143. *c. b. in princip.* descriptis. *Pilulæ verò de succino Craton.* habentur apud

Catarrh Suffocativ.

Oxymel de peto Quercet.

Pil. de Succin. Crat.

apud Schröder. *Pharmacop. Med. Chym. libr. 2. pag. 259.* ex ipso Craton. *Consf. 321.*

D. Sennerttus, *L. 1. Pract. part. 1. cap. 7. Quæst. fol. 64.* improbat nonnullorum Chymicorum morem, qui, in capitis affectibus, utuntur *oleo ex semine coriandri*; utpote cujus fumus, instar veneni, magis offendat caput, quàm confortet. Propterea, etsi hoc semen, ut loquuntur, *Signaturam* capitis habeat, sicut alia multa: non tamen promiscuè talibus abutendum. Nimium sanè tribuunt Chymici suis *Signaturis*, quæ nihil sunt aliud, quàm formæ rerum externæ accidentales, nihil prorsus efficientes. Ac præterea non statim id, quod arte Chymicâ ex aliquo medicamento elicitur, loco integri medicamenti liceet exhibere.

Oleum sem. coriand.

Signaturæ Chym.

Catarrhum suffocativum, viribus aliâs prostratis supervenientem, difficillimè curari, testatur Guil. Fabr. apud Horst. *Oper. Tom. 2. l. 4. Obs. ult. pag. 260.* Hinc videmus, tam multos podagrâ, doloribus nephriticis, colicisve, paralysi, phthisi, febre quartana, & similibus morbis, exhaustos, viribusque destitutos, superveniente catarrho *suffocari.*

Si hyems austrina & pluviosa & serena fuerit, ver autem siccum & aquilonium; catarrhi senioribus fiunt, celeriter interimentes. Hipp. l. 3. aph. 12.

Raucedines, & gravedines, in valde senibus non concoquuntur. l. 2. aph. 40.

E strangulatis & dissolutis, nec dum mortuis, ii non redeunt ad vitam, quibus spuma circa os fuerit. l. 2. aph. 43.

Quibus per Diarrhœam spumosa sunt alvi excrementa, iis à capite fit defluxio. l. 7. aph. 30.

CAP.

Caput VI.

De Vertigine, Lethargo, & Comate Vigili.

Vertigo, Horst. *Oper. Tom. 3. Problem. Decad. 2. Quæst. 3. pag. 20.* est affectus, in quo res quieta converti videtur, ob inordinatum spirituum animalium motum, à flatulentis vaporibus ortum. Videatur Idem, *Tom. 1. Disp. 9. Thes. 46. pag. 293.* Vertigo.

Helmontius *causam putat venenum quoddam duumviratûs inebriativum, Tabaco affine, à fellis fermento, per exoticam virulentiam vitiato, ortum.*

Appropriatum Vertigini dicitur *remedium Bombyx*, vermis sericum faciens, si pulverisatus vertici inspergatur, à Nicol. Pisone, *de morb. cognosc. & cur. libr. 1. c. 9.* Remedia.

Inter *interna radic. Doronici*, ut & *auriculæ ursi*, Germanis inde Schwindel-oder Krafft-wurtzel dictæ, quibus Venatores in Alpibus frequenter vescuntur, commendantur à Sennerto, *Libr. 1. Pract. part. 2. cap. 4. pag. 274.* De usu *lienis apri*, & *cerebri sciuri*, comesti vide Velschii *Syllog. Observat. 1. pag. 5.* & *in Not. A. Gafferi.*

Stercus pavonis exsiccatum, & ℥j. pondere exhibitum sæpius, habet idem Sennert. *d. l.* River. *Pract. Med. cap. 7. propr. pag. 35.* nec non Philipp. Müller. *Myster. Medic. Chymic. libr. 5. pag. 107.* & Quercetan. redivivus, *fol. 383.*

Horst. *Oper. Tom. 3. Probl. Decad. 2. Quæst. 3. pag. 22. c. 4.* laudat *sal margaritar.* & *succini*: quem quoque vid. *ibid.* de *Arteriotomia* in Vertigine usu. Vid. eundem *ibid. de tuend. sanitat. p. 194.* pluribus.

A proprietate quoque Vertiginem curant *extractum scorzonera*, intrò sumtum: *pingvedo* item *damarum*, *serpentis*, vel *ciconiæ*,

conia, temporibus illita: Crollio teste, *de Signatur. fol. 48.* Jonston. *lib. 8. pag. 386.*

Sternutatoria vitanda. Contra hîc improbantur à Riverio, *Prax. Tom. prior pag. 17. Sternutatoria*, utpote quæ Vertiginem potiùs excitare valeant, cerebrum vehementiùs concutiendo.

Non febricitantibus cibi fastidium, cordis dolor, tenebricosa vertigo, oris amaror, purgatione per superiora indigere, significant. Hippocr. *libr. 4. aphor. 17.*

Hyeme vertigines: libr. 3. aphorism. 23. etiam senibus: libr. 3. aphorism. 31.

Lethargus.

Lethargus. LEthargus apud Horstium, *Oper Tom. 1. Disp. 9. Thes. 34. pag. 292.* & *Tom. 3. Probl. Decad. 2. Quæst. 5. p. 25.* symptoma est diminutæ functionis principis, cum insigni dormiendi necessitate.

Helmontius, *sopores ex veneno narcotico, ab alienis impuritatum imposturis orto, deducit.*

Causa. Causa lethargi externa esse potest *vapor cerevisiæ, vini, carbonum, sulphuris:* quin & *fœnum recens*, si non lethargum, saltem cephalalgiam gravem inducere potest, si quis superdormiat; cujus exemplum habet Guil. Fabr. *fol. 612.*

Suffocatio à musto. Hinc in Austria, ubi magna vini copia colligitur, & in locis subterraneis, dum fervet, asservatur; item ubi cerevisia fervet, & carbones in copiâ fumant, periculosum est, id loci diu hærere, ob *Suffocationem* præsentaneam: quod sæpius experiuntur incauti. In ipsis itaque gradibus, vel ad fenestras, accendunt ignes, ut consumantur vapores. Melius autem est, imponere carbonibus aliquot manip. *baccarum lauri*, ut fumus introeat; & sic vapores in momento consumentur. Si verò quispiam improvidus introjerit, & caput sibi vaporibus repleri senserit, statim pronus in faciem cadat, & rependo fugiat. Quòd si semimortuus fuerit extractus, & Medicus vocatus, hic Ægrum

aëri

aëri libero ſtatim exponat, & ori diducto *ſpiritum vini optimi*, cum *Theriaca*, vel *aquam* aliquam *apoplecticam* infundat: ubi moveri incipit, vomitus concitetur, exhibito multo *oxymelite*: ut is faciliùs ſequatur, dorſum concutiatur; naribus infletur *pulvis ſternutatorius*. Sennert. *L. 1. Pract. part. 2. cap. 32. f. 656.*

An autem *ſpir. vin.* præcipuè *rectificatus*, *Aqua apoplectica*, *Theriacales*, cum *vino*, vel ejus *ſpiritu* præparatæ hîc rectè adhibeantur, non ſine ratione dubitatur. Etenim remedia ſunt narcotica, cauſæque morbificæ ſimilia: contraria verò contrariis curantur. Præferendum igitur hîc *acetum*, ſc. *rutaceum*, vel *aqua* cum *aceto* deſtillatæ Epilepticæ, *de hirundinibus cum caſtoreo*. Hæc enim narcoticis, & ſpiritui vini ſunt contraria. Quid, quòd, omnino abſtinendum eſſe ab omnis generis vini uſu, ſtatuat etiam P. S. Diverſus, *Annotation. in libr. Altomari, cap. 2.*

Super *laminam ferream candentem* affunde *acetum forte*, cum *ſemin. nigella*, *ruta*, *caſtoreo* coctum, ut nares Patientis feriat: ſic eum excitabis. Nicol. Piſo, *libr. 1. de morb. cogn. & cur. c. 12.* Curatio.

Exhibe *ſpiritum citri*, & erit præſentaneum remedium: Horſt. *Oper. Tom. 2. libr. 10. p. 483.*

Adhibeatur, præmiſſis præmittendis, fronti *Ungventum* è *caſtoreo* & *cineribus capillorum proprior.* cum *oxyrrhodino* mixtis, tanquam appropriatum remedium, ex Rondeletio, Sennert. *libr. 1. Pract. part. 2. cap. 20. propr. pag. 472.* Proponit ſimile etiam Horſtius, *Oper. Tom. 3. p. 26. ex Maſſariâ, libr. 1. Pract. pag. 12.*

An autem, *& quomodo caſtoreum in Lethargo conveniat*, vid. Horſt. *ibid.* & egregium dictum *ſpiritum caſtorei anti-lethargicum*, *c. b. §. ult. ex Mayerno & Cloſſæo*: cum commendatione etiam *aquæ hirundin. compoſit. minor. Diſpenſatorii Auguſtani.*

Lethargici commodè à ſomnolentia etiam excitantur, ſi ab adſtantibus *triſte* acceperint *nuncium*: ſicut nec ii dormire poſſunt, quorum *cerebrum cogitationibus multis eſt obrutum*,

 quibus-

quibusque *indicta est mortis hora.* Antonius de Gvevara, in seinen güldenen Sendschreiben / *Part. 1. pag. 36. ex Avicennâ.*

Febris arte facta.

Si lethargicis febris supervenia t, lethargus solvitur. Quòd si sponte febris non accedat, licebit eam arte facere, inungendo pulsibus *oleum, è scarabæis Lucanicis* factum, ad modum *olei Scorpionum.* Sic enim certo experimento *febris* excitatur, *ephemeram* æmulans, & altero statim die disparens : ex relatione Viri Religiosi & Clarissimi, Monasteri-Wranoviensis prope Olomutium in Moravia, R. Fr. P. Gabrielis Lieffroy. Idem licebit tentare secundum *l. 4. aph. 57.* & *l. 6. aph. 51.* Hipp. Contrariatur verò Crato, *Consil. Medic. 50. pag. 151.* & Epiphan. Ferdinand. *Cas. Medic. Histor. 46.* Nimir. ut habet Seneca, *libr. 1. de Ira, c. 12.* *Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo :* & antè : *Febres quædam gratiâ valetudinis levant ; nec ideò, non ex toto illis caruisse, melius est.*

Hyeme lethargi. Hipp. l. 3. aph. 23. etiam viris. l. 3. aph. 30.

Coma vigil.

Coma vigil.

Coma vigil est affectus è lethargo & mania mixtus : propterea à Gal. *Typhomania* appellatus : quem describunt Practici, & inter eos Riverius, *fol. 40. Prax.*

Somnambuli.

Somnambuli.

Somnabulorum motum Horstius, *Oper. Tom. 1. Diss. 3. pag. 204.* adscribit Phantasiæ.

Helmontius *in somno ambulantibus attribuit spiritum sangvinis ductorem.*

Causæ.

Perficitur ille motus dormientium pedum, manuum, & aliorum motui animali inservientium membrorum beneficio. Imperatur à locomotiva, stimulatâ ab appetitu, concitato à phantasia, quæ, objectum aliquod in somno oblatum cognoscens, illud appetitui vel fugiendum, vel appetendum offert. Sennert. *L. 1. Pract. part. 2. c. 19. f. 455.* Hinc apparet, in nulla re alia distingui Somnambulorum, & sanorum

ſanorum opera, & motiones, niſi quòd illis fiant in ſomno, his autem citra ſomnum; adeoque cum adjunctâ ratione, quæ illos vel omnino deficit, vel certè obſcuriſſimè comitatur: aliàs loca tam periculoſa non ſubirent. Et quamvis ab alto cadant, ſicut & ebrii: (de quibus proverbium: Die Trunckene fallen nur auf den Wein.) plerunque tamen minùs offenduntur, quàm vigilantes & ſobrii. Cujus rei cauſam affert Guil. Fabr. *fol.* 161. & ex eo Horſt. *Oper. Tom. 3. pag.* 112. 114. Tales enim, propriâ ratione & phantaſia deſtituti, non prævident pericula, neque timore conſternuntur noxio; unde nec articulos tendunt, ut caſui reſiſtant: tunc enim violentiùs impingerent. Nam ubi major reſiſtentia, ibi fortior actio. Alii contrà vigilantes metu conſternuntur, ut iis omnes ſpiritûs ad cor accedant; deſtitutæ dein' partes externæ ſuis ſpiritibus, magis debilitantur, & offenſam graviùs ſentiunt. Confer de hac re elegantiſſimè diſcurrentes Joh. Langium, *libr. 2. Epiſt. Medicinal.* 45. & P. J. Fabrum, *Pallad. Spagyric. p. 221.*

Ubi ſuſpicio eſt *ſangvinis extravaſati*, qui neceſſariò grumeſcit, & paulò pòſt putreſcit, poſt caſum, ad diſſipandum illum, & evacuationi apparandum, loco *olei lini*, vel *ungv. rubr. potabilis vulgatiſſimi*, Horſtius, *Tom. 3. pag.* 113. *axungiæ humanæ* ℥ß. *in juſculo cereviſiæ exhibet.* Utimur etiam *lapid. hæmatit. magiſt. oculor. cancrorum, ſpermate ceti, rad. rub. tinct. Ungt. Potab. rubr.* & *virid. pulv. ad caſum*, &c. Sanguis extravaſatus grumeſcens.

Matronæ Illuſtres, diſtrictûs Hornenſis, in Infr. Auſtria, mirè prædicant *Ungventum*, quod vocant die Goldfarbe Salben; & ſic paratur:

℞. Butyri Majalis, non ſaliti nec loti, q. ſ. cuſtodiatur in vaſe ligneo, cui operculum lapidibus gravatum imponatur, ut, quod ſeroſum eſt in butyro, ſupernatet, & ſeparari poſſit: idq; tam diu, uſquedum ſequentia haberi poſſint, circa Feſtum Bartholomæi: Grana ſcil. ruffa ſolani hortenſis tanti ponderis, quanti eſt reſervatum butyrum. Poſtea Ung. aureoflavum.

 ad

ad ℔ij. *butyri.* ℞. *Fl. calendul.* Miij. *chamacis.* (Gunrebtn) Mij. *Herbæ contusæ reponantur in cella horis 24. Pòst commisce eas cum butyro, & adde grana integra, & coque tam diu, donec grana cum corticibus suis subsideant, semper agitando. Tunc butyrum superius, auri instar, flavum, clarum & pellucidum fiet. Quod si justam Ungventi habuerit consistentiam, inclinando separa, & pro interno usu reserva, reliquum exprime, & extra inunge contusis, ruptis, pleuriticis; quorum pus per alvum expellit.* Ex communicatione Illustr. Matronæ Dn. de Lamberg, in Stockern.

Ruptiones ex dorso, ad cubitos descendentes, venasectio solvit. Hippocr. l. 6. aph. 22.

CAPUT VII.

De Melancholia: Delirio: Stultitia: Mania, & Imaginatione.

Melancholia. DE *Melancholia*, quæ Maniam antecedit, pulchrè discurrit Crato, *in Consil. à fol. 490. usq. ad 564.* ubi, *folio 497.* præter alia, singulis diebus, vel certè alternis, capiti adhibet *jecur* Remedia. *vitulinum calidum*, ut per ejus temperatum & blandum calorem cerebri intemperiem ad antiquam crasin reducat. Idem præstant *columbæ*, & *gallinæ vivæ discerptæ* & *impositæ*: nec non *sangvis gallinarum aceto* dilutus. Occipiti autem applicat idem *grana juniperi contusa.*

Sennertus, *libr. 1. Pract. part. 1. cap. 12. pag. 110. c. b. lapid. bezoar* adversus omnes melancholicos morbos valde utilem esse scribit.

Ad caput debile roborandum non solùm *Ambram*, sed & *Tincturam chrysolithi* laudat Jonston. *libr. 8. pag. 362.*

Melancholia morbus non semper ab humore tali gignitur, sed vitium plerunque est in cerebro, vel spiritibus, quod phantasia so-

sia fovet. Igitur ægri tales *Purgationibus*, aliisve medicinis, fatigandi non sunt: ut rectè Rhases, ap. Primiros. *fol. 190.* ubi ait, tales mutatâ solâ phantasiâ, verbis, vel alio ingenio, curari. Purgantia.

Melancholicis verè *purgatione* egentibus, præcipuè delicatulis, exhibe *pulpam pomi acido-dulcis*, cui impositæ sint, & simul coctæ, *rad. hellebori nigri* ʒij. ʒiij. &c. Horst. *tom. 2. l. 7. p. 390.*

Confectio Hamech in morbis Melancolicis, præter scabiem, *improbatur* à Solenandro, Rondeletio, Fernelio, Steeghio, apud Sennert. *L. 1. Pract. fol. 370. 371.* Conf. Hamech.

Remedium Melancholiæ demonstrant etiam Sacræ litteræ, *L. 1. Regum, cap. 16.* Musicam scil. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. Dixeruntque servi Saul ad Eum: Ecce, spiritus malus Domini exagitat te. Jubeat Dominus noster; & servi Tui, qui coram Te sunt, quærent hominem scientem psallere citharâ, ut, quando arripuerit Te Spiritus Domini malus, psallat manu suâ, & leviùs feras. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce, vidi filium Isai Beth-lehemitem, scientem psallere. Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, &c.* Musica.

Acetum Melancholiæ pabulum esse, vulgò fertur: quod limitatur à Mercuriali, apud Horst. *Oper. Tom. 3. Dec. 7. Quæst. 10. p. 85.* ubi dicit: *dupliciter augeri posse melancholiam; vel secundum qualitatem solam, vel secundum substantiam. Secundum qualitatem augeri ab* aceto, *propter nudam aciditatem, quam cum melancholia communem habet: secundum substantiam verò* aceti *usu melancholiam non augeri: quia subtilitate suâ penetrat, incidit, & obstructiones aperit: quæ omnia diminuant melancholiæ copiam, vel per se, vel per accidens.* Conf. P. S. Diverf. *Annotation. in libr. Altomari, cap. 7 pag. 389.* Acetum.

1. Eujus natura. De *aceti natura*, & *qualitatibus*, bene sentit Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 57. 58. Quæst. 1. Decad. 5.* ubi rationem reddit, cur diversæ in aceto vires reperiantur. *Quòd enim*, inquit, *acetum cum acrimonia sit acidum, & hinc vim attenuantem & dissipantem habeat; fit ratione salis acidi, cum quo perfunditur, respectu cujus ad intima penetrat: quòd autem insuper quoque refrigeret; fit, quia sulphurea & ignea vini qualitas separata est in aceto, spiritus putà vini, remanente copiosâ aquâ frigida elementari, respectu cujus frequens vini usus frigidorum morborum causa esse potest.* Hinc nihil obstat, quin vini potatores possint fieri hydropici: Daß der Wein mache die Wassersucht. De aceto destillato & radicato vid. apud Craton. *Epist. Medicinal. 103. pag. 275. c. a.*

Quomodo etiam acetum in naturâ sua duplici operetur, vide apud Rolfinccium, *de febr. fol. 387*, & nota, quâ ratione stare possit illius sententia.

2. Generatio & temperamentum. Quomodo *aceti* fiat *generatio*, & quale dein' induat temperamentum, per Galenico-Aristotelicos difficulter explicatur. Faciliùs sese videtur extricare Quercetanus: locum vide apud Horst. *Oper. Tom. 3. p. 58. c. a. §. 10.* De *generatione* & *natura* Aceti vide etiam ex professo D. Sennert. *Paralipomen. cap. 9. pag. 132. & seqq.*

In morbis melancholicis, per hæc tempora (intellige, quibus verè & graviter melancholici morbi sunt) *periculosi humorum decubitûs, aut apoplexiam corporis, aut convulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem denunciant. Hipp. lib. 6. aph. 56.*

Melancholicos largiùs per inferiora purgare convenit; simili ratione contraria apponendo. l. 4. aph. 9.

Morbis quibusve incipientibus, si bilis atra supra vel infra prodierit, lethale. l. 4. aph. 22.

Si lingua repentè fiat incontinens, aut pars aliqua corporis siderata, melancholicum hoc est. l. 6. aph. 40.

Quibus

Quibus cruda deorsum secedunt, à bile nigra fiunt: si plura, major; si pauciora, minor. l.7. aph.68.

Melancholicis & Nephriticis hæmorrhoides supervenientes, bonum. l.6. aph.11.

Metus & tristitia, si diu perseverent, Melancholicum hoc est signum. l.6. aph.23.

Delirium.

CUjuscunque delirii causam proximam non in organo, sed in spiritibus animalibus, quærendam esse, affirmat Sennert. *in Epit. Inst. fol. 220.* ubi inquit: *Ratiocinatio neque per se, neque ratione sui organi læditur, sed læsâ phantasia, & aliquando etiam memoriâ. Nam cùm organum ratiocinationis sit incorporeum, Anima scilicet rationalis, lædi non potest per se: quia verò phantasmata speculatur, objectis ipsi phantasmatis falsis, ipsa etiam falli potest.*

Ex his, qui, *delirantes*, ex lecto, irâ & furore perciti, surgunt, multi sanantur: eorum autem, qui ob timorem surgunt, neminem ad hunc usque diem sanatum vidi: ait Cardanus, *in Commentar. Progn. Hipp. 23.* Nam posterius significat caloris nativi ipsius cerebri & meningum extinctionem, & per consequens extremum imminens frigus; ut putat Cardanus. Timor enim ex frigore. Delirantes qui sanentur.

Delirium amatorium unde proveniat, & cur tam difficulter tollatur, rationem innuit Sanctorius, *aph. 16. sect. 7.* hanc: in meditationibus Venereis cum mœstitia excrementorum perspirabilium portio crassa retinetur, quæ, evolante tenuiore, adhuc crassior & frigidior fit: hæc si colligatur, fere invincibilem inducit frigiditatem in capite (hinc delirium) palpitationem curatu difficilem in corde, & aliis membris (hinc pulsûs crebra mutatio.) Delirium amatorium.

Stulti-

Stultitia.

Stultitia.

QUòd quamplurimis Alpium incolis tam familiaris, & endemia quidem, sit *Stultitia*, alii adscribunt *aëri*; alii *aquæ*; alii *cibo*, & *educationi*. Cave autem, ne *primum* statuas: aliàs eodem posses excipi responso, quo nonnemo, cui, cùm falsè stultitiam horum hominum perstringeret, *aërisq.* vitium mordicùs accusaret, dum liberaliter id loci tractaretur, & aurâ eâdem, ut hospes, gauderet, hoc audiendum fuit: Exi maturè, bone vir, ne, eodem infectus aëre, & ipse tu nobiscum delirare opus habeas. Non *secundum*: quia pluribus Alpium incolis *aquæ* pro potu sunt saluberrimæ, & eorum tamen stulti sunt quàm plurimi. Ergo erit *tertium*: *cibus*, & *educatio*. Atque hæc sententia, ipsorum diætam, & vitæ genus, sæpius speculanti mihi præ reliquis approbatur. Est enim gens, quæ cibis excrementi plurimum, alimenti parum suppeditantibus delectatur; contrariis offenditur: propterea voracissima, & nunquam satura, nisi ad rupturam vergente abdomine. Liberos, sic quotidie, ad minimum quater, infarcitos, domi tota hyeme, quæ ipsis est longissima, ad fornacem deponunt, eosque nec litteris, nec moribus informant nec laboribus, plerunque etiam nec precibus applicant, ut, subministrante insuper etiam cibo melancholicos & tenebricosos spiritûs, necessariò *Stupidi* & *Stulti* efficiantur. *Strumosi* etiam, ob eandem ferè causam, fiunt. Dum enim sic negliguntur liberi, & in se ipsos otiosè subsident, Hocken übereinander beym Ofen / canum instar, bolos plenis faucibus devorantes; cutem, & glandulas circa collum, extendunt, dilatant; &, quia capita ipsorum vaporibus tetricis à cibo simili replentur, ii, in liquorem versi & defluentes, vel à glandulis imbibuntur, vel novas glandulas formant, & monstrosas strumas. Non autem omnino negandum, tales gutturis *Hernias*, *Bronchocele* dictas, sive *Strumas*, ab ipsis Alpium incolis, ceu morbum

morbum ipsis endemium, posse contrahi, per *aqua* potum communem *hydrargyro* infectum, qui singulari sua qualitate rhevmatismos facit, fauces & dentes fatigat, atque tumores coagmentat: ut rectè Reusnerus sentit, *Tract. de Scorbuto.* (Vid. etiam J. Lang. *lib. 1. Epist. Medicinal. 43.* & *lib. 3. Epist. 4.*) Ipsi autem incolæ, interrogati, peregrinantes admonent, ut abstineant à fontibus hisce, experientiâ edocti, baculos immissos, & paulò pòst extractos, nodis quàmplurimis deformatos, & inæquales factos esse. Quia verò tales fontes sunt rarissimi, placet, ad superiùs allegatam & demonstratam sententiam acquiescere: hoc uno addito, per tale vitæ genus ipsi populo generandi facultatem non adimi; ac propterea malo etiam *hæreditario* parentes suis fœtibus *Stultitiam* communicare. Dixi superiùs, offendi hos Alpium inquilinos meliori & subtiliori cibo. Sit, exempli loco, saltem unicus, quem, licet deterrimum aliis, ipsi tamen in deliciis habent, &, proprio idiomate, Muncken vocant. *Avenam*, pro ut est, molâ comminutam, coquunt in sartagine, cum aqua, asperso salis tantillo, donec polentæ formam induat. Tunc in medium foramine satis amplo facto, infundunt butyrum depuratum tepidè, zerlassen Schmaltz / cui cochleari immisso, partem polentæ tenaciter cohærentem separant, & devorant. Et talibus tamen cibis illi ex consuetudine utuntur maximè excrementitiis; cujus scilicet potior pars per alvum secernitur, & minor in quale-quale nutrimentum cedit. Jam si, præter morem, mensam accedunt nobiliorem, si cibis magis nutrientibus, & paucioris excrementi vescuntur, tantum cibi delicatoris ingerunt, quantum consueti. Ventriculus autem, & partes concoctioni secundæ & tertiæ dicatæ, è suppeditato meliore cibo plus formant substantiæ alimentaris, quàm excrementitiæ; & sic subitò, non sine offensione, quoad justitiam & pondus, corpori nutriendo plus justo apponitur, ut manifestè lædatur, & in morbos incidat. Possem eventûs hujus historias aliquot allegare: sed de his dictum satis.

Stultitia hæreditaria.

Avena. Muncken.

git ad expellendum noxium; quod cùm expulsum fuerit, vel quoquo modo disparuerit, paroxysmus finitur; & acquiescunt.

Maniaci crebrâ *Venæ sectione*, *Purgatione*, & *Nacorticis* sæpius curantur, ut & *Balneo aquæ dulcis*: quod expertus sum ego, plurimis sic restitutis: & affirmatur ab Horstio, *Oper. Tom. 2. p. 80. 81. & 428.* Pari modo, sed mitiori tamen, *melancholicè delirantes* sunt tractandi. Cura.

Vinum immoderatiùs sumptum, præcipuè *nimis generosum*, vel *fulmine congelatum* (Jonston. *f. 395.*) insigniter calefaciendo, & certo quodam modo meninges inflammando, *Maniam* inferre posse, insinuat Scholæ Salernitanæ Commentator, Arnoldus de Villa nova, *f. 81.* & confirmatur id ipsum à R. P. Drexelio, Societ. Jesu, in Josepho, *cap. 14. f. 289.* his verbis: Extende in plures dies illum *Ebrii* habitum: numquid de furore dubitabis? Exemplum vidi ego Laureacei ad Onasum Superior. Austriæ, Oppido antiquissimo, in juvene quodam, qui, interdiu *vino generoso*, noctu *studiis* inserviendo, *maniacus* factus, nihil omnino juvantibus medicamentis, postquam se ipsum, sed non lethaliter, in pectore vulnerasset, die morbi quintâ furiosâ morte sublatus est, an. 1650. Causæ externæ maniæ.

Mania, vel furiosæ saltem audaciæ, exempla habemus apud Turcas, qui per medicamentum, *Maslach* dictum, sibi animum ad pugnandum conciliant: quamvis Sennertus, *L. 1. Pract. part. 2. c. 6. f. 325. & seq.* ex *Opio* quidem fieri dicat, sed plebeiis tantùm, & iter facientibus, in usu esse, extra bellum. Causam verò tam furiosi animi, in bello Turcarum, esse capitalem pœnam, quâ ad pugnandum incitantur, vel conceptam opinionem prædestinationis impiæ, quâ occæcati, nullum timent periculum, certi scil. de evasione, si Diis placeat; sin'minùs; se prædestinatos esse ad interitum. Maslach Turcarum.

Philtrum delirii genus quoddam infert amatorium, quo amorem involuntarium maleferiati homines sibi conantur Philtrum.

 com-

comparare. Curatur *calculo humano pulv.* ap. Scholz. *Epist. Med. 231. pag. 409.* cum *succo* vel *aquâ nasturtii* epoto; quem *Philtro* potatis, vel erotico amore furentibus, multum profuisse, se experientiâ didicisse, testatur Sennertus, *libr. 6. Pract. pag. 443. c. b.* ex Henrico ab Heer, *Observat. 13. p. 174.* Hartmannus, *in Praxi Chymiatr. f. 53. secundinam in pulverem redactam* exhibet: magis fortè superstitiosum, quàm rationi congruum remedium. De *Philtris* vid. Horst. *Oper. Tom. 1. pag. 432. & seq.*

Secundinæ P. P.

A multa potatione rigor & delirium, malum. Hippocr. l. 7. aphor. 7.

A sangvinis profluvio delirium, aut convulsio, malum. l. 7. aphor. 9.

Ab ileo delirium, malum. l. 7. aph. 10.

Ex ictu capitis stupor, aut delirium, malum. l. 7. aph. 14.

A vigilia convulsio, aut delirium, malum. l. 7. aph. 18.

Ab ossis dissectione, si in vacuum usque penetraverit, delirium. l. 7. aph. 24.

In morbis melancholicis, periculosi humorum decubitûs insaniam denunciant &c. l. 6. aph. 56.

In quovis morbo mente constare, & ad oblata bene se habere, bonum: contrà verò, malum. l. 2. aph. 33.

Insanis, si varices aut hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio. l. 6. aph. 21.

Deliria, quæ cum risu fiunt, tutiora: at quæ studio adhibito, periculosiora. l. 6 aph. 53.

A furore, dysenteria aut hydrops, aut vehemens mentis alienatio, bonum. l 7 aph. 5.

Quicunque laborantes aliquâ parte corporis, omnino laborem non sentiunt, iis mens ægrotat. l. 2. aph. 6.

Ubi somnus delirium sedat, bonum. l. 2. aph. 2.

Imagi-

Imaginatio.

ACtionem in distans negant Philosophi; quibus Dan. Sennert. *L. 1. Pract. part. 2. cap. 8. f. 339.* cogitandum relinquit, quò referenda sit illa imaginatio falsa, quæ iis, quibus crura amputata sunt, accidit: cùm sæpe post multos menses, ab amputatione, membrum abscissum sibi graviter dolere conqueruntur: ut testantur Amb. Paræus, *L. 11. cap. 17.* & Guil. Fabr. *Cent. 3. obs. 14. 15.* An quia partes spermaticæ, è quibus constat homo, abscissi membri potentiam adhuc aliquam in se retinent, cujus phantasia recordatur? Actio in distans.

Imaginationis tanta *vis* est, ut noxam non observet, in re quamvis noxiâ; modò ea sit jucunda & delectabilis. Ita oscula mutua lue Venereâ infectorum, quamvis contagium aliàs afferre possint, quia inter Personas contingunt amabiles, raro nocent. Appetitus enim imaginationem sequitur; cujus in humores & spiritûs vis maxima, non contemnendis rationibus, statuitur. E contrario videmus, vel saltem aspectum vetularum aliquando infantibus noxium esse: idque imaginatione solâ. Horst. *Op. Tom. 2. lib. 7. pag. 373.* Quòd autem idem non fiat in ipso coitu, quamvis inter amantes, ratio est, quòd propter majorem membrorum rariorum, & vehementer incalescentium, concurrentiam, qualis tam intensa in osculis non est, vis imaginationis hebetatur. Imaginationis vis.

Per *imaginationem* noctu omnia repræsentantur in *Insomniis*, quæ interdiu fuerunt acta: quin & *Sympathiæ* noctu quoque vim suam exerunt. Exemplo sit, quod Olaus Magnus, apud Quercet, *in Diæt. f. 266.* notavit: in Svetia Septentrionali *Gulonem*, animal sic dictum, voracissimum capi; cujus pellis precisissima si dormientibus obtegatur, faciat insomnia animali congrua voracissimi hominis, insatiabilis cupiditatis vorandi. Insomnia. Sympathia. Gulo.

Historias admirandas *Imaginationis falsæ, Antipathiæ* & *Sympathiæ*, Antipathia.

pathia, Auctores passim ubique describunt. Unam subjicere non possum: quia inter rariores est rarissima. Vir quidam Superior. Austriæ, annis ab hinc triginta circiter, pollicem alterutrius manûs vel à naturâ, vel ab errore externo, truncum habuit; unde illi cognomen datum, der Stutzhans. Is vicini assidentis digitum, in manu media incurvatum, die Feige/quamvis sub pileo, vel mensâ, ipsi ostensus fuerit, etiam inscius, tam molestè tulit, ut, *sternutare* coactus, sanguine etiam per nares erumpente, priùs non cessârit, quàm manus illa, miserum exagitans, digitum è medio amoverit. Vivit adhuc inter Cæs. Maj. Consiliarios non postremus, qui, puer adhuc, illum ipsum sæpesæpius ita exercuit, & ad *sternutandum* coëgit. Antipathiæ hujus causam qui explicaverit, fuerit mihi magnus Apollo. Neque ipse Fernelius, qui multa & doctissima, *de abditis rerum causis*, scripsit, verisimile quicquam proferret. Acquiescendum igitur dicto Scaligeri: *non ignavi hominis esse, quædam æquo animo ignorare velle.*

Sternutatio admiranda.

Similem difficultatem, & quidem æquè inexplicabilem, parit doctrina de *Morbis* & *Qualitatibus occultis*, quæ etiam à tota forma, & à tota substantia, tales dicuntur. De his Hieronym. Capivaccius disputat contra Thom. Erastum, *in Epist.* à Scholz. *collectis Epist. 269. 272. 273.* ubi negat, tales dari morbos, & sic argumentatur: *Si datur morbus à tota forma; vel in hoc corrumpitur forma, vel intenditur, vel remittitur: si dicatur corrumpi, tunc vel secundum partem, vel secundum totum: prius est absurdum, quia forma est indivisibilis; si posterius: ergo omnes morbi à tota forma essent incurabiles.* Sed de his vide Sennert. *in Instit. L. 2. part. 1. cap. 4. à pag. 146.* ubi hanc quæstionem studiosissimè tractat, Horst. *Tom. 1. Disp. 5. pag. 232. 239.* & *240.*

Qualitas & morbus occultus.

Caput VIII.

De Oculorum vitiis.

Oculorum morbi. Oculi motus & sensus. *Oculus* multa habet singularia in mirabili sua structura, quæ notatu digna sunt. Solus enim ille perdere sensum potest, & motum conservare; quia peculiares habet nervos sensui, & peculiares motui inservientes. Hoc colligitur ex Horst. *Op. Tom. 2. l. 2. Obs. 23. pag. 90.*

Invidia. Coram Friderico Neapolitano, quodam tempore, in disputationem venerunt Medici, quid imprimis oculorum perspicacitati conduceret: sententiis discrepantibus, injecit, qui tum fortè aderat, Titius, nihil potiùs, quam *Invidiam.* Attonitis hoc verbo, subdidit: an non *Invidia* majora & ampliora facit omnia; juxta illud Nasonis:

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq́ pecus grandius uber habet?

Aq. viridis Agirt. Agirtæ venditant *aquam* aliquam *viridem*, quam, à colore, *Sapphiricam* vocant; quæ tamen è sapphiro non paratur, sed saltem fit ex *aqua calcis viva*, in qua parum *salis armoniaci* dissolutum est, ita, ut, in pelvim æneam infusa, & per noctem ita relicta, sapphiri colorem contrahat. Hæc verò aqua non, ut ajunt, oculos per se confortat, sed ulcera eorum sanat, cicatrices extergit, crassitiem & obscuritatem corneæ tunicæ extenuat. Sennert. *Libr. 1. Pract. part. 3. sect. 2. cap. 44. pag. 873.*

Vinum aliquod *euphragiat.* valde utile vid. *ibid.* quod habet & Timæus à Guldenklee/ *libr. 1. Cas. 25. pag. 57.* it. *Cas. 26. pag. 59.* *Vini euphragiæ* laudes vid. etiam apud Craton. *Consf. 55. 57.*

Cæcitas. Quando *nervi optici* ab humore viscoso *obstruantur*, *Cæcus* fit homo, nullo in oculis apparente vitio. Difficilis quidem est curatio: licebit tamen tentare hoc remedium:

℞. Croci

℞. *Croci metallorum* ʒiß. *aq. euphrag.* ana ℥ij.
aq. fœnic. *facch. cand.* ℥ß.
rosar. M. ſtent. infuſ. per noctem: filtratus liquor præm. præm. oculis inſtilletur guttatim ſæpius. Hujus mentionem facit Horſt. *Oper. Tom.* 2. *lib.* 10 *pag.* 487. Sic uſurpatur

Crocus metallor. *crocum metallorum* alvum movere poſſe, ait Quercetan. *l. c.* Sed nimis liberaliter hoc aſſertum putat Libavius, apud Horſt. miraturq; etiam Sennertus, & ridet ferè illum Medicum, qui collyrium ex *croco metallorum*, oculis immiſſum, purgaſſe copioſè, contendit. Sed id fieri poſſe, teſtatur hiſtoria Guilielmi de Mera, Medici Delphenſis, apud Neandr. *f.* 213. ubi ait, Collyrij ex aloë facti ſapor linguam in horæ unius ſpatio ferit, ſi oculis immittatur. Si ſapores ex oculis ad linguam vergunt: quidnî purgantium vis ſpirituoſa ad interiora corporis penetrare poſſet? Quamvis viæ ſint incognitæ, & hîc etiam ad ξύῤῥοια & ξύμπνοια Hippocr. recurrendum ſit; ac certum eſt quoque, *croci metallorum* gr. iij. tantùm glandi indita, alvum non ſolùm copioſè moviſſe, ſed & binum concitaſſe vomitum: qui, ſi minùs eo opus eſt, ut in apoplecticis, caput replere, & ægrum ſuffocare poteſt. Propterea cautè & in ſuppoſitoriis & in clyſteribus *Antimonio* utendum. Sennert. *L.* 1. *Pract. part.* 2. *cap.* 33. *fol.* 666. 669. *& ſupra, cap.* 1. *de Apoplexiâ.* Rationes etiam vide apud Septalium.

Cucurbitula. In obſtructionibus & adſtrictionibus nervorum opticorum, præmiſſ. præmitt. *Cucurbitula* occipitio, cum ſcarificatione admota, tantâ efficiâ humores à partibus anterioribus, & nervorum principio, detrahit, ut nonnulli, poſt illius applicationem, quaſi in momento viſum recuperaverint: teſte River. *Pr. Tom.* 1. *fol.* 179.

Revulſio à nervo optico. Fernelius, *in Conſil. N.* 9. efficaciſſimam & tutiſſimam *Revulſionem* experitur, quæ fit à nervo optico in id cavum, quod eſt in radice auris, & in connexione maxillæ, ponè infimam auriculam.

culam. Per id enim ramus, à vena jugulari intrò subiens, in opticos nervos utrinque excurrit, eosque comitatur ad oculos usque. In id cavum *Emplastrum* ponit *vesicatorium* è *sem. sinapi* & *cantharidum*, ana ʒj. *ferment. acr.* ℥j. De Emplastro quodam Vesicatorio, & ejus usu, vide Horstium, *Oper. Tom. 2. p. 560. c. b.* speciatim, abjecta asa fœtidâ. Emplast. vesicator.

Horst. autem, *Op. Tom. 2. l. 9. Obs. 7. p. 444.* rarissimè, ait, *cæcitatem* fieri ab obstructione nervorum opticorum, sed potiùs *interceptione spirituum*, quæ contingat, compressis, vel collapsis anterioribus cerebri ventriculis.

Visus conservatur aspectu rerum nitidarum, ut sunt vitra, specula, *ocularia Specilla*, quæ à Monavio, apud Craton. *in Epist. à Scholzio collect. 198. pag. 321.* singulariter commendantur. Nam inter humorem crystallinum, & talia transparentia, insignis est analogia. Hinc Aristoteles Magno illi Alexandro consuluit, ut sæpe speculum tersum directè ac diu intueretur; ut sic visum corroboraret. Idem fecit Pater meus opt. p. m. post diuturnam lectionem, vel scriptionem; suosque oculos sic summopere recreavit, conservavitque visum ad extremam usque senectutem. Quin & ego ipse idem experior, qui priùs, ob debilitatem visus, lectionem vix per horam continuare potui; nunc verò, postquam *ocularius specillis* assvevi, sine mora, vel impedimento, toto die lego & scribo. Vide *loc. cit.* Monavii lectu dignissimum. Rationem docet Optica, & Schola etiam Salernit. *f. 12.* Quia radii, in superficie speculi collecti, ob densitatem dissipari non possunt, sed servantur refracti, & ob nitorem augentur. Quòd autem specilla visum, si non acuunt, saltem conservent, ideo fit, quia species, de medio clariore ad densius permeantes, majores apparent & densiores. Ocularia specilla.

Dum, an. 1655. 17. Julii, iter facerem cum alio præclaro Medico, incidimus in quæstionem me ipsum concernentem: cur aliqui cominus malè; eminus satis exactè videant objecta si- Visus.

 bi pro-

bi proposita ? Quia verò neuter alteri ex tempore satisfacere responso videbatur, domum redux, consului & Opticorum & Physicorum libros. Tandem reperi, & collegi è Dan. Sennert. *L. 1. Pract. part. 3. sect. 2. cap. 25. fol. 821.* ipsum causam insinuare potiùs, quàm explicare : petendam nimirum à foramine pupillæ amplioris, vel contractioris. Ii enim, quibus in propinquo visus est hebetior, quàm in longinquo, ut mihi, pupillæ foramen, per quod species visibiles intromitti debent, vel à natura, vel ab errore externo, lucubrationibus nimiis, percussione, vulnere, casu, vel (quod mihi contigit) variolis violentis, & lectione, scriptionéve minutissimarum litterarum, nacti sunt amplius, in quod ab objectis minùs remotis, ubi non tantum luminis requiritur, nimis copiosum tamen ingreditur. Et tales dicuntur *Myopes*. Si verò res remotas intuentur, tantus luminis splendor, ab objectis remotioribus, propter distantiam, per foramen pupillæ amplius non intrat : adeoque visus non obscuratur. Et sic, sine impedimento, remotiora æquè bene vident, ac alii.

Myopes qui ?

Riverius autem, *in Prax. Med. Præfat. ad Tomum secundum, fol. 169.* illud ipsum *situi humoris crystallini* attribuit. Prout enim situs profundior illius humoris est, eo meliùs proximiora videri : si verò vergit versus superficiem, tunc remotiora exactiùs videri. Sed utraque sententia facilè combinari potest, si dixerimus, situationem crystallini humoris sese jam hoc, jam alio modo habere, pro constitutione pupillæ.

Visum clarific.

Visum clarificat etiam *granum hormini sativi*, sive *sclarea*, Ger. Scharlach. Hoc faciunt Mulieres Italicæ, granum unum interdiu intra oculum sine molestia gestantes, pro visu clarificando : referente Guil. Fabric. *fol. 90.*

Idem facit, quod Forestus pro secreto habet, *pingvedo*, quæ ex *hepate mustelæ piscis*, eine Ruthe/ calefacto destillat. Debent autem palpebræ, & supercilia tantùm, non ipsi oculi, eâ pingvedine inungi.

Si

Si verò vel *festuca*, vel *pulvis*, aut *frustulum ligni* &c. *in oculos inciderit*; impone, inversis palpebris, in oculum *lapillum cancri*, e'n Krebsäuglein. Is mundabit oculum: præsertim si somnus subsequatur. Idem, *ibid.* Vel tere *quatuor grana sem. asparagi*, & madefac *aq. rosarum*, & impone oculo: sic sponte excidet, quidquid oculo molestum est. Joseph. Schmid, *in Exam. Chir. Germ. fol. 117.* Oculo illapsa.

Riverius, *Prax. fol. 219.* experientiam docere, ait, non *à capitis fluxione* semper oriri *Ophthalmiam*, sed non raro etiam ab *hepatis evaporatione.* Tunc, putat, *Fonticulum* in cervice magis nocere: siquidem vapores adhuc magis attrahat. Quomodo autem dignosci possit causa una ab altera, non docet. Et sanè à priori demonstratio signorum non datur; à posteriori verò ex juvantibus & lædentibus, & affectûs pertinaciâ, sine manifesta & oculorum & cerebri intemperie, signa fortè depromi possunt. Atque sic curatio instituenda. Vid. Nicol. Piso, *libr. 1. de morb. cogn. & cur. cap. 26. pag. 209. & seqq.* Ophthalmia.

In quacunque *fluxione ad oculos factâ*, si applicatur collyrium, oculum claude, & prudenter liga, ne moveatur nimium. Motus enim oculum calefacit, & sic attrahit humores, qui curationem impediunt. Guil. Fabric. *fol. 204.* ubi tale prædicat *Collyrium:* In oculorũ fluxione cautela.

Collyrium,

℞. *Mucilag. sem. cydonior.* cum *aq. rosar.* fact. ℥j.	*mell. rosat.* ℥ß.
aq. fænic.	*tutiæ pp.*
euphrag. ana ℥ij.	*CC. ust. pp.* ana ʒß.
	camphor. gr. iiij. M.

Quomodo *Nubecula*, *Pterygion*, *Cataracta*, distingvantur & curentur, vide apud eundem, *paulò ante.*

Visum etiam *debilitat Balnei* frequentia, sive nimium exiccando, sive fumosis vaporibus visum obfuscando: ut loquitur Schol. Salernitan. *fol. 302.* Hinc evenit, ut incolæ Rheni plurimi Visum debilitantia.

mi oculos præmaturè perdant, quia nimirum *Balneis* nimis frequenter utuntur, proculdubio Laconicis.

Fluxiones divertentia.

Ad *fluxiones oculorum divertendas*, applica tale *Epithema* nuchæ:

℞. *Alb. ovor.* num. ij. *allior. cont.* num. ij.
croci. ℈ij. *aq. rosar. alb.* ℥iiß.

Contusa & conquassata *immitte omnia stupa cannabina, & impone.* Est experimentum R. Dn. Lucæ, Parochi quondam Straubingensis.

Thomas Mermannus, celeberrimus quondam Bavariæ Medicus, *in Consiliis manu scriptis, à Philipp. Theodor. Schœnlino, Medico ejusdem Provinciæ notissimo, collectis*, & à me asservatis, in *oculorum fluxionibus* singulariter commendat hoc:

℞. *Ovum ad duritiem coctum: vitello abjecto, imple cavitatem vitriolo albo, & suspende in cella, ut liquor in aquam rosarum suppositam defluat. Hunc exprime, & colati guttas aliquot in oculos infunde, linteoq; eo madido noctu oculos tege.*

Ol. flor. cyani.

Florum cyani ante Solis ortum collect. q. s. Contunde in mortario marmoreo, & sic repletum vitrum, bene obturatum, ad Solem per mensem pone: dein obvolve vitrum fermento, & pone in furnum pistorium, ut cum pane coquatur. Ita proveniet *Oleum*, sive *liquor* quidam, summum oculis à calidis fluxionibus, & salsis humoribus, auxilium. Sennert. *L. 1. Pract. part. 3. sect. 2. cap. 12. pag. 787.*

Oculi rubentes & dolentes.

Crato, *Consil. 61. fol. 180. oculis rubentibus* instillat *aquam è nive Martiâ destillatam;* dolentibus autem, *fol. 182.* applicat aliquoties, & clausis quidem, *pelliculam interiorem de auribus leporinis detractam, in lacte muliebri madefactam*: vel, quod pro secreto proponit paulò pòst, noctu adhibendum. ℞. *Butyrum recentiss.* vel *medull. bovis*, vel *cervi*, & huic admisce *alcool lapid. calaminaris*, quantum potest capere, ut fiat Ungventum extra oculo, orbitæ, angulis, & palpebris inungendum. Manè abluitur *aqua ro-*

Ungvent. Ophthalmicum.

saceâ

saccâ, & *fœniculi*, cui *pulpa pomorum* fuerit incocta. De *decocto fœnigraci* speciali vid. *ibid. Consil. 60. pag. ead.* it. modum decoctionis apud Fuchsium, *method med. libr. 1. cap. 38.* Mitigare autem hoc decoctum, & lenire, sed parum calefacere & digerere, habet Christoph. à Vega, *libr. 3. de art. medend. sect. 2. cap. 2.* ad leniendas autem asperitates, dolores sedandos, & digerendos humores, utilissimum esse: & vaporem *decocti fœniculi, fœnigræc. sem. lini* & *croc.* dolores satis magnos sedare. *Linimentum* ex *Ungvento alabastrin.* & *lact. muliebr.* intinctionis petiæ lineæ imponendæ, habet etiam Bened. Vict. Faventin. *Empiric. c. 8. propr.* & aliud H. Minsicht, *Armament. Med. Chym. sect. 35. pag. 484.* Aliaque plurima apud Riverium, *Pract. Med. Tom. 2. libr. 1. cap. 8. pag. 49.* & *alibi*: item Philip. Müller. *Myster. & Miracul. Med. Chymic. pag. 72. c. a. in 4t.*

Petrus Forestus, *L. 11. Obs. 4.* infinitos hoc *Collyrio* curatos asserit, præmiss. præmittend. Collyria.

℞. *Cerussæ lotæ* ℥j.	*tutiæ pp.* anā ʒß.
amyli,	*opii*,
gum. tragac.	*camphor.* anā ʒj.
sarcocoll.	*aq. rosar.* q. s. F. Massa:

cujus portio dissoluta cum *aq. rosar.* instilletur oculo, superponendo linteum, eodem collyrio liquidum.

Idem, *Lib. cit. Obs. 7.* Admovimus, inquit, post universalia hoc Collyrium: ℞. *Lactis mulieris*, *croci*, *fellis capræ*, part. æqual. bulliant parum in *testa ovi*. Hujus mixturæ gut. ij. inde oculo. Multis in quatuor diebus *Ungvem* erosit, & *Pannum* abstulit. Præcepi quoque, ut hac *Aqua destill.* oculum abluerent, vel infundant gtt. aliquot: ℞. *Exta Lupi piscis*, in minutas partes concisa, adde *fol.* & *sem. fœnic.* Mj. M. & destill. Visum acuit, & unguem ab oculo removet. Cautè tamen his utendum. Oculis quoque instillat Idem *liquorem expressum è formicis rubris, in arboribus habitantibus*: vix enim aliquid est præstantius. Idem, Unguis oculi: seu Pterygium.

in pueris, qui fortia non ferunt, *melle* pelvi illito, ignitisq; carbonibus subjectis calefacto, donec virescat, oculorum maculas delet.

Quin etiam *Aquam mellis destillatam*, solam usurpatam, multum præstare, ad omnes oculorum *maculas* extergendas; si illius usus diu continuetur, scribit River. *Pr.fol.214.*

Pterygion &c. *Pterygion*, sive *Ungvem*, sive *Albuginem*, sive *Maculam albicantem*, tollit *magisterium perlarum* inspersum. Horst *Op.Tom.2. pag.559.* Vid. & eund. *pag. 106. ibid. Obs.39.*

Oculi lachrimantes. Ad *oculos lachrimantes* exprime & instilla succum viridis herbæ *grani Parnassi*, Ger. Haidenkorn. Crat. *Cons. 58. pag. 171.* vel imple *cannam fœniculi*, *supra radicem incisam*, *sacchare cand. succum* sponte defluentem immitte oculis.

Oculi cicatrix. Ubi *Macula rubra* ab extravasato sanguine in oculo apparet, infunde aliquoties gutt. ij. iij. de hoc *Liquore*: ℞. *Fraga bene matura, & inde pelvi aurichalcea, ut media impleatur: asperge salem nitri, & cooperta in cella applica filum laneum.* Inde destillantem *Liquorem viridem* serva. Sennert. *Libr. 1. Practic. part. 3. sect. 2. cap. 22. pag. 817.* ubi statim pòst, *fol. 818.* monet, in omnibus oculorum vitiis, ubi *albumine ovi* opus est, illam albuminis partem eligendam esse, quam *Gallaturam* vocant: Ger. das Vögelein.

Propter ictum, casum, aliámve violentiam, vulnerato, & sangvinem sudanti oculo: wann das Aug mit Blut belaufft/ Horst. *Op. Tom. 3. pag. 404.* inter localia *sangvinem columbinum*, sub alis præcipuè detractum, cum *aqua rosar.* dilutum, instillat, & per lintea imponit. Vid. etiam *ibid. pag. 38. Quæstion. 2. ex professo.* In *malo inveterato*, quando rubor ad *nigredinem* declinat, commendatur à Gal. *hyssopi coma trita*, linteo inclusa, inque aquam ferventem demersa, & oculo sæpius admota.

Quòd *Palliativam curam* adhibere liceat, cùm vera, ob difficultatem, denegatur, patet in lepra, lue Venerea &c. quin & in ocu-

in oculorum vitiis. Si itaque cicatricem, post vulnus oculo inhærentem, abstergere nequis; ut saltem color alienus in nigrum, vel fuscum, oculo similiorem, mutetur, licebit immittere oculo *succum hyoscyami*, vel *mali Punici dulcis*: vel fac *decoctum è balaustiis, acaciâ, gummi Arabico, antimonio, gallis*; & absterge sæpius oculi *maculam*: continuanda autem hæc sunt diu: svadente eodem Sennert. *loc. cit. cap.16. fol.*804.

Horst. *Op. Tom.* 2. *l.* 9. *Obs.* 7. *p.* 443. quendam, qui se ipsum in tunica cornea vulneraverat, sic tractavit; I. repulsionis gratiâ, inunxit circumcirca *Ungvent. populeum*, cum *rosaceo*. II. imposuit oculo *Cataplasma ex pulpa pomorum dulcium*, cum *mucilagine sem. cydonior*. in *aq. rosar.* extr. III. *Scarificationes* adhibuit in dorso. IV. *Vesicatorium* in nucha applicavit. V. *Pilulas cephalicas* exhibuit. VI. *Collyrium* ex *aq. fœniculi*, cum *succin. pp.* & paucillo *croci* imposuit. VII. ad materiam præsentem digerendam & resolvendam, novum *Collyrium* ex *sangvine columbarum* in *aq. fœnicul. dissol.* & *colat.* applicuit. Hinc visus paulatim rediit. VIII. tandem adhibuit *Collyrium*, quod ℞. *tutiæ pp.* & *magister. perlar.* cum *aq. fœnic. plantag.* &c. Oc. vulnus. Curatio.

Miratur Guil. Fabric. apud Horst. *Oper. Tom.* 2. *l.* 2. *Obs.* 35. *pag.* 102. quòd tres *oculorum tunicæ*: adnata; quæ à pericranio: cornea; quæ à dura: uvea, quæ à pia matre oritur, in cataracta perforari possint, citra singularem dolorem: cum aliâs exquisitissimè sentiant. Huic respondet Horstius, fieri sc. hoc partim propter Patientis metum & consternationem, vi cujus pars vulneranda quasi insensilis redditur; partim ideo, quòd oculus talis laboret intemperie frigida cum materia viscosa; adeoque tam exquisitè non sentiat, ut sanus oculus. Adde, quòd singularis etiam hîc Dei Opt. Max. consideranda veniat Providentia, quæ in hominis commodum dolorem aufert, donec operatio plena periculo & difficultate peragatur. Oc. Tunicæ.

Cataracta. In *Cataracta*, vel *Suffusione*, licebit, antequam veneris ad Chirurgiam, præmiss. præmittend. uti *Collyrio* hoc, ab Omnibono Ferrario, *de arte Med. Infant. fol. 153.* singulariter commendato:

℞. *Aloës* ʒj.	*aq. rosar.*
pompholyg. lota ʒß.	*fœnic.* ana ℥j. M. & ex
aq. euphrag.	eo Fiat destillatio in oculos.

Joan. Neander, *Tabacolog. fol. 85.* curari, inquit, *Suffusiones Suffitu Tabaci* in oculum sæpius immisso, altero tamen clauso.

Azarias Angelus, *L. Tobiæ, cap. 6. oculorum Maculis* medebatur *felle piscis* immanis. *Fel*, inquit, *valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.*

Fistula lachrym. Quomodo sit curandum ulcus illud oculorum, quod *Fistula lachrymalis* dicitur, vide apud Guil. Fabric. *f. 401.* & *500.*

Nyctalopia. Affectus, quo qui laborant, noctu omnino nihil vident, interdiu parum, vocatur *Nyctalopia.* Hôc laborantes vidi, tempore belli Suecici, plurimos milites, & incolas in Svevia & Bavaria, qui, ob annonæ penuriam, defectum pingvedinis pro causa, nec ineptè, allegârunt: Weilen sie ungeschmaltzen essen. Irridet quidem ipsos Medicus Augustanus, Hœchstetterus; sed illi respondet Horst. *Op. Tom. 2. lib. 2. Obs. 34 p. 100.* absurdum non esse. Et cibi, quibus tunc vescebantur illi homines ex lolio, lino, avenâ, fungis, radicibusque variis, nisi pingvedine copiosa conditi, facilè fumos tetros ad caput & oculos mittere potuerunt. Curantur verò tales mutatione *Diætæ* in meliorem. Appropriatum ipsis est *jecur hirci* variè præparatum apud Forest. *Libr. 11. Obs. 38.* (Cura.)

Lippitudo. Ad morbos *oculorum* multum facit *diæta*, & *climatis ratio*: unde in Ægypto vix tertium hominem *Lippitudine* carere, narrat Helmontius: causamque, *alibi*, dicit, quòd omnes ita oculis passim laborent ex esu fructuum, & aquæ potu superaddito.

Tegu-

Tegumentum oculorum, *Palpebræ*, aliquando ita *coalescunt*, ut Chirurgiâ indigeant. Tunc consule Guil. Fabricium, *f. 502.* ubi modum *apertionis* ingeniosè docet. Palpebrarū coalitus.

Solet ex affluxu humorum, vel etiam congestione, *Tuberculum* oriri, oculo satis molestum, Germ. ein Wären/ quod à Jonstono, *L. 8. Idea Med. p. 394. de palpebr. aff.* sub Titulo *Trachomatis* describitur, quasi interna partis palpebrarum asperitudo, quæ se externè milii granis simili eminentiâ prodit. *Curatur* ab ipso, præmissis emollientibus, abstergentium usu, ut *aloës pulverisatæ* inspersione: uti colligitur ex loco quodam Galeni, à Fernelio, *de abdit. rer. caus. lib. 2. cap. 5.* allegato; vel *in aq. ros.* vel *myrrhæ in lacte* applicatione, vel palpebræ inversæ, cum *sacchare cando*, ad sangvinis proruptionem frictione. Aliàs facilè cedit *inductione saliva hominis jejuni*; fortè etiam *hyssopi* calidè cocti appositione. Palpebrarū Tuberculum. Trachoma. Curatio.

Ut oculi valent, ita totum corpus. Hippocr.

Oculorum dolores meri potio, aut fomentum, aut venasectio, aut purgatio, solvit. Hipp. l. 6. aph. 31.

Oculorum dolores, post vini meraci potum, & aqua copiosa calentis balneum, venasectione curato. l. 7. aph. 46.

Quibus in febribus, aliisvè morbis, oculi voluntariè illacrymant, absurdum non est; quibus verò præter voluntatem, absurdum. l. 4. aph. 52.

Per somnum etiam, nunquid ex oculis subappareat, inspiciendum. Nam si quid, non exactè commissis palpebris, ex albo subappareat; modò non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione contingat, malum est signum, & lethale valde. l. 6. aph. 52.

A vomitu, singultus, aut oculi rubentes, malum. l. 7. aph. 3.

Ophthalmiâ laborantem diarrhœâ corripi, bonum. l. 6. aph. 17.

Inter anni tempora, si hyems sicca & aquilonia fuerit; ver autem pluvium & austrinum, æstate febres acutas fieri necesse est, & ophthalmias &c. l. 3. aph. 11.

Si verò hyems austrina & pluviosa, & serena fuerit; ver autem siccum & Aquilonium; mortalibus dysenteria & ophthalmia sicca fiunt. l. 3. aph. 12.

Si verò autumnus aquilonius & siccus fuerit, naturâ humidis & mulieribus erit commodus; reliquis erunt ophthalmiæ siccæ. l. 3. aph. 14.

Siccitatibus morbi tabifici, ophthalmiæ &c. l. 3. aph. 16.

Aquiloniæ constitutiones oculos mordent &c. l. 3. aph. 17. austrinæ oculis vertiginem afferunt. Ib.

Æstate ophthalmiæ. l. 3. aph. 21.

Senibus oculorum humiditates, &c. l. 3. aph. 31. Et visus obtusus, & glaucedines. Ib.

In morbis melancholicis, periculosi humorum decubitûs, cæcitatem prænunciant. l. 6. aph. 56.

CAPUT IX.

De Aurium affectibus.

Auditus læsio.

LÆsioni auditûs Horstius succurrit, *Oper. Tom. 2. pag. 312. Pilulis*, & *Topicis*: quibus adde, quæ exhibentur Ejusdem *Tom. 3. pag. 204.*

Aurium dolor.

Si ex causa frigidâ *aures dolent*: ℞. *Capam satis magnam rubram, sub cineribus coctam*: adde

ol. chamamel. ℥j.	*butyr. rec.* ana ℥ß.
aneth.	*croc.* ℈j.

Ducantur in mortar. ad Emplastri formam, & calidè noctu diuque applicetur. Illud enim dolorem auris tollit, apostema solvit, &, si ad suppurationem vergit, eam promovet. Forest. *libr. 12. Obs. 4.* Vid. & Bened. Victor. Faventin. *Empiric. c. 7.*

Emplastrum.

Aurium dolores subitò quoque sanat, etiam acerbissimos, *oleum è ligno coryli* destillatum, aliàs *Herculeum* dictum, gutt. ij. infus. Sennert. *libr. 1. Pract. part. 2. sect. 3. cap. 8. pag. 924. c. a.* ubi mo-

monet, cautè adminiſtrandum hîc eſſe *opium*, ac nōn, niſi addito *croco*, & *caſtoreo*. Leonellus Faventin. *de medend. morb. c. 18. oleum de vitell. ovor.* ſi immittatur, in continenti removere dolorem, & præparare exitum ſaniei in ulceribus, autor eſt. Conf. Chriſt. à Vega, *de art. med. libr. 3. part. 3. ſect. 3. cap. 1. propr.* Poſt omnia incaſſum adhibita Riverius, ex Zacuto Luſitan. proponit *cucurbitulam ſcarificatam*, poſt aurem appoſitam: additque, ſi multum fluxerit ſangvinis, certò ſanatum iri Ægrum. Ipſe autem River. ſingulariter commendat *Arteriotomiam*. Vid. *Prax Med. Tom. 2. ſect. 2. cap. 3. prop.*

Idem, *Pract. fol. 642. Surditatem*, in principiis morborum, ut ſemper ſuſpectam aſſerit: ita in ſtatu morbi ſalutarem pronunciat. Indicium enim eſſe, cerebrum, ſatis validum, noxios humores ab internis partibus ad exteriores detrudere. Loquitur verò ibi de febribus continuis, & quidem malignis ac peſtilentibus. Aliter ſe res habet in morbis chronicis, & febribus intermittentibus. Tunc enim ſuperveniens *ſurditas* non cerebri robur, ſed ſpirituum arguit penuriam, quibus organa auditûs deſtituuntur. Reſtaurantur autem meliori diætâ, & cum tempore. Surditas.

Foreſt. *loc. ſupr. citat. goſſypium* cum *moſcho* auribus imponit, ad tollendam ſurditatem; vel *oleum è muribus recens natis coctum*. Ex his Horſtius deſtillat A*quam*. Item *ſuccus ovorum formicarum tritorum* ſuditatem, quamvis vetuſtiſſimam, ſanat. Cura.

Neander *ſucci*, vel *olei Tabaci* gutt. iij. vel iiij. tepidè ſupino auribus inſtillatas veſperi, ſomni tempore, ſurditati maximè convenire, ſcribit. *Fumum* quoque metrenchytâ auribus excipere jubet, *pag. 87*.

Crato, *in Conſil. 57. pag. 171.* intingit *goſſypium* in *Balſamum Orientalem*, ſive *de Peru*, & immittit auribus: vel *goſſypium* madefacit *aquâ carduibenedicti opt.* &, nihil ſe præſtantius hoc medicamento expertum, ait. Vid. & *Conſil. 69. pag. 393.*

Penotus, apud Riverium, *pag. 272.* surditati medetur, præmiss. præmittend. *Thermis sulphureis*, quibus spongiam grandem madefacit, & cucuphæ instar capiti imponit. Idem pro extremo remedio, in surditate & cæcitate, commendat, ex aliorum potiùs sententiâ, quàm propriâ experientiâ, *inunctionem per hydrargyrum*; & putat, si in lue Venereâ sanentur hæc vitia, posse etiam tolli extra illam.

Auditus diminutus. *Auditus diminuitur* in convalescentibus etiam, ubi natura adhuc est debilior, & excrementorum vaporumque proventus major. In hoc casu auribus immissa, sive localia, parum valent. Curatio. *Curatio* potiùs consistit in Observatione diætæ, & medicamentis universalibus.

Quemadmedum visus offenditur nimio splendore, sibi derepente objecto: ita auditus *soni grandis violentiâ*: v.g. per campanas & tormenta ænea, von den Mörseln und Carthaunen / die grosse Schläg thun / & oppositâ quandoque in parte, deperditur: uti factum recordatur Horstius, *Manuduct. ad Medicin. fol. 54.* quòd nimirum bombardam explodenti auditus non in dextrâ aure, cui tamen bomborda erat inclinata, sed in sinistrâ læsus fuerit: eoque modo fieri putat, quo cranii contrafissura. Ego verò arbitror, ideò fieri, quia sonus percipitur erumpente igne ex canalis ore extremo: quò autem per externum aërem sonus pellitur, vel ipse per se erumpit, ibi auditum lædit. Sic enim cerebrum concutitur, & nervus auditorius, ex quo formatur membrana, tympanum dicta, simul convellitur, eaque vel dilatatur, vel rumpitur. Eadem ratione, ex violenter scilicet introducto aëre, & hinc factâ solutione continui partium ad auditum pertinentium, auditum perdunt ii, qui ex alto ceciderunt.

Quòd per meatûs, qui ex palato pertingunt ad aures, soni etiam percipiantur, etsi utraque auris exquisitè sit obturata, demonstrat Riverius, *Prax. Tom. 1. pag. 266.* eò, quòd, si baculus impo-

imponitur instrumento Musico pulsato, & altera extremitas dentibus apprehenditur, Musica perfectiùs audiatur. Unde etiam surdastri os aperire solent, si quid exactiùs audire volunt.

In aurium doloribus, & *Tinnitu*, tutò procedendum esse, monet Guil. Fabr. *fol. 405.* neque facilè aliquid liquidi infundendum. Illud enim ad membranam, *tympanum* dictam, defluit, &, propter anfractûs, refluere non potest: hinc putrescit, & auditum abolet. *Turundis* itaque, vel *gossypio*, admiscendum, quidquid auribus curandis destinatur, præm. præm. Aurium tinnitus & dolor.

Si verò *Liquor* aliquis per incuriam *instillatus* fuerit, & eximi debeat, per *spongiolam* madefactam *aq. betonicæ*, vel *card. bened.* iterumque expressam, auri cum stylo vel filo impositam, id tententur, sæpiusque repetatur operatio. Auribus illapsa.

Arculanus, apud Riv. *fol. 296.* experientiâ habet, admotam capiti *lacertam*, Germ. Heydechse/ vivam, vel paulò antè mortuam, per trihorium extrahere omnia in aurem illapsa.

Oleum è colocynthide, coctione expressum, mederi hîc, habet Camerar. *in Histor. Colocynthid.*

Instrumentum fabricant Hispani, ad acutiùs audiendum, quod *Sarbatana* dicitur, ex argento, vel cupro, idque, si defectum in auribus habent, secum gestant, ut Myopes ocularia. Est autem infundibuli instar, cujus ampliorem partem objiciunt secum loquentibus, angustiorem autem auribus propriis applicant. Vidi ego tale apud Hispanam mulierem seniculam, Lyncii Sup. Austr. & describitur à Mathematico quodam Altorfensi. Sarbatana.

Austri auditum hebetantes, caliginosi caput gravantes, pigri dissolventes: cùm isti prævaluerint, patiuntur in morbis talia. Hipp. l. 3. aph. 5.

Quibus per febres aures obsurduerint, iis sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus, morbum solvit. l. 4. aph. 60.

In febre non intermittente &c. si non audiat &c. debili jam corpore, in propinquo mors est. l. 4. aph. 49.

In *hæmorrhagia narium* deſperari non debet, etiamſi magna ſecedat ſangvinis copia: quod ſæpiſſime animadvertimus: licet Riolan. *de Circulation. ſangvin. pag. 10.* putet, totum eſſe arterioſum, ac veluti colatum per arteriolas duræ meningis. Conſideranti verò copiam ſangvinis, per hæmorrhagiam talem proruentis, difficile erit, credere, merè arterioſum eſſe, & ſic puriſſimũ ſangvinem. Conſtat ſiquidem experientiâ, talem ſangvinem non ſincerum, ſed plurimo ſero dilutum eſſe: quod ſerum ipſum ſtimulat facultatem expultricem ſuâ ſalſedine: nam ſi illud eſſet, homo neceſſariò interiret, vel ſaltem extremè debilitaretur: cùm tamen contrarium videamus in juvenibus & mulieribus, quando, cum virium ſatis integrarum conſervatione, maximam ſæpe narium & uteri ferunt hæmorrhagiam. Hæmorrhagia narium.

Ad hanc tamen quoquomodo compeſcendam, ſume fruſtum *cretæ*, illudque digito annulari, lateri affecto reſpondenti, præhende, donec incaleſcat. Eſt experimentum Matronæ cujusdam nobilis, apud Foreſt. *L. 13. Obſ. 10.* Curatio.

A proprietate hæmorrhagiam narium *ſiſtit ſtercus ſuillum*, pro odore naribus objectum. Parens meus Opt. p. m. admiſcuit *fragmenta ollæ veteris pulveriſata*: & ſic ad miraculum ſtitit ſangvinem. *Laudanum opiatum* omnem ſangvinis eruptionem cohibet.

Introductor meus ad Medicinam Practicam, Perilluſtris & Mag. Vir, Antonius Comes Cæſanæ & Colle, Salisburgi primitùs, dein' Monachii, Archiater celebratiſſimus, quem debiti honoris, & piæ recordationis gratiâ nomino, *hæmorrhagiam narium* ſic curavit:

℞. *Pulv. adſtringentis* ℥j. *aceti* parum. Specifica
alb. ovi conquaſſ. ſ. q. M. Applicetur fronti, & circa Anton. Col.
collum, *Epithematis* inſtar.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. spermatis ranar.* *aq. nymphaea,*
plantag. *syr. corallior.* ana ℥j.
M. bibatur frigidè.

℞. *Carnis bubula recentis*, asperge *aceto forti*, & impone nuchæ capitis. Fac, si videbitur opportunum, *Epithema è refrigerantibus*, & scroto impone. Sic resistet sanguis subitò. Fiat revulsio per venæsectionem, vel cucurbitulas siccas, suræ pedum applicatas, & brevî remotas, ne lipothymiam causent.

River. *f. 331. Hæmorrhagiam narium*, ait, *subsistere*, superveniente *Lipothymiâ*; & illud exemplo Episcopi alicujus probat. Ego verò, si sponte contigerit *animi deliquium*, ut in allegata historia, permitterem, ut fortuitum remedium, non autem suaderem, studio lipothymiam causari; quod nec Riverius audet: quia in nostra non semper stat potestate, quò usque lipothymia deducenda sit, ut in venæsectione. Atqui hoc esset morbum leviorem curare per graviorem.

Sternutatio. *Sternutatio* violenta, ex catarrho sallo v.g. curatur *attractione lactis tepidi*. Item *dimitte manûs in aquam frigidam, frica oculorum angulos internos*. Utilis quoque est *lacertorum pandiculatio, spiritûs cohibitio*, &c. Forest. *l. 10. Obs. 127*. Eundem locum citat Horst. *Tom. 2, p. 298*. quem vide integrum.

Jonstonus, *Id. Med. f. 421*. crebram, & exinde molestam, *sternutationem* stitit fortiùs compressis venulis in angulo oculorum naribus proximo.

Ulcera narium maligna. Polypus. Cancer. Ranarum aqua. *Ulcera narium maligna*, post universalia, ut & *Polypum, Cancrum*, &c. curat Guil. Fabric. inspersione *Ranarum*, hoc modo: *Ranas*, inquit, *f. 405. sic praparo: Accipio aquatiles, suspendo illas in cucurbitam, ut fundum non attingant, ne comburantur, & aqua extillans odorem gravem acquirat. Accenso igne* aquam *in arena clementer extraho, & ad usum reservo. Est enim pretiosa in ulceribus malignis & cancrosis; item in polypo, ozanâ, aliisq; pudendorum & sedis ulceribus; inflammationem extinguit, & malignitatem corrigit.*

git. Ignem non extinguo, donec omnino exiccatæ fuerint ranæ: sed illam aquam, quæ circa finem prodit, separatim colligo, propter odoris gravitatem, eâq; in externis tantùm utor. Ranas ita exiccatas in catillum fusorium projicio, ac in albissimos cineres *comburo. Valent non solùm ad sistendum sangvinem; verùm etiam omnia ulcera maligna & sordida, si eis inspergantur, mundificant, abstergunt, & eorum malignitatem corrigunt.* Vide etiam Horst. *Tom.2.p.453.*

Joh. Neander, *Tabacol.f.88. Fumo Tabaci*, vel etiam *Pulvere*, in nares immisso, *Polypum* sanat. Sic autem inquit: *Si polypus nares infestaverit, Nicotianam leviter tritam malo adponito, naribusq; fumum haurito; triduo quatriduóve Polypus excidet: &, ubi exciderit, dies tamen aliquot continuato, donec radices ejus sint persanatæ.* Felix Platerus *fumum* solummodò *Peti* affectâ polypo nare excipere jubet.

Quibus naturâ humidiores sunt nares, & genitura humidior, ii morbosiore sunt valetudine. Hipp. l. 6. aph. 2.

Sternutamentum ex capite cietur excalfacto cerebro, & perhumectato spatio capitis inani. Aer enim intus contentus foràs erumpit; strepit autem, quòd ei perangustus est transitus. l.7. aph.51.

Senibus narium humiditates &c. l.3. aph.31.

Quæcunque refrigerata sunt, excalfacere oportet; præter ea, à quibus sangvis profluit, aut brevi profluxurus est. l. 5. aph. 19.

At frigido in his utendum, unde sangvis profluit, aut profluxurus est, non supra partes ipsas, sed circa eas, unde profluit, adhibito; & si quæ inflammationes, aut deflagrationes, ad rubrum & subcruentum, ex recenti sanguine, vergunt &c. l. 5. aph. 23.

CAPUT XI.
De Dentium & Gingivarum affectibus.

NIhil æquè *Dentes* offendere, atq; *Saccharum*, & quæcunque dulcia, eosque corrumpere, habet Forestus, *Libr.14. Obs.3.* idem facere dicuntur *Ficûs* comesti.

Dentium dolor.

Denti dolenti, si vis eum *evulsum*, inunge *gum. ammoniacum*, mixtum cum *succo hyoscyami*: Item *lac esulæ* cum *ammoniaco*.

Cura.

Vel ℞. *Rad. pyrethri*, *euphorb.* *ellebor. albi*, *scammon.* ana ʒj.

M. *cum aceto*, ad *Linimenti* formam, & inunge eo dentem: sed cave, ne locum sanum attingas. Clarissimus DD. Grembs, Medicus Monacensis. Confer pluribus Strobelberger. *de Dentium Podagra*.

Benedictus Faventinus, in summo dolore, jubebat dentem affectum stylo, vel terebello subtilissimo, usque ad medium fere perforare, si res ita exigeret, cui perforato, & à superfluis mundo, & vacuo foramini *Theriacam recentem* indebat, idque ter diu noctuque repetebat. Sic dolorem tandem dentis, à

à Vermibus.

multis causis prodientem, sustulit; præsertim verò si *à vermibus* dolor excitaretur. Quòd si malum etiam tunc cedere noluerit, foramen *succo tithymali* implebat, cavendo, ne alios dentes sanos attingeret; vel stylo acutissimo candente ustionem peragebat: referente Foresto, *L. 14. Obs. 7. in schol.*

Dentes mobiles.

Ubi monet, *ibid. Obs. 11. in Schol.* si casu, vel ictu, dentes fuerint *commoti*, licere quidem *Gargarismo astringente* uti, sed abstinendum esse *à vitriolo*, *cortice mali granati*, *gallis*, *balaustiis*; quia dentes nigrore inficiunt.

Idem ad *dealbandum* dentes, *loc. cit. Obs. 13.* utitur *Dentifricio* facto è *pumice ignito*, *bis vino extincto*, *& tertiâ vice per se refrigerato*. Apud Sennert. *L. 2. Pract. part. 1. cap. 14. f. 48.* pro secreto habetur *cinis è stipitibus rorismarini*; alii præferunt *cinerem è Nicotiana*, si eo dentes fricentur. Eadem *Nicotiana*, dentibus imposita, mirè extrahit pituitam, & sic dolorem lenit.

Jo. Neander, in dentium *nigredine*, miræ potentiæ dicit esse *sal Tabacinum*: cujus conficiendi modos proponit *Tabacolog. pag. 83.* quos *ibid.* vide.

In

In instanti etiam dentes dealbare, ab omni sorditie liberare, & à carie præservare, *spiritum sulphuris*, aut *vitrioli*, si in iis exiguus baculus demergatur, hujusque apice dentes perfricentur, moxque linteo detergantur, habet River. *Prax. Med. Tom. 2. sect. 5. cap. 2. pag. 161.* & inter omnia, quæ dentes præservant à putredine, & dealbant, maximè commendatur *ol. vitrioli*, si cum aqua misceatur; cùm puræ & integræ carni sit innoxium, & corruptam saltem tollat: habet Crato, *Consil. 75. pag. 203.* Confer Christoph. à Vega, *libr. 3. de art. medend. part. 3. sect. 5. cap. 2. pag. 161.*

Si *cadaveri exemeris dentem, & viventis denti applicaveris*, statim is excidet. Experimentum Johan. Baptistæ van Helmont/ Toparchæ in Royenborch, Philosophi per ignem, sibi: qui aliis, propter contrarias & inauditas Scholis sententias, & rerum antiquarum cavillationes, alter Cornelius Aggrippa, & Jatromastix judicatur, *in libello, quem vocat Tumulum pestis.* Videtur autem hoc remedium mutuasse ex Rhase, qui, apud Omn. Ferrarium, *de Arte med. inf. f. 183.* asserit, à proprietate dentium dolorem leniri, si *dentem hominis mortui in collo infantis suspenderis*: visum enim iri tunc rem admiratione dignam. Ego verò, ut sunt Arabes, & Ægyptii, superstitione pleni, superstitiosum hoc credo esse remedium, nisi subsit singularis quædam antipathia, soli experientiæ cognita. Dens cadaveris.

Si vis, ut sine molestia *evellatur* dens, ante operationem insperge *Pulvererem è ranis viridibus*, von den Laubfröschlein. Vel *inunge earum pingvedinem*, vel impone *gummi hederæ*, vel *rad. cucumeris agrestis*, vel *sem. hyoscyami* &c. Sennert. *L. 2. Pract. part. 1. cap. 10. fol. 26.* vid. *& ibid. p. 43.* & Confer Strobelberger. *de Podagrâ dentium, pag. 189. & seqq. 234. 235.*

Quamvis *dentium evulsio* vera *Odontalgiæ* curatio non sit: fateri tamen cogimur, non rarò sic curari dolorem dentium, evulso uno atque altero, reverâ non dolente, sed fluxionibus so- Dentium evulsio.

 lùm

lùm tentato. Idque fit ideo, quia materia fluxionis, ad effluendum, foramen sive locum reperit: adde, quòd dolor, per evulsionem causatus, materiam quoque alliciat. Crato, *in Consf. l. 2. fol. 219.* Quin & capitis dolores hac ratione sedatos testatur idem, *loc. cit.*

Prudenter hoc loco Riverius Chirurgos admonet, ne eo tempore *evellant dentes*, quo fluxio cum impetu ruit, aut caput dolet, aut tument gingivæ, aut dolor atrox sentitur. Neque violenter & affatim, uno tractu, dens evellendus, ne per violentam extractionem consequatur maxima cerebri concussio, & ossis maxillæ disruptio: quam sæpe magna hæmorrhagia, febris, & interdum etiam ipsa mors consequuntur.

In dentium *doloribus* Strobelberg. ex M. Ruland. commendat *ol. camphoræ* gutt. aliquot gossypio exceptas, & dentis cavernæ applicatas, *Cent. 3. Cur. Empiric. 3.* & *Cent. 2. Ol. lign. Heraclei* deprædicat idem Ruland. Scribitq́;, ex tempore mederi, Schönborn. *in Manual. Practic. Med. pag. 50.* Hujus quoque mentionem faciunt Hartmannus, *in Prax. Chymiatric.* & Sennertus, *Libr. 2. Pract. part. 1. cap. 11. pag. 42. c. b.* Strobelbergerus existimat, esse *oleum ex ligno Sancto*: item Schröder. *Pharmac. Med. Chym. l. 4. p. 53. c. b. Ol. buxi*, hoc modo adhibitum, dolorem ad miraculum sedare, habet River. *Prax. Medicæ libr. 5. cap. 11. pag. 176.* & *Comm. Obs. 40. pag. 420.* scribit; se infinitos à dolore dentium liberasse hoc oleo, d. m. adhibito: idem habet *Prax. Medic. Tom. 2. sect. 5. cap. 1. propr. pag. 158.* Extrahi autem illud oleum per retortam, igne reverberii, scobem illius priùs infundendo per hor. 24. in vin. alb. & omnia simul destillando, ultimoque oleum tollendo.

Applicantur quoque *Emplastra* parva temporibus, ex *mastiche*, vel *gummi Tacamahaca*, aut *Caranna* facta, indifferenter. Strobelberger. autem animadversionem addit: primò, quòd dolorem in maxillâ inferiori non sedent: secundò quòd fluxionem

quidem

quidem intercipiant, sed pertinaciùs in temporibus eam firment: *pag.* 121.

Johannes Fienus, *de Flatibus, fol.* 148. *Solent*, inquit, *in dentium dolore è* flatibus, *nostrates mulierculæ, pro magno secreto, rapi, sub cinere calente assi, infimum orbiculum calidissimum post aures applicare. Magnâ certè efficacia revellit, & dolorem sedat: ut ego, qui hujus rei experientiam & feci, & ab aliis factam observavi, testari possum.*

Colligunt mulieres mense *Martio nivem purissimam*, recenter delapsam, & colliquant ad fornacem, servantque colatam integro anno, ad varios usus; etiam in febribus ardentibus, pro Potu ordinario. Eandem commendat Schrœderus, *in Pharmac. Med. Chym. libr.* 3. *cap.* 3. *fol.* 322. ad *Odontalgiam* sævissimam: quam sæpius hujus *Aquæ* usu se domasse, habet Zacutus Lusitan. *Libr.* 1. *hist. Med. Admirand. Obs.* 46. Aq. nivis Martialis.

Videmus aliquando, omnibus excogitatis, & adhibitis remediis, *dolorem* tamen *dentium tolli non posse.* Tunc innuere videtur aliquod auxilium Crato, *Consil.* 2. *p.* 4. ubi de capitis dolore è consensu ventriculi loquitur. *Si*, inquit, *à ventriculo dolor est, medetur* Vomitus; *idq; subitò. Sicut gravissimos dolores dentium videmus subitò, simul ac evomuit aliquis, tolli.* Licebit ergo etiam in dolore dentium movere *Vomitum*: tunc nimirum, quando fluxiones ex dyspepsia cumulantur. Quod vulgo indocto absurdum videretur. Quid enim ventriculo cum dentibus? Sicut & dentium evulsio, in dolore capitis, inconsvetum, & fere etiam ineptum haberi posset remedium: quod tamen idem Crato superiùs proponit: & rectè quidem.

Exemplum immedicabilis Odontalgiæ vid. ap. Horstium, *Oper. Tom.* 2. *pag.* 98. *Obs.* 33. ubi, in Responsion. *decoctum Sarsæ* cum *lign. Gvajac.* proponitur. Strobelbergerus pro secreto habet *ligni Gvajaci infusionem* in *spiritu vini* ore tenere.

Lottichius, *in Conf. f.* 213. in *dolore dentium* carpo, & pulsi-

Allium. bus lateris dolentis applicat *allium cum creta subactum* : & hinc factam pustulam seorsim curat, cum emolumento. Idem remedium commendat paulò post, sed adjungit, propter fætorem, ad haras & Judæos ablegandum esse remedium. Hoc scil. est commendare simul, & reprobare.

Dentium dolorem sistit Decoctum origani, verbenæ, Gvajaci, sarsaparigl. calidè sæpius in ore detentum. Item *Tinctura* talis;

℞. *Lign sassafr.* ʒß.	*caryophyll.* ana ʒj.
sancti ℥ß.	*spir. vini rectif.* ℔ß.
cinnam.	Digere 24. horis, & filtra: sed ne

nimis diu in ore contineatur. Item *hyosciami semen* carbonibus injectum, & de hoc *fumus* per infundibulum in os admissus.

Vermes dentium. Sic aliquando *Vermes* enecantur, ut ex ore excidant. Sed cave, ne fumum deglutias, vel in pulmones demittas. Commendatur, simili ratione, *fumus Tabaci.* Necantur etiam *Vermes decocto rad. urticæ*, ex Crat. *Consil. f. 204.* Ubi sæpe ab ipso compertam, & efficacem, in dolore dentium, à quacunque ferè causâ, *Oris Collutionem* vide apud Sennert. *Libr. 2. Pract. part. 1. cap. 11. pag. 41. c. a.* & in *Institutionib. pag. 1478. c. b.*

Dentium stupor. Inducitur rebus nimium acidis, & austeris, ut malo citrio, pyris, & pomis immaturis & austeris, *Stupor* quidam, & molestus dentium sensus, ita, ut ad tempus inepti fiant ad masticandum. Tunc collue os *succo portulacæ*, tanquam ad id specifico remedio, ex Quercetano, & Sennerto quoque, *Libr. 2. Pract. part. 1. cap. 12. pag. 45.* Stupent similiter ex humoris talis affluxu, aut vomitu corruptæ aut vitriolatæ materiæ; corrigitur utrumque *masticatione seminis portulacæ, amygdalarum, avellanarum*, cum *corallior. rubr. pulvere* : prodest & *medulla panis calidi*; itemque *caseus recens commansus.* Vide Petr. Monavium, apud Craton. *Cons. 63. fol. 185.*

Sangvinem fundentes. *Dentes*, & *Gingivas, fluxione* tentatas, sæpius abluunt Medici Patavini vino albo calido, cui *tithymali radices* fuerint incoctę.

Exem-

Exemplum *Gingivarum sangvine ubertim manantium* habet Horst. *Oper. Tom. 2. libr. 5. pag. 279. Tabescentium* verò Crato, *Conf. 72. f. 195.*

Gingivarum flacciditati optimè medetur *oleum vitrioli*: quod nihil est aliud, quàm purissimus sal resolutus, maximâ sanandi purificandique facultate præditus; quo gingivæ renovantur; si cum *melle rosato*, vel *syr. de rosis siccis*, ad intensam aciditatem, misceatur, & eo gingivæ sæpius inungantur. Horst. *Op. Tom. 2. pag. 385.* & *Tom. 3. p. 205.* Flacciditas. Ol. vitrioli.

Quibus per febres circa dentes lentor quidam obnascitur, iis vehementiores sunt febres. Hipp. l. 4. aph. 53.

Caput XII.

De reliquis Partium, quæ in Ore continentur, vitiis.

Uvula, sive *Epiglottidis Tumor* & *Prolongatio*, ex catarrho defluente, post alia, curatur *Emplastro* suturæ coronali apposito, ex *acacia*, cum *aceto* & *gallis ustis*, addito *ung. rosac.* ab Horst. *Op. Tom. 2. p. 301.* & *Tom. 3. p. 205. Semen Cannabis*, in *poscâ* parum coctum & colatum, gargarismique instar adhibitum, fere nunquam fallere, testatur Phil. Jac. Sachsius, *Ampelograph. fol. 546.* Balneatores inspergunt *piper*, *sinapi*, pulver. &c. Crato *nucis juglandis* medullam jubet contundere cum *spirit. vini*, & imponere, *pultis* instar, suturæ coronali: item accipit in hoc casu *ovum* ad duritiem recens coctum, per medium scindit, & unam medietatem calidam imponit vertici: *Consil. 77. pag. 205.* Uvulæ casus.

Uvulæ prolongatæ *reponendi*, vel *abscindendi*, modum vide apud Guil. Fabric. *fol. 93. & seq.* ubi prædicatur *Pulvis*, per idoneum instrumentum insufflandus, talis; quem inde mutuavit Lottichius, *in Cons. f. 221.* Repositio.

℞. Rad.

℞. *Rad. bistortæ,*	*flor. rosar. rubr.*
iridis,	*scabiosæ,* ana ℥j.
tormentill.	*lap. calamin. præp.* ʒiß.
gallar. immat. ana ʒij.	*alum. usti* ʒij.

M. F. Pulvis. Cavendum autem rectè monet à nimium calidis, intra os sumendis *pulveribus*, ne augeatur inflammatio. Exemplum hujus erroris non ita pridem vidi in Virgine nobili Aulica, cui, ex Matronæ cujusdam consilio, inspersus fuit *pulvis* ex *sale* & *pipere*, idque septies unâ die: & sic dolor magnus, & inflammatio aucta, ulcera in palato orta, & non sine magno labore consolidata fuere.

Epiglottidis inflammatio. Quando, ob quamcunque causam, *Epiglottis inflammatur*, tussis plerunque sequitur, & difficultas deglutiendi. Tunc, quantum fieri potest, *aër frigidus* vitandus. Nam cùm larynx suo operculo non bene tegitur, aër frigidus inspiratus statim ad pulmones fertur: ubi vel ipsos exulcerat, vel calorem nativum nimis refrigerat, ut fiant lipothymiæ. Hæc insinuat Idem Fabric. *fol. 423.* ac tunc tussientibus *linteum calfactum* ori admovere suadet, vel ipsam *manûs volam*, ne aër nihil alteratus ad intima penetret.

Raucedo. In *Raucedine*, à catarrhis proveniente, etiam puero quadrienni, per modum linctûs, sæpius exhibuit Horst. *Op. Tom. 2. p. 148.* quod ℞. *Rad. aronis*, cum æquali parte *sacch. candi* permistæ q. s. add. parum *syr. violati*, vel *de hispidula, jujubit.* & similibus. Hoc solo remedio multis profuit.

Deglutitio impedita. *Deglutitio impeditur*, non sine metu suffocationis, in *Inflammatione glandularum ad œsophagum sitarum*: & aliquando majori cum difficultate liquida, quàm solida descendunt. Cujus rei rationem innuit Andr. Laurent. *in Oper. Anatom. fol. 125. Nam liquida*, inquit, *sese fungosis glandulis insinuant, & eas magis in tumorem attollunt: solida verò eas comprimunt; & sic faciliùs præterlabuntur.*

Pro

Pro *signo mortis* habetur vulgò, & non quidem inani, quando assumpta in ventriculum cum sonitu delabuntur (hinunder pflumpffen) quasi in lagenam. Rationem innuere videtur Sennertus, *L. 3. Pract. part. 1. cap. 2. In oesophagi angustia*, inquit, *liquida ordinariè faciliùs, quàm solida, degluttiuntur. Contrarium accidit in resolutione oesophagi: in qua res solida deglutiuntur faciliùs, quàm liquida. Causa hujus rei est, quòd in deglutitione superiorem oesophagi partem contrahi oportet, ut cibus & potus versus ventriculum quasi detrudatur. At solida & dura hoc modo levi etiam conatu facilè detruduntur: liquida verò, quia impellenti cedunt, majori vi opus habent, ut detrudantur; quæ cùm deficiat in paralysi, & vis detrudens laboret, etiam non facilè degluttiuntur: &, si sponte suâ defluant, veluti in lagenam, cum sonitu defluunt; cùm aliàs deglutitio sensim fieri soleat.* Equidem credo non difficulter, posse *signum mortis* statui, dum simile aliquid contingit, in morbis præsertim acutis, ubi res eò devenit, ut etiam resolutio nervorum sextæ & septimæ conjugationis, quæ vim movendi & deglutiendi impertiunt, facta sit; utique ob spirituum circa cor necessariam retractionem; vel etiam defectum: unde summa virium debilitas, & propinqua mors. *Signa* verò *mortis brevi ventura* quàm plurima proponit Baptist. Codronchius, *in libello methodi testificandi, fol. 166. & seq.* Mortis signa.

In fœminis plerunque audimus *vocem graciliorem*, quàm in viris: sicut in infantibus, & ante pubertatem, quàm pòst. Rationem hujus rei proponit Andr. Laurent. *in Anat. fol. 268.* ex Galeno, qui *vocis gracilitatem* desumit ab organi angustiâ, & affectu musculorum laryngis. Nam dum labyrinthea illa vasa testium turgere incipiunt, seminis copiâ distenta, solvitur vocis gracilitas, incalescente simul, ob caloris refluxum, toto corpore: unde vasorum omnium amplificatio, & frigidi humoris, musculos laryngis inebriantis, resolutio. Illius ratio est, quòd mulieres vasa & meatûs ferè omnes nactæ sint angustiores: hinc vox quoque acutior. Vocis gracilitas.

Larynx monstrosa.

Exemplum *monstrosæ Laryngis* vidi 4. Martii 1653. Waidhovii ad Ypsam, in Rustici cujusdam filio recens nato. Is os valde amplum habebat, aspectu horridum; quippe superioribus labiis & gingivis carens. A gula, per medium palati spatium, procedebat rotundum & oblongum cartilagineum corpus (anserinam dixisses arteriam asperam) quod extra os sinistræ narium alæ firmiter adhæsit, & terminabatur in tuberculum triangulare, durum, cartilagineum. Judicavi, *Laryngem* esse è gula, per errorem facultatis formatricis, forsitan per imaginationem matris, protrusam, incurabilem & portentosam.

Si febre detento collum repentè pervertatur, ac vix deglutire queat, nullo tumore existente, mortiferum. Hipp. l. 4. aph. 35.

Lingva.

Lingvæ vitia.

DAn. Sennert. *in Comp. Institution. f. 367.* duas esse causas, ait, cur *Lingva naturalem constitutionem* in morbis, febribus præsertim, mutet. I. humores è venis & arteriis linguæ exsudantes, & linguæ tunicam afficientes. II. fuligines & humores, ex inferioribus partibus ascendentes; quibus tamen aliquando humores à capite defluentes conjunguntur. Propterea Idem suadet, *loc. cit.* Medico diligentem linguæ, in morbis, inspectionem: utpote ex qua *prognostica morborum* tam possint esse perspicua, quàm ex urina & pulsu.

Prognosticum.

Raphanus sale conditus, ante cœnam masticatus, ejusque *succus*, depositâ substantiâ, deglutitus, *gustum* mirè *acuit.* Crato, *Consil. 59. f. 179.* Debet autem Æger statim pòst *vino* os colluere.

Gustus depravatio.

Historiam mulieris grandævæ, quæ omnia *amara* aliquot annis sentiebat in *lingua*, sed non curari poterat, habet Horst. *Op. Tom. 2. p. 123.* Idem de *Saporum causis*, & *differentiis*, multa eruditè tractat *ib. Tom. 1. p. 380.*

Sapor.

Quem *Lingvæ affectum*, *in febribus malignis* maximè conspicuum, vulgò die Breune/ vocant, non omnino aspernandum,

Lingvæ ariditas.

dum, rectè sentiunt prudentiores Medici: quamvis videatur, morbi tantùm accidens esse,& fingatur, eo plurimos mori: cùm tamen malum sit, non ut causa, sed saltem ut signum. Nam hoc symptoma ad se quoque nonnunquam curationem trahit, propter periculum suffocationis; quæ citiùs ægrum tollere potest, quàm febris conjuncta curari. Rationem suffocationis innuere videtur Horst.*Op.Tom.2.p.21. Aderat*, inquit, *& pervigilia, vaporibus calidis, vi febrilis æstûs, & commotione biliosæ materiæ, cerebro communicatis; unde linguæ quoque siccitas & inflammatio; quam catarrhus, ob resolutionem à capite defluens ad fauces, augebat.* Ergo *Linguæ ariditas* in febribus ardentibus catarrhum defluentem arguit; qui suffocationis periculum non raro minatur. Propterea magna illius catarrhi ratio habenda: nec semper vulgo parendum, clamitanti: Man soll nur achtung auf die Breune geben.

Symptoma hoc in bello nostro Germanico militibus valde familiare fuit, qui, in defectu aliorum, assumpto *Pulvere pyrio*, restitui se credebant: & hoc rectè ascribitur sali nitri, & sulphuri quoque. Ex his enim potissimùm pulvis ille conficitur. Hinc Medici varias *salis nitri præparationes* instituunt. Pulv pyrius.

Horstius, *Tom.3.p.44.* hanc habet. ℞. *Salis nitri puri q.vis, funde in crucibulo, igne mediocri, projice fusum in lixivium commune (sed calidum, ne resiliat) ut in eo dissolvatur, filtratum evaporet ad medium. Dein repone in locum frigidum, & in fundo congregabuntur cristalli purissimi, qui secundos & tertios subsequuturos longè antecellunt. Hos separatos in aq. rosarum rursus solve: ex alia parte etiam tantundem sacchari, in aq. cordial. ac solutiones confunde, & coq. s. a. ut in cella reposita coeant in cristallos:* de his *exhibe* ʒß.℈ij. *in jusculo, cremore ptisanæ, &c. non in aqua destillata, ne propter ingratitudinem salsam ventriculum offendat.* Sal nitri p p.

Pulvis rubeus prunellæ D. D. Animæo, Super. Austr. quondam Medico celebri, adscribitur, ejusdem cum nitro pp. effectus. Sic autem componitur: Pulv rub. prunellæ.

℞. *Salis nitri* ℔j. *pulv. santal. rubri* ʒij.
sulphuris ℥iij. *spir. vini* ℥iiiß.
aluminis usti. ℥ij. Macerentur simul, & altero die adde *aq. fontan.* ℔j. vel q. s. & Mixturam effunde super laterem candentem; Pulverem exiccatum serva.

Gargarismus. Medetur etiam *Lingva ariditati* talis Gargarismus: ℞. Cancros fluviatiles N. iij. *dempto amarore*, was darinnen häntich ist/ *cum Mj.* sempervivi *minutissimè contundantur*, *& cum* aq. plantaginis, sale nitri, aceto rosaceo *q. s.* M. F. Gargarismus, per colaturam. Item,

Unguentum. ℞. *Æruginis, lithargyri, thuris, mastich, myrrhæ, camphoræ, croci*, ana q. s. Pulverisentur omnia, & cum *axung. porcina veteri* subigantur, ut F. Ungventum: cujus portio nuchæ inungatur: ex libro Collectaneo Illust. Dñæ de Lamberg. in Stokern, cujus D. Mater insignis credebatur Empirica.

Mulierum remedia. Nota, *libros scriptos Mulierum, res Medicas continentes*, non omnino nihili habendos. Describuntur enim in iis aliquando selectissima, & sæpius probata remedia; quibus nihil deest, quàm genuinus usus. De hoc autem prospicere, solius ferè est Medici eruditi. Neminem itaque pudeat, quantumvis litteratum, aliquid addiscere, quod ad Artis suæ perfectionem & ornamentum spectat: sive illud ab anu quadam septuagenaria, sive ab eruditissimo quoque suggestum: modò non sit superstitiosum, lege Divina prohibitum, aut alia ratione insanum.

Riverius, *in Praxi, fol. 347.* hîc proponit. *V. S. sub linguâ.* Si verò venæ, propter linguæ magnitudinem, non appareant, jubet sub mento *cucurbitulas scarificatas* apponere. Zacutus venis hisce *hirudines* applicat.

Linguæ vulnus. Forest. *L. 14. f. 475. vulneratam lingvam* sanat *Ungvento*, quod facit *ex vitello ovi*, cum *syr. è rosis siccis*, & *syr. de multiplici inf. rosar.*

Ulcus. *Linguæ* & *palati ulceris* curationem per *Gargarismum*, & *Pulverem* inflandum, vid. ap. Guilh. Fabricium, *pag. 301.*

Expe-

Experimento cognitum est, inquit idem, *L. 13. f. 303. mala Persica* graveolentiam eam auferre, quæ stomachi vitio fuerit, *&* *eryngium* quoque *saccharo conditum*. Schrœderus in hunc finem, *Pharmac. l. 2. f. 299. Confectionem* componit, quam Officinæ vocant *Corpus sine anima, è moschi* in *aq. rosar. soluti* ℈j. *sacch.* ℥vj. *amyli.* ℥v. Hujus particula in ore contenta emendat palliatè oris fœtorem. Oris fœtor. Corpus sine anima.

Finduntur labia, propter morbum prægressum, febrim qualem qualem, & ardorem etiam superioris oris ventriculi, propter longius iter, aeremque ventosum & siccum; hominibus præsertim delicatulis. Tunc utimur commodè *Ung. pomadæ*, *salivâ propria*, commodiùs *Ungv.* facto ex una parte *ceræ rubræ vulgaris*, & duabus *butyri recentis*, super ignem liquatis. Labiorum fissura.

Non febricitanti &c. oris amaror, purgatione per superiora indigere, significat. Hipp. l. 4. aph. 17.

Ubi fauces ægrotant, aut in corpore exoriuntur tubercula, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosæ fuerint, corpus ægrotat unâ; si verò similes sanis fiant, corpus nutrire est. l. 2. aph. 15.

Anxietudo; oscitatio, horror, vinum aquale aquali potum, morbum solvit. l. 7. aph. 56.

Si lingva repente fuerit incontinens, aut pars aliqua corporis siderata, melancholicum hoc est. l. 7. aph. 40.

Balbi diarrhœâ longâ maximè corripiuntur. l. 6. aph. 32.

Caput XIII.

De affectibus circa Collum.

IN princio *Anginæ* tam necessaria est *Quies*, ut, dum fluxus humorum fit, ne linguam quidem, vel movendo, vel loquendo, vel masticando, quis commoveat; imò neque gargarisando gutturis & faucium partes exagitet: ex Juoberti mente, *de Thorac. aff. cap. 1.*

Angina aërem ſibi poſtulat *frigidiorem*, quia, cùm multoties inſpirari non poſſit, parcior neceſſitati abunde ſatisfacturus eſt, qui, dum loca inflammatione obſeſſa permeat, egelidus ſit: teſte eodem, *ibid.* Etſi enim ipſa febris conjuncta frigidiuſculum non admittat aërem, præſtat tamen, locum non calefieri, ubi æger jacet; & ipſum idcircò meliùs tegere convenerit, ut utrique intentioni ſatisfiat.

Cura.

Venæſectio.

Angina, ut & omnis inflammationis vehementis, & periculoſæ remedium eſſe *Venæſectionem* rectè inſtitutam, paſſim conſtat apud Practicos: & quidem tam religiosè obſervatur, ut ea etiam in muliere menſes patiente, nulla menſium habitâ ratione, in brachii venâ cephalica inſtituatur: & ii, qui ita cenſent, à Sennerto, *L. 2. Pract. part. 1. cap. 24. 104.* dicuntur optimi Medici.

Medici timidi.

Timidiores verò, & qui nihil in arte faciant, quod ipſis ab aſtantibus non approbatum vel conceſſum fuerit, piaculum crederent, talem venæſectionem adminiſtrare. Sic sæpiſſime contingit, plurimos Ægros vel omnino non, vel ſiniſtrè & lentè curari; quando Medici, famæ ſuæ nimis ſolicitè conſulentes, & imperitum vulgus, &, præter hoc, etiam Magnates, neſcio quid ultra artem ſapere ſibi viſos, timent & reſpiciunt; ſinuntque ſibi ligari manûs, dum maximè deberent eſſe liberæ, & ipſi decenter audaces, ad generoſum aliquod auxilium, quantumvis nonnihil inſolitum, proferendum: ad exemplum Clariſs. Medici, Antonii Benivenii, apud Sennert. *loc. cit. f. 118.* qui in illa *Anginæ* ſpecie, & quidem periculoſiſſimâ, ubi in faucibus nullus tumor deprehendebatur, re quaſi deſperatâ, feliciter locum affectum altioribus plagis, ſub ipſis maxillis, ſupra collum, incidit: ex quo cùm ſanies multa prorumperet, Æger à ſuffocatione liberatus eſt.

Gutturis ulcus.

Quin & ego ipſe Generoſum & Nob. Virum, D. Jo. Chriſtophorum Staindl &c. nunc ex Equeſtri Statu Superior. Auſtriæ, menſe Novembr. Anno. 1650. Styræ, per D.G. ſanitati priſtinæ reſtitui, cùm, poſt violentum humoris catar-

catarrhosi affluxum, pateretur insignem dolorem dentium, & hinc paulò pòst utriusque maxillæ, & denique, materiâ sub mento collectâ, supra arteriam asperam exortum tumorem, præsentibus maturitatis signis, aperuissem; nihil moratus contradicentium, & audaciam inflicti vulneris prope jugulum ineptè increpantium muliercularum, ubique ad calumniam Medicorum velocissimarum, obtrectationes. Quibus nihil aliud respondi, quàm hoc: Artem nostram docere, non in apice nasi quærendum esse pus, ubi ulcus jugulo imminet. Ibi enim morbus, ubi dolor: & aliquando, in morbis desperatis, insolita potiùs licet, quàm nulla adhibere remedia. Ignaviâ nostrâ contingit, ait Al. Massarias, *ap. Rolfink. de febr. fol. 290.* quòd non curamus ullos magnos morbos: quia nunquam nos expedimus à lenientibus. Calumniam ut evitent, communiter nihil generosi concipiunt, Medici. Et sanè ita esse, testatur Praxis Viennensis, ubi perpauci sunt, qui audacter solent morbum aggredi; sed curant plerunque saltem superficialiter. Hinc non injuria *Superficiarii* dicendi: de quo ipse hic conqueror.

De usu Venæsectionis in principio Anginæ vid. Horst. *Oper. Tom. 1. p. 336. Quæst. 15.* & *Tom. 3. pag. 49. Quæst. 4.* Exemplum tamen Ægri de angina sangvinea, citra sangvinis missionem sanati, habet Alexand. Benedictus, *de curand. morb. libr. 7. cap. 19.* allegante Schenck. *libr. 2. Obs. Med. 30.*

Sennert. *loc. cit. fol. subseq. appropriata* Anginæ *remedia* recenset: ubi inter alia usum quotidianum *cochlearis ex hedera* facti proponit; vel collo circundatum *filum sericum, purpurâ tinctum, quo cum strangulata fuit vipera:* vel coque *exuvias serpentis* (fortè etiam viperæ) *in oleo amygd. dulcium*, & in hoc intinge linteum foris applicandum: vel exhibe *rasura dentis castorei*, vel *apri* ℥ß. ℈ij. cum *aq. appropriata.* Anginæ appropr.

Anginæ curationem per *arteriæ asperæ incisionem* vide apud Hieron. Fabr. *in Operat. Chirurg.* Item apud Forest. *L. 15. Obs. 23. in schol.* Arteriæ asperæ incisio.

Cervix.

Etsi *Fonticulus in cervice* multum prodesse videatur, & Magnatibus etiam, aliàs satis delicatis, usus eorum non omnino displiceat; dissuadetur tamen, & improbatur à Guil. Fabr. *fol.* 39. & exemplo comprobatur, obfuisse, *f.* 501. in Pueris præsertim, & tenerioribus. Debet enim, si retineri velit, arctiùs ligari; hinc attrahuntur humores magis, & figura capitis tenelli mutatur. Sed hoc ipsum præcavet diligens & cauta ligatio. Exemplum in Serenissima Archi Ducissa Eleonora &c. quæ *fonticulum in cervice* gestat sine molestia, imò cum singulari emolumento, per biennium, & ultra. Fonticulus in cervice.

Quod de *Fonticulo*, *Pueros* tamen, non adultos, concernente, dicit Fabricius Hildan. idem sentit Fernelius, contra Fabricium, *de Setaceis, in Consilio 9. f. 19. Setones*, ait, *in occipite, ulcera in commissura coronali non eam, quam dixi, trahendi vim obtinent, neque ab iis id præstari experior, quod ab aliis præsidiis; ac sæpe ægrotos sine fructu miserrimè torquent.* Idem, *Conf. 11. f. 22. Occipitis*, inquit, *atque cervicis appellatos setones non probavi; quandoquidem nullo illos usui, vel commodo, sed gravi sæpe periculo infixos animadverti.* Ego verò magis consentio opinioni Guil. Fabric. expertissimi Chirurgi, nec non Horstii, qui, *Op. Tom. 2. pag. 7.* eadem *Setacea* meritò approbat. Setaceum.

Rusticum juvenem, à Tubicine militari supra caput percussum, & inde semifatuum, insigniter & diutissimè capite dolentem, feliciter, altero Praxis meæ anno, curavi, fonticulo, per tres menses durante, ad suturam coronalem posito. Ubi certitudo loci demonstratur, per extremum digiti medii Ægrotantis, eò pertingens, si volæ manûs pars infima extremitati nasi applicatur, & per frontem extenditur. Fonticulus ad suturam coronalem.

Tractatum de *Fonticulis* vide apud Craton. *Consil. fol.* 1158. ex Hier. Capivaccio.

Communiter Fontanellis imponuntur *folia hederæ arboreæ*, inter chartam bibulam duplicem inclusa, vel *Emplastr. diapalma.* Utiliter autem & satis comodè applicatur *Sparadrappus* ex *sevi cervin.* & *ceræ alb.* p. æ. in quibus liquatis intingitur charta scriptoria, & formantur inde emplastra quadrata justæ magnitudinis. *Emplastrum ad fonticulorum inflammationem* vid. ap. Schröder. *Pharmacop. Med. Chym. libr. 2. pag. 196.* Conf. *supr. pag. 24.* de eorum vanitate.


Contusio colli, vel levis *vertebrarum luxatio* (perfectam enim mors sequitur) sanari potest; sed non ineptâ & violenta extensione. Hanc si quis administraverit, faciet, ut caput perpetuò nutet ac vacillet, quasi omnino suis vertebris destitueretur, ut manibus etiam illud fulcire oporteat. Exemplum vide apud Gvilh. Fabric. *Cent. 5. Obs. 68.*

Magis hîc prosunt *illitiones spirit. formicar. lumbricor.* quàm oleor. coctorum, & pinguium Ungventorum.

Tremor provenit è duobus motubus contrariis: uno à facultate animali membrum attollente; altero à causa præter naturam deprimente. Remedium esto, præmiss. præmit. *cucurbitulæ* sine scarificatione, dorso applicatæ, à primâ vertebra usque ad coccygem, ut humor, vertebrarum foraminibus impactus, eliciatur. Ita Frambesar. *in Canon. & Consil. p. 97.* Ad omnis generis tremorem, sive ex Venere, vino, argento vivo, sive è morbo diuturno, Forestus, *libr. 8. Obs. 5.* mirè commendat usum *urinæ pueri*, vel alius *hominis sani*, si eâ partes tremulæ sæpius laventur. Idem, *ibid. p. 17.* habet, quendam, in simili casu, solo usu *seri lactis caprini* restitutum esse. Item *lib. 10 Obs. 99. p. 713. Relatum est mihi*, inquit, *à fido Pharmacopœo, Aurificem quendam Bruxellensem esu solius cerebri leporini assati, & quidem continuo, à tremore evasisse tum capitis, tum aliarum partium. Idem ferè præstat esus columbarum sylvestrium.*

Sennertus, *Libr. I. Practic. p. 499.* habet modum, quo hydrargyrum sudoribus è corpore elici, ut per guttas cuti adhæreat, ac postea aquâ ablui possit.

LIBER



Liber II.

De iis, quæ in Thorace continentur.

Caput I.

De Cordis affectibus.

QUi sunt cordatiores, *Cor* angustius hnbent: qui timidiores & mansveti, majus. Hoc probat Joh. Dan. Horstius per Anatomen, exemplo Matronæ alicujus placidorum morum, quæ habuit cor magnum, quamvis hecticâ obierit: & exemplo Regis Svecorum, Caroli Gustavi, Viri proceri quidem, magnanimi tamen, & parvi cordis: quasi virtus unita fortior: *fol. 18.* Hinc *Nescis*, inquit Pisselius, *in Icaria, f. 107. corda latiora, vel Physicis ex causis, faciliùs contrahi, ac quovis ab eventu stringi, & sic animosiores spiritûs dissipari?* Huic contradicit Primirosius, *de vulgi errorib. libr. 2. cap. 23.* Cordis parvi & magni indicia.

Tanti æstimatur *vita hominis*, ut Mecœnas nec debilitatem, nec deformitatem, nec acutam quoque crucem recusarit, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur. Quod, tanquam turpissimum votum, improbavit Seneca, *Epist. 101.* referente R. P. Drexelio, *in Part. 3. deliciarum Gentis human.* Amor vivendi.

Vitam longam adscribit Horst. *Op. Tom. 3. pag. 6.* copioso *Sali*, tanquam tertio vitæ principio. Exemplum ducit à Cervis; ubi, Vitæ longitudo. Sal.

niores effici, quàm divites. IV. Quòd nostra ætas Venere immoderatiùs utatur, quàm antiqua.

Eædem sunt rationes, cur homines *Staturâ longiores* fuerint antehac. Sed hîc non sunt audiendi illi, qui, ut priori Quæstioni satisfaciant, respondent, annos olim computatos fuisse non secundum Solis, sed secundum Lunæ cursum; ideoq; mensem nostrum illorum constituisse annum. Falsum enim hoc esse, testantur Sacræ litteræ, quæ mensium, & dierum in mensibus, & annorum duodecuplo majorum, quàm menses sint, mentionem faciunt. Quin & Antiquis seculis, inter Ægyptios præsertim, fuerunt præstantissimi Astronomi, qui annum non secundum recursum Lunæ, sed Solis, dimetiebantur; ut rectè sentit Guevarra, *loc. cit.* Quoad *Staturam* hominis, non multum refert, eam crescere, vel diminui, nostro tempore; modò temperamento excelleret homo, & diuturnioris vitæ esset. Nam Hominis statura.

Magnitudo corporis juventuti quidem liberalis, nec indecora; senectuti verò inutilis, & parvitate deterior. Hipp. l. 2. aph. 54.

Naturâ admodum crassi celeriùs intereunt, quàm graciles. l. 2. aph. 44.

Corporis habitus bonus in athletis, ad summum progressus, est lubricus, ubi in extremo constiterit; cùm non possit in eodem statu permanere, nec quiescere, &c. l. 1. aph. 3.

Moveri cor, viscus nobilissimum, nemo unquam, nisi amens, & mentè captus, negabit. Vivente enim animali, si manum ad lævam papillam admoveas, perpetuum cordis motum deprehendes. Ego motûs hujus naturam non minùs admiratione dignam puto, quàm Euripi, angusti in Eubœa freti, septies interdiu noctúque stato tempore reflui: cujus causam, dum in Chalcide exsularet, Aristoteles, cùm reddere non potuisset, mœrore contabuisse, & mortuum esse, fertur. Motus cordis.

Riolanus, *fol. 112.* ex Aristotele, *motum* quidem *cordis* describit; sed in hoc errare videtur, quòd dicit, *capitibus præcedentibus,*

& loco etiam citato, continuò *moveri cor* propter *continuum sangvinis appulsum*, sive *affluxum*. Si hoc, quæritur: unde ergo sangvis moveatur ad cor: & sic magna futura esset confusio, vel circulus in infinitum. Dicendum ergo, cor *proprio & insito motu* moveri, & sanguinem ad se attrahere; quod contra Riolani opinionem est. Ergo ipse Riolanus verè non demonstrat *Sangvinis circulationem*. Nota, me usque ad *fol. 115.* attentè legisse Riolanum, & non animadvertisse, ipsum declarasse modum sangvificationis à principio ingesti cibi: ut declinaret forsitan dissensum Medicorum, de *venis lacteis*, quas non admittere videtur, ex dictis superioribus. Quomodo autem per compendium ponat, & repetat suam *sangvinis circulationem*, vide *cit. fol. 115.* Sed statim subsequentibus lineis chyli mentionem fecit: quod primis capitibus debuisset fecisse: *fol. 120.* manifestè admittit Asellii vasa, vel venas lacteas, non exclusis tamen venis mesaraicis, pro vehendo chylo.

Deusingius, *libello proprio de attractione*, *fol. 161. & seq.* postquam multa disputavit: an cor moveatur ab appulsu sangvinis; an verò ipse sangvis ab attractione cordis, tandem, *fol. 170.* se eo explicat, ut parum intersit, & ad Tirones erudiendos non spectet, modò sciamus pro certo, ferri sangvinem ad cor, circulationis gratiâ.

Moveri autem cor *insita facultate*, & quidem *per constrictionem*, non verò *dilatationem*, pulchrè docet idem Deusingius, *in l. suo de motu cordis*, *f. 2.* ubi, *fol. 27.* ait: nequaquam ea cordis dilatatio est, quâ cordis pulsatio efficitur. Reverâ enim, dum cor pectus ferit, pulsumque facit, secundum omnem, quem habet, fibrarum ductum contrahitur. (Quæ contractio propria cordis actio; dilatatio verò non ab ipso corde, sed ab influxu sangvinis oritur.)

Verisimile est etiam, micare cor vi insitâ in embryone trium plerunque dierum, post delineationem partium, ait Riolan. *fol.*

fol. 135. & tunc ſangvinis appulſus nullus eſt. Adeoque videtur ſibi contradicere. Item *fol. 138.* manifeſtè fatetur, rhythmum & æqualitatem pulsûs in ſanis, demonſtrare motum ſive cordis, ſive arteriarum, à facultate motrice, non ab impuſu ſangvinis fervidi fieri: ubi iterum ſibi contradicit.

Rectè quoque à Rolfinccio ſtatuitur, facultatem pulſificam arteriis à corde inſpiratam eſſe. Hinc, contra Riolanum, cor *inſitâ facultate* movetur, & arteriæ quidem propter cor; quod etiam Rolfincc. de ſolo corde non admittit. Vid. cit. Author. *fol.* 110.

Baſin autem, & terminum motionis cordis ſtatuit Rolfincius ſeptum, quod cordis ventriculos diſtingvit, & quidem circa conum, ubi duplicatum videtur: quo ſine, ait, cor concideret: de febrib. *pag. 98.* Item non admittit Riolanus, eodem inſtanti moveri cor, & arterias; quod ego hactenus credidi. Vid. eund. *in Animadverſionib. Laurentii, pag 242.*

Quòd ſingulis ſeptem & novem annis homo certam & ſingularem quandam temperamenti ac totius mutationem ſubeat, & ab hac ipſa etiam vitæ noſtræ brevitas, aut longitudo, dependeat, experientia longâ comprobatum eſt. Dicuntur *Anni* hi *Climacterici*, ſeptenarii ſcil. & novenarii, totius vitæ hominis quaſi gradarii & ſcanſiles, per quos ad ſenectutem gradûs facimus: clima enim gradum ſignificat. Annum verò præcipuè ſexageſimum tertium Senes periculoſum habent: quia duplex tunc concurrit annus Climactericus, novenarius ſcil. ſeptimus, & ſeptenarius nonus: ideoque homo tunc bis mutatur, vel duplicem cogitur ſubire mutationem. Guevara, in ſeinen Güldenen Sendſchreiben/ *part.* 1. *fol. 66.* In hiſce annis disſuadet Ludovicus Gravius, Profeſs. Heidelbergenſis, apud Horſt. *Op. Tom. 2. pag. 492.* uſum medicamentorum magnorum & ſollennium, vel, ut Thomas Mermannus ait, *Therapiam magnam.* Sicut enim in diebus criticis Medici prudentes nihil movent, ſed naturam agere

Anni climacterici.

Therapia magna.

agere ſinunt; ita in his annis, cùm ipſamet natura ſoleat plerunque magnum aliquid moliri, Medico quieſcendum eſſe.

Syncope. Lipothymia.

Ut *Syncope*, & *Lipothymia*, ſecundum magis & minùs tantùm, ſic & auxiliis parum differunt. Sudant autem utrique in principio: cujus ratio eſt recurſus caloris nativi ad interiora: hinc humidum, in habitu corporis ſuo calore deſtitutum, ſudoris inſtar frigidi exire cogitur. Horſt. *Op. Tom. 3. p. 57.*

Curatio.

Syncope quædam fit ex *reſolutione ſpirituum*; ut in hœmorrhagia nimia: quædam ex *ſuffocatione*; ut in metu &c. In *illa* utere *Epithematibus frigidis* ex *aq.* & *acet. roſac. pulv. ſantal.* &c. In *hac* ab iis abſtine, & loco illorum *naribus* objice *calida*, ut *ſem. nigellæ*, *rutam*, *majoranam* &c. Id. *loc. cit. p. 58.* Nota: eidem morbo, vel ſymptomati, non eandem ſemper deberi curam, vel idem remedium. Magnus enim reſpectus haberi debet cauſæ: quam Empirici Idiotæ plerunque negligunt. Neque enim ſemper contraria contrariis curantur: ubi nimirum aliud morbus; aliud cauſa; aliud vires indicant: v. g. in morbo cordis calido non ſtatim refrigerantia incautè objicimus, ne, dum cor reficere ſtudemus, calorem nativum temperatum extinguamus, & ſic unam intemperiem ſummam per aliam æquè extremam tollamus: quod iis contingit, qui, motu violento excalfacti, avidè nimis frigidam bibunt, & aliquando *ſubitò extinguuntur*, & ego *ſanguinis coagulationi* adſcribendum puto: cujus rei hiſtoriam, ex Petro Salio Diverſo, River. *fol. 510.* adducit puellæ ſubito extinctæ, in cujus venis majoribus ſangvis concretus, & quaſi congelatus erat; unde ſpiritûs ad cor penetrare non poterant. Congelationem autem Diverſus adſcribit frigiditati nudæ humorum, cum ſangvine permixtorum; quam rectè non agnoſcit River. ſed ait, ſubeſſe hîc occultam congelandi, vel fixandi vim; qualem obſervamus aliquando è ſpeluncis erumpere, vel tonitruis & fulguribus commiſceri. Aliàs verum eſt Axioma, & nihil obſtat, quòd Hipp. *l. 5. aph. 21.* nervorum rigorem

Contraria contrariis quomodo curanda.

affusâ

affusâ aquâ frigidâ curat. Hoc enim fit per accidens, quatenus scil. calor ad interiora revocatur, & sic concentratus augetur. Sic remedium non semper debet contariari ipsi morbo; sed sufficit, si causæ morbificæ opponatur. Quod innuit Horst. *Op. Tom.* 3. *pag.* 39. E, quomodo intelligendum sit: contraria contrariis curari, vid. ex professo apud Sennert. *Institut. pag.* 1071. & *de Consens.* & *Dissens. Chym. cum Galenic. & Aristotelic. p.* 377. 379.

Idem ferè insinuare videtur Sennertus, *in Hypomn. Physicis*, *f.* 101. ubi de *Atomis* loquitur, quas, ut probaret, dari, & ex his, tanquam ex principiis, omnia fieri, naturamque in his extremè divisis posse consistere; adducit experientiam membrorum ambustorum, & frigore congelatorum, ferri candentis, & aquæ fervefactæ. *Nam*, ait, *si non Atomi ignis in ferro essent, non ureret: si non Atomi frigoris in membro gelido essent, non sanaretur, si nive fricaretur. Experientia enim docet, tutissimè sanari membra frigore congelata, si admoveatur nix, vel membrum in gelidam immergatur: tunc enim similitudinis ratione frigida Atomi à frigidis extrahuntur. Par est ratio ambusti membri: illud enim, si, quod lex contrariorum suadet, immergeretur frigidæ, gangrænam contraheret. Tutius igitur admovetur igni, vel aspergitur cineribus calidis.* Vide *loc. cit.* ex quo etiam probari potest, elementa dari actu in mixtis: quod multi negant. Atomi.

Qui *subitò, & non adeò vehementer, in virium imbecillitatem incidunt*, faciliùs non curantur, quàm si *in dorsum, cruribus & manibus aqualitèr extensis, collocantur.* Horst. *Op. Tom.* 2. *p.* 71. *c. b.* Idem observare licebit in iis, qui valde sibi metuunt, ob aperiendam venam, & facilè *deliquium animi* incurrunt. His etiam suadet Guil. Fabric. ut *labia fricentur sale*; vel *sal dentibus masticetur.* Ego *frigidam* jubeo *immittere in os*, & aliquoties expuere, frigidamque repetere; vel *aperio venam*, in lecto cubantibus. Sic enim commodissimè durant sub venæsectione, sine lipothymia. Animi deliquium. Venæsectio.

Panis olfactus. Tanta etiam vis est *panis recentis*, ut *olfactum* deliquium animi tollat, & vitam hominis morituri protrahere possit. Ita Democritus; dum festa Cereris peragerentur, vitam, pane olfacto, per triduum prorogavit. Schol. Salernit. *fol.90.*

ex Arteria. Mirabilis *Lipothymiæ, ex aura venenata, arteriæ soporali inclusâ, &, dum comprimeretur arteria, cordi communicatâ*, mentionem facit Guil. Fabricius, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 143.* ubi laudatur usus *Fonticulorum*, & iis adscribitur morbi curatio. Nota, Fabricium hîc arteriam non aperuisse: quod forsitan tentasset Aur. Severinus.

Cordis palpitatio. Non minori admiratione dignam videbis *Cordis palpitationem*, & *debilitatem*, ex qualiber, levissimâ etiam, non corporis solùm, sed & unius brachij, vel alterius membri, commotione: quæ tandem per curam *sudoriferam* & *scorbuticam* sublata fuit per Horst. *Op. Tom. 2. p. 389.*

Pericardium. Inter alia mala, & quidem aliquando cognitione difficillima, quæ ex perversa dispositione *Pericardii* provenire possunt, est etiam *Cordis palpitatio*. Quando scil. cordis involucrum nimio serò, & quidem statis temporibus ebulliente, repletur; ut exemplum per Consultationis modum profert Idem Horst. *Op. Tom. 2. p. 146.* Est enim *Pericardium* involucrum cordis, aquâ repletum, ut cor æstuans parum refrigeretur, & ei innatet: ex Laurentio. Riolanus autem, *in Animadversionib. Laurentii, cap. 9. fol. 240.* dubitat, an in homine sano aqua illa reperiatur. Et serum hoc, *in Pericardio* contentum, juxta Johan. Dan. Horstii sententiam, *Observ. anat. fol. 18.* in sano & naturali statu vix drachmam unam vel alteram excedit. In phthisicis verò aliquando ad uncias quinq; excrescere, idem observavit, *ib.* Confirmat quoque hanc observationem P. Vascus Castellus, qui, hanc aquam per æstum febris hecticæ in tantum adaugeri, scribit, ut eâ distentum pericardium totam cavitatem occupet; forsan ob bonorum corporis humorum, atq; adipis cordis consumptionem.

Exem-

Exemplo *Palpitationis Cordis* etiam insinuat Jonstonus, *l. 9. fol. 472.* posse morbum esse peracutum, ac simul etiam diuturnum, seu chronicum: ubi scil. peracutus est morbus in singulis paroxysmis; chronicus autem, quia per intervalla longiora, vel breviora recurrit. **Morbus chronicus.**

Palpitatio cordis tam vehemens aliquando esse potest, ut etiam costas incurvet, & hominem *Gibbosum* faciat, teste Horstio, *Op. Tom. 2. p. 139.* Remedium esto *Mixtura simplex*, cujus medicamenti nomen quidem absonum videtur in Chymia; ut & multa alia: sed, si res est integra, parum curamus, quid nominis. Componitur autem è *spiritu Theriacali tartarisato.* Utimur eâdem mixturâ etiam in morbis malignis. Vide eundem, *Op. Tom. 2. pag. 481.* **Gibbus. Mixtura simplex.**

Maximilianus II. Imperator Aug. nullum expertus est præstantius *remedium* in cordis palpitatione, quàm *Theriacam extrà adhibitam.* Sed tandem, eodem ipso malo extincto, & aperto ejus cadavere, in *corde Lapilli* tres reperti sunt: teste Wiero, & Erasto, apud Sennert. *L. 2. Pract. part. 3. cap. 3. f. 407. & part. 4. cap. 4. p. 419.* Vid. & Horst. *Op. Tom. 2. pag. 238. 239.* **Curatio. Cordis calculus.**

Negari certè non potest, *medicamenta externa*, ut sunt unguenta, balsama, epithemata, arteriis & cordi applicata, multum prodesse Ægrotis, morbi gravitate & diuturnitate debilitatis. Idque, præter experientiam, ipsa docet ratio. Si enim cordis motus excrementa, fuligines scilicet & vapores, ex inimica pertæsione, pellit per systolen; quidni suavia sibi, & amica, proximè arteriis adjacentia, per diastolen attrahat? Vid. Fernel. *lib. 1. Therapeut. cap. 9.* Ubi advertendum, talia *medicamenta cordialia*, etsi cor in medio situm est, tamen meliùs *applicari* non in medio pectoris, quod cartilaginosum est, & vim medicamentorum non admittit; sed paulò infra mamillam sinistram; quò vergit cordis mucro: suadente Sennerto, *L. 2. Pract. f. 399.* De usu *melissæ*, & modo adhibendi &c. vid. Forest. *libr. 3. de febr. obs. 29.* **Medicam. externa. Cordialia ubi applicanda.**

Venæ cutaneæ. Rolfinccius putat, *f. 1034. venarum cutanearum* usum alium non esse, quàm revehere sanguinem ad venam cavam, qui ad nutrimentum erat superfluus; & ita simul apposita *medicamenta externa* vim suam partibus internis, ipsique cordi, transferre posse. Atqui non venis, sed arteriis potius Topica applicamus, quò arteriæ, propter motum continuum, facilius intrò vehant.

Pulsus. In uno carpo *Pulsum* alium, quàm in altero, aliquando deprehendi, absonum quidem videri posset; quia idem est motus cordis cum arteriis, per totum corpus. Sed Monavium interrogat Crato, *Epist. 204. p. 337.* qui fiat illud? Ubi prudenter respondetur, nunquam fieri, nisi ob causam aliquam externam: v. g. situm brachii perversum; obstructionem arteriæ, sed non totalem; tumoren circa arteriam, &c.

Cardialgia. *Cardialgiam*, quatenus cordis affectus est, syncopi similis, vel palpitationi etiam, sanat *lapis Chrysolithus præp. Bezoar, Smaragdus, margarita præp.* &c. Horst. *Op. Tom. 2. p. 238.* item, *p. 95. c. 4.* est ungventum *Cordiale peculiare*; sicut & omnia, quæ viribus prospiciunt, *Analeptica* dicta. Ubi tamen prudenter notat Idem, *Op. Tom. 2. p. 35.* in summa virium debilitate, à gravi morbo contractâ, non continuò corroborantibus urgendos esse Ægros: ne materia morbifica, quam quiescere sinimus, sic, ob debilitatem virium, coacti, interim commota mortem, convulsionem inducendo, cum ignominia Medici, acceleret.

Medic. Analeptica. Quamvis cor è sanguinis purissima substantia, ad sui totiúsque corporis tutelam, spiritus efficiat; videmus nihilominus, hominem diu superesse posse, etiamsi illud sanguinis melioris guttam in se vix unicam contineat. Fortè quia *chylus* suavi suâ evaporatione, in iis præsertim, quibus ventriculus adhuc suo utcunque fungitur officio, *cor recreat.* Est opinio Horstii, *Op. Tom. 2. p. 440.* & confirmatur exemplo R. D. Martini Caroli Prenner, quondam Capellani in Traun, Sup. Austriæ, qui, per annos plures cachecticus, deinde etiam phthisicus, vitam tamen

men multorum opinione longiorem traxit, quamvis nihil nisi ossa & pellis totus esset: nô, quod sanguis cordi meliores spiritûs suggereret, qui in ipso totus quantus corrupt, erat; sed quia ventriculus bene appetebat, & cibum utcunque concoquebat; unde vapores suaves, ad cor ascendentes, ipsum tam diu conservarunt, adjuvante generoso, quo satis moderatè quidem utebatur, vino; per quod non solùm cogebatur quasi & instigabatur ventriculus ad appetendum & concoquendum, sed & ipsum cor per proprios vini spiritûs reficiebatur. *Faciliùs* enim *potu, quàm cibo, est refici.* Simili ratione memini, Gmundnæ, itidem Super. Austriæ Oppido Salinario, Medicum Ordinarium, D. Joannem Praun, optimum Virum, ad extremam senectutem pervenisse, pluribus annis nihilo, nisi quotidie uno ovo, & pane paucissimo, nutritum. Sic *natura paucis est contenta.*

Animi affectûs cordi adscribuntur. De his scribit Cicero, *Epist. 28. ad Tironem; Audio, te animo angi, & Medicum dicere, ex eò te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas litteras, humanitatemq́, propter quam mihi es charissimus. Nunc opus est, te animo valere, ut corpore possis.* Tanta scil. vis est affectuum animi, ut & in humores & spiritûs imperium habeant: unde morbos corporis producere queunt, curatu plerunque difficiles. Animi affectûs.

Ita Joachim. Oelhafius, *Disputation. 1. de semin. pestil. cap. 4.* apud Sennert. *L. 6. Pract. part. 2. cap. 4. f. 78.* docet, *Metum & tristitiam* etiam pesti occasionem dare posse: dum, *Terrore*, inquit, *subitaneo spiritûs à superficie corporis cõfertim versus cor abripiuntur, sicq́, eò secum devehunt halitum pestiferum, superficiei corporis ob versantem, & qui fortè, si absque hac animi commotione foret, disparerent.* Georg Bertin. *Medicin. libr. 6. c. 3.* scribit, Henric. XVIII. Imperator. tristitia & mœrore periisse, quòd insidiis filii ab Imperio expulsus esset. Vid. Schol. Salernitan. *de conservand. bona valetud. cap. 1.* Metus & tristitia. Pestis.

Abrah. Ossmannus, Histor. *de Elect. & Cor. Cæsar. f. 141.* ex

Ira Terror. Svetonio narrat de Valentiniano Cæsare, quòd ipsi ex *Ira* vena colli (forsitan arteria) rupta sit, & ille hinc subitò extinctus. Sennert. *L.3.Pract.part.5.sect.1.f.517.* vulgò etiam notum esse, ait, si *iratus*, aut *perterritus*, edat vel bibat, noxam non vulgarem incurrere; duplici causa: I. Spiritûs, actionum omnium opifices, à coctione ad alias partes divertuntur: hinc necessariò sequitur cibi potúsque corruptio. II. Ut in *Ira* bilis; sic in aliis affectibus animi alii quoque humores commoventur, qui, cum cibis mixti, ad partes alendas distribuuntur; ubi *Lien* maximè patitur, qui quintuplo plures arterias habet, quàm venas: in arteriis autem semper, præsentibus animi affectibus, commovetur sangvis violentiùs; quia per se est rarior, spirituosior, serosior, mobilior. Præcipitur etiam iisdem, & rectè, ut, antequam quicquam faciunt, urinam, &, si possunt, aluum quoque deponant; vel ad lucrandum tempus, donec deferveant, utq; distrahantur, quò minùs ad sumendum cibum accedant: vel ut pars commoti humoris cum excremento secedat, ne reliquum corpus inficiat.

De *Ira* hoc notandum habet Jonstonus: quia spiritus liberè, & cum impetu agit, illam vix cuiquam mortem intulisse: si verò factum, aliquem effectum extraordinarium accessisse, necesse esse, *Lib.1.Jd. Med. Pract. l.1. fol. 41.* Mutuavit autem hanc sententiam à Gal. qui, ab irâ neminem interire, dixit: quippe neque in eâ calor perfrigeratur, neque robur solvitur. Sed rectè refutatur à Rolfinccio, *de Febr. c.38.* cùm res rationi & experientiæ refragetur.

Iracundia. Andr. Laurentius, Anatom. *fol. 248.* ubi multum disputavit; utrum mulier sit calidior viro, &, ex aliorum sententia, dixit, verisimile esse, calidiorem fœminam, quia facilè ad iram propensa est, discrimen facit inter *Iram*, & *Iracundiam*; *Iratum*, & *Iracundum*. Mulierem verò facilè, ait, fieri iracundam, quia ratione repugnante non bene utitur: virum autem levia negli-

gere,

gere, & non fieri propterea iracundum, sed iratum fieri, propter causam gravem, & raro quidem. Hoc autem est *generosi animi*. Vir contrà, ad iracundiam facilè mobilis, meritò dicitur *homo effœminatus*, non generosus, non spirituosus &c.

Mulieres sic iracundæ, dum ulciscendi sese occasionem non habent, *Lachrymas* fundunt copiosas, & ex intimo corde. Tunc oculi per se non sunt affecti, sed ipsum cor compressum, vel affectibus commotum quasi, aquam, in pericardio contentam, per arterias cogit sursum ad oculos, ut illi, tanquam retorta, destillent ascendentem humorem. Idem contingit in *Mæstitia*; quod innuit Gvevara, in den Güldenen Sendschreiben/ *part. 1. fol. 206.* cùm inveheretur in Agnatam, propter canem mortuum lachrymas effundentem, his verbis; Die Augen sein anders nichts als ein Destillir-Instrument/ dadurch das Hertz weinet. Das arme Hertz ist mitten im Leib eingeschlossen/ hat weder Füß zum gehen/ noch Händ zum Arbeiten/ noch ein Zung zum aussprechen/ aber mit den blossen Zehern erzeigt es sein gantzes Anligen. — Lachrymæ, Mæstitia.

Quòd non solùm ira, sed & *Terror*, *bilem commovere* possit, ut eam ventriculus aliquando copiosè evomat, rectè statuitur. Cujus rei rationem reddit Horstius, *Op. Tom. 2. p. 150. quòd in terrore calor, ad principium suum confertim recurrens, ansam præbeat humoribus præter naturam collectis, ut, regimine caloris nativi quasi destituti, plurimùm exorbiteant, &, veluti custode deficiente, p. n. partes quasdam afficiant. Unde manifestum est, non æquè omnibus, sed iis maximè tales animi subitaneas commotiones nocere, quibus aliàs cacochymia biliosa familiaris est*; & qui sunt imbecilles stomacho. — Terror.

E nimio *Gaudio* hominem subitò mori posse, docent Historiæ; & exempla, in Schol. Salernitanâ, *de conservandâ bonâ valetudine, cap. 1. p. 5.* & apud Gellium, *Noct. Atticar. lib. 3. cap. 15.* propter nimiam scil. spirituum resolutionem: resolvuntur autem ob relaxationem *pororum*. Propterea natura fecit — Gaudium. Pori.

hæc

hæc foramina minutissima, ne spiritûs subtiles transire facilè possint, nisi violenter commoti, & relaxatis poris expulsi.

Sudor. Et quamvis *Sudoris* commotio itidem poros laxet; sequitur tamen tunc excrementi serosi tantùm transitus: de quo conservando non est natura multum sollicita.

Sudor p. n. Quòd autem omnis *sudor p. n.* sit, inde manifestum est, quia homo, in statu sano constitutus, non sudat, nec sudare debet. Hoc Cardanus, *fol. 91.* innuere videtur, & sic nostræ sententiæ subscribit, dicendo: In sudore semper vires debilitantur, exhalante vitali spiritu simul cum noxio vapore. Hinc bene concluditur: ergo omnis sudor est p. n. ergo malus, & ut signum, & ut causa. Propterea ubi sudorem movemus, non nimium cogendus est Æger, ne vires dejiciamus, ad morbum vincendum tam necessarias; vel inter sudandum erunt Ægri confortandi. Aliàs quoque iis facies non temerè, sed cum prudentiâ, tegitur, quibus sudor imperatur; ne vires, ob liberiorem aërem denegatum, concidant.

Sudor bonus. Ille autem *Sudor bonus* dici potest, qui emanat è toto corpore, & cum ægri levamine: qui verò circa collum & faciem tantùm apparet, in acutis mortem, in mitioribus morbi longitudinem significat. Exemplum in Domicella Cæcilia ab Hojos, quæ post febrim tertianâ sic sudavit, & per multas hebdomadas convalescere non potuit. Quare autem tales sudores difficiles & periculosi sint, ipse Cardanus, *l. c.* declarat, quia circa illas partes resolvitur calor nativus, qui id loci copiosissimus est.

Si enim *Sudor* plus justo duraverit, videbimus, Ægros manifestè debilitari; utique propter spirituum commotionem, & dissipationem subsequentem post nimis violentum *Sudorem*.

Crocus. Simile contingit iis, qui multum *Croci* assumunt. Hi *ridendo*, quasi præ nimio gaudio, mori dicuntur. Adauctis enim per *crocum* spiritibus, cutis pori aperiuntur, & , unâ cum ascititus spiritibus, connati violenter exeunt & disperguntur. Hoc brevi-

brevibus innuit Andr. Laurentius, *fol. 214.* vel, quod probabilius est, interit homo suffocatus copiâ spirituum. Crocus quomodo risum inducat, vid. etiam in *Aloëdario Mindereri, pag. 29.* Et croci usum nimium noxium esse, probat quoq; Zacut. Lusit. *de Prax. admirand. libr. 3. obs. 139.* per historiam, quando narrat, cocum quendam, ut suum ferculum elegantius redderet, & palato majorem gratiam conciliaret, in avium jure quantitatem magnam *Croci* dissolvisse; quo cùm fœmina quædam usa esset, in risum ex intervallis lætabundum inciderit, à quo nunquam liberari potuerit. Jul. Cæsar. Scaliger, *Exercit. 33. sect. 2.* aperire & laxare viam spiritibus *crocum* ita, ut abeant, testatur.

Cùm maximè in morbis vires respicere oporteat, ut eæ modis omnibus conserventur, quæ propterea nonnunquam integram ad se curam trahunt; ideo Medicus instructus esse debet præscriptione expeditâ *medicamentorum Analepticorum*, servatâ cautelâ *superiùs ad Cardialg.* allegata. Hæc partim Diæta, partim Pharmacia subministrabit: præter quòd eorum copiam plurimi tradunt. Nos pauca subjiciemus. Med Analeptica.

Ab Horst. *Op. Tom. 2. p. 147.* hîc singulariter laudatur *Margaritarum & Coralliorum liquor*, sic factus: Margar. & corall. liquor.

℞. *Acet. destill.* ℔ß.
margarit. pp.
coral. rubr. pp. ana ℥ß.
(fortè ℨß.)

Solvantur in loco calido, &
℞. *filtrati liquoris* ℥ij.
syr. acetos. citri,
julap. de cinnam. ana q. placet. M.

Thomas Muffetus, Medicus Anglus, apud Cratonem, *Epist. 277. f. 529.* ℞. *Margaritas minutissimè contusas, & infundit eas in spir. vini opt. ut quinque digitis supereemineat. Mixturam immergit fimo equino, & servat in loco aqualiter tepido per mensem. Sic colorabitur spiritus instar vini Malvatici: hunc effundit & reservat, alio rursus affuso, donec colorari desinat. Habebis denique in vini spiritu margaritarum* Essentiam, *quam, per balneum M. evo* Essent. margaritar.

P *cato*

cato spiritu, in fundo reperies: lavabis autem eam aquâ cœlesti destill. tandem etiam evaporare sines eam; & apparebit candidissima Essentia, *super lapidem in liquorem solubilis.*

Tinctura coralliorum.

Tinctura coralliorum, si haberi posset, fortè magis prodesset, quàm eorum Magisterium. Plurimæ circumferuntur compositiones; omnes fere inutiles. Sunt, qui *corallia* coquunt diutissimè cum *oleo citri*: &, quia diuturnâ coctione oleum rubet per se, existimant, coralliorùm tincturam illud imbibisse. Aliter sentirent, si sine coralliis oleum citri coquerent: eandem enim rubedinem experirentur: & ex albis coralliis hoc modo idem parari potest, quod ex rubris. Sed de hac *Tinctura* vide hîc *Libr. 8. cap. 4. in fine.*

An detur.

Hæc omnia ex eadem hypothesi rejicientem vid. quoque Helmont. *de febrib. c. 8. pag. 765. m. 10. & seqq.* item, *cap. 15. p. 778. m. 10.* it. *pag. 779. m. 20. & seqq.* Crollius etiam, cum A Salâ, *Anatom. Antimon. p. 1. cap. 7.* negant, dari tincturam coralliorum. Simile judicium esto de *spirit. margaritar.* & *corallior.*

Medicam. Chym.

Par est ratio plurimorum *Chymicorum medicamentorum*, quorum virtutes non nisi cœlestes, divinæ, angelicæ, mirabiles, magistrales, aureæ, gemmeæ, ab Auctoribus suis deprædicantur; cùm sæpissime ne ipsi quidem ullam de hisce experientiam habeant: hinc potissimùm decepti, quòd existimant, formas medicamentorum non solùm omnes servari, sed & intendi magis, atque perfici, & per consequens formarum effectûs: ignorantes tamen, non semper resultare easdem virtutes è mixto, vel variè per ignem præparató, quæ antea fuerunt in simplici & crudo. Propterea tam parcâ dosi à Chymicis plurima exhibentur, & non, nisi servato vehiculo appropriato, religiosè commendantur: à quo vehiculo nonnunquam plus virtutis expectandum, quàm ab ejus, quem portat, insessore. Videmus etiam, in delicatioribus præsertim, nihil alterata talia excerni. Sic non ita pridem *Margarita pp.* magnæ alicui Infantulæ, per igno-

ignorantiam adſtantium, ad ℥ß. fere exhibitæ, per alvum, lactis candidi inſtar, ſeceſſerunt: quod omnes lac nutricis, nihil alteratum, exiſtimarunt, & mortem præ foribus eſſe timuerunt: donec Medicus ſagaciſſimus, errore ipſorum detecto, monſtravit, non lac, ſed *margaritas* fuiſſe.

Utimur autem *medicamentis Chymicis*, tanquam purioribus, & liberatis à ſuperfluitate, quaſi eductis è ſuâ formâ ſubſtantiali, cujus ſolùm eſt, operari, relictâ, vel ſeparatâ materiâ, ſive corpore, tanquam inutili. Eſt ſententia Monacenſis cujuſdam Medici, Joann. Alberti Wimpinæi, *in Tractat. de concordia Hippocraticor. & Paracelſiſtar. in Appendic. fol. 2.* ubi recenſet Hiſtoriam, de Nobili Dño à Brandis, in quo, poſt multa medicamenta devorata, cùm vitam cum morte commutaſſet, apertumque ipſius corpus eſſet, inventa eſt maſſa pilularum concreta duriſſimè in ventriculo.

Sunt tamen, qui nihil in medicamentorum numerum admittunt, niſi *Pretioſa*, magniſque comparata ſuptibus, Ægyptios imitantes, qui primi aurum cum pharmacis miſcuerunt, ſumptuosè forſitan magis, quàm proficuè. Sunt contrà, qui hæc talia penitus rejiciunt, præſertim Chymici, qui rident, ſi quis Galenicorum intrà corpus auri vel argenti laminas tenuiſſimè tuſas (Goldblättlein) cum reliquis propinet. Neque enim alterari aurum tale, ajunt, ſed integrum cum alvo excerni. Neutri horum parti addictus ſum. Et quamvis Crato, *Epiſt. Medicinal. 121. pag. 217.* etiam in dubium vocet, utrum *fragmenta Lapidum pretioſorum*, quæ à Materialiſtis, ut vocant, venduntur, ſint vera gemmarum rudera: hac tamen dubitatione ſepoſitâ, dico, ſi quid in his virtutis, ſoli tamen experientiæ notum, quæ fallaciæ multum habet, juxta Hippocr. à me *Lapides ſimpliciter præparatos* majoris fieri, quàm ipſa eorundem *Magiſteria*: de quibus incertum, utrum non magis induant formam ſuorum menſtruorum, quàm propriam ſervent: & ſic

Lap. pretioſi.

Ægyptii aurum cum pharmacis primi miſcuêre.

Magiſteria.

tantum abesset, prodesse aliquid, ut etiam magis nocerent. Hoc confirmatur ex eo quoque, quòd *pondus Magisteriorum* plerunq; gravius evadat, quàm materiæ extrahendæ priùs fuerit: non aliâ quidem ratione, quàm quatenus menstrui pars, sive ea sit vitriolata, sive tartarea, sive alterius salis naturam habeat, in ipsum *magisterium* sese insinuaverit, & ita pondus augeat, nullâ ratione per elotionem separabilis. Augetur quidem pondus

Præparata. etiam in *Præparatis*, sed hoc fit alio modo: vel quòd aër in poris, cùm adhuc integra essent, contentus per trituram evanescat; vel quòd per continuam agitationem semper aliquid de porphyrio lapide secedat, & præparatis sese commisceat. Hoc autem minùs fortè noxium est, quàm menstruum corrodens magisteriis additum. Vid. Zwelfer. *Animadversion. in Pharmacop. Aug. pag. 19. & 456.*

Auri & Argenti folia. De *Auro* & *Argento* idem plurimi sentiunt: de quo vide Theod. Zwingerum, apud Crat. Franciscus Wendlerus tamen, *in Progn. Astrolog.* apud Sennert. *de Cons. & Dis. pag. 429.* exemplo gallinæ probat, folia auri & argenti alterari, & in substantiam corporis converti posse. *Si enim*, inquit, *gallinam hisce foliis nutrieris, primis quidem quatuor diebus secedent nihil alterata; reliquis paulatim, cùm assuefactus fuerit ventriculus gallinæ, carnes ipsius inaurata, vel argentea apparebunt.* Similis rei mentionem facit Horstius, *Op. Tom. 2. p. 105.* è Zach. à Puteo, de auro brevi temporis spatio in ventriculo gallinæ emollito & digesto. Quin &

Margaritæ crudæ. ego ipse vidi, caponibus, loco testiculorum, margaritas crudas, spe maturationis, ciceris magnitudine impositas; quibus dein' ad culinam necatis vel nihil omnino de margaritis repertum, vel margaritæ corruptæ & friabiles, calcis instar, fuerunt exemptæ. De animalibus itaque calidioribus, cùm experientiâ constet, ea posse metalla, lapides, gemmas digerere, salva quidem res est, & potest concedi: sed non licet comparationem facere ad hominem.

Ha-

Hadrianus à Minficht, *in Armam. Med. Chym Syrupum Perlatum* fic componit, *fol. 253.* cujus ufus frequens eft hîc Magnatibus: Syr. Perlat.

℞. *Aq. rofar. opt.* *falis Perlar. Orient.* (vel mar-
borrag. gar.pp.) ʒß.
bugloff. ana ℔ß. *amygd. dulc. excort.* q. f.

F. optima *Emulfio*: cui adde *fachar.* ℔. 1. & coq. ad confiftentiam *Syrupi.*

In morbis gravibus, ad virium confervationem & reparationem, utimur *Gelatinâ è cornu Cervino*, fic facta: Gelatina C.C.
℞. C. C. in tenuiffimas laminas comminuti q. f. Imple eo vas ftanneum, & affunde aq. & vini an. q. f. ut parum fupereemineat: vas bene tectum impone cacabo aq. fervidâ pleno, & coq. fex vel feptem horis continuis; poftea cola, exprime, &, fi places, facchari aliquid & aromatum adde, cum alb. ovi clarifica, & in vitra effunde. Sic glutinabitur, *Gelatinæ* inftar. Ex communicatione Illuftr. Dnæ. D. Joannæ Francifcæ Prifcæ, Comitiffæ de Magni, quæ pro Rege Poloniæ eam fic compofuit. Aliter paulò fit ab Horft. *Oper. Tom. 3. pag. 8.* Sed componendorum medicamentorum numerus eft infinitus. Propterea eruditus Medicus variabit fua medicamenta, pro exigentiâ morbi, caufæ, fymptomatis, & crumenæ imprimis ipfius Ægri, à qua non raro potior defumitur Indicatio.

Deftillant curiofi quidam, pro fingulari Analeptico, *Sanguinem humanum*, quafi analogia quadam cor hominis, fui fcilicet officinam, confortaret; ideoque exhibetur etiam in Hectica. Hos verè carpit Primerofius, *de febr. f. 62.* Nam etfi vires infignes poffidere videatur; ita tamen calidus & ficcus eft fpiritus ejus, ut ignem concipere, adeoque hecticis nihil prodeffe poffit. Sennertus, *Pract. L. 1. part. 2. cap. 31. f. 150. in Quaftion.* ufum fanguinis humani in Medicina Diaboli inventum effe afferit. Ita quoque Joh. Bruyerin. *de re Cibar. lib. 2. cap. 4.* Sanguis Humanus deftillatus.

ſcribit, ſe id auxilii Chriſtiano homine indignum exiſtimare, idq; qui oſtenderint, ac literis prodiderint, credi poſſe, oriundos ab Antropophagis. Conf. Matth. Unzer. *Tract. de Epilepſiâ.*

Aq. Magnanimitatis. Ad cordis vires firmandas ſpectat quoque *Aq. magnanimitatis* Schröderi, quam proponit in *Pharmac. Med. Chym. libr. 2. cap. 38. fol. 145.* ℞. *Formicarum majorum* Mij. *ſpir. vini* menſ. 1. Digere vaſe clauſo, donec putrefactione in liquorem abierint: hinc deſtilla per B. M. & aromatiza tantillo cinnamomi. Prædicari ad animandum hominem timidum & vecordem, addit Author. Fides ſit penes expertum. Quemadmodum enim valde durum eſt, credere, Species illas Lætificantes Galeni melancholicum poſſe ad meliorem ſtatum reducere: ſic & credibile minùs videtur, hiſce remediis hominem ad pugnandum, vel audendum aliquid, fieri cordatiorem. Naturali hîc opus eſt inclinatione: ars certè parum vel nihil præſtat.

Diaphragma. *Septum transverſum* expirationi & inſpirationi ſervire, notiſſimum eſt omnibus Anatomicis. Expirationi quidem ſervit per ſe, & primariò, quia ejus actio propria eſt contractio; inſpirationi autem ſecundariò; tunc cum violentia extenditur. Cùm autem animal vivere ceſſet exſpirandò, non inſpirando; Mortui. ideò in *mortuis* ſemper videtur diaphragma contractum. Andr. Laurent. *in Anat. fol. 142.*

Macula poſt mortem. In *demortuis* nonnunquam cadaver *Maculis* defœdatur, non ſine ſuperſtitioſi vulgi detrectatione: fit autem hoc naturaliter; quatenus nimir. copioſa materia peccans, vi ſuperſtitis, etiam poſt mortem, caloris à centro ad circumferentiam corporis movetur: id quod in Scorbuticis ſæpenumero advertitur; juxta Horſt. *Op. Tom. 2. p. 378.* Quin & morbis malignis & febribus ardentibus extinctis, & plethoricis, *maculoſa* nonnunquam redditur *facies*, & *in tumorem monſtroſum attollitur*; ob eandem cauſam: vel quia, calòre nativo ſecedente, extinctiſque ſpiritibus, qui humoribus in corpore vivo dominantur, materia

vel

vel malitiosa, vel putredine turgida, & rege suo destituta, hinc inde vagatur, &, quà data porta, ruit. Occupat autem *faciem* imprimis, quia cutis, ibi tenerior, discolores *maculas* faciliùs suscipit; vel materia turgens, suâ natura levior & attenuata, sursum evaporat. Idem fere testatur Horst. *Op. Tom. 3. p. 125.* dum *Cur*, inquit, *caput, & totum cadaver, post obitum intumuerit, factum est, quòd materia peccans, antea caloris nativi robustioris compedibus quasi catenata, post mortem magis exacerbata & commota fuerit.*

Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, tenebricosa vertigo, oris amaror; purgatione per superiora indigere, significat. Hipp. l. 4. aph. 17.

In febribus circa ventriculum vehemens æstus, & cordis morsus, malum. l. 4. aph. 65.

Qui sæpe & vehementer, citra manifestam causam, exsolvuntur, ii repentè moriuntur. l. 2. aph. 41.

E strangulatis & dissolutis, nec dum mortuis, ii non redeunt ad vitam, quibus spuma circa os fuerit. l. 2. aph. 43.

A tuberculi introrsum ruptione fit exolutio, & animi defectio. l. 7. aph. 8.

Pestis.

HUc spectat cordis morbus atrocissimus, *Pestis*: de qua multa disputantur à multis & variis Auctoribus: præsertim de ejus *causa*. Alii siquidem, cùm morbus hic communis sit, à *causa* etiam *communi*, seu quæ omnes afficere possit, ortum habere autumant: Alii, velut Platerus, Pestem nunquam primitus generari, sed saltem per *Contagium* propagari, putant. Plurimi inter *causas Pestis cælum*, & *sidera*, *eorumq; influxûs*, constituunt. Quòd verò Pestis ex infausto *siderum defluxu* oriri possit, inclementiùs dictum videtur contra naturæ Creatorem. Quicquid enim creavit, erat valde bonum. Nam licet malitia hominum, per

Pestis.

Causa.

per peccatum primum, promeruisset infelices siderum concursûs: non credibile tamen est, DEUM OPT. MAX. pulcherrimam cœli machinam & methodum ideo pervertisse. Ad alias itaque causas potiùs recurendum, quàm sidera inculpanda reor: etiamsi Deusingius quoque tueatur priorem sententiam. Quomodo verò *siderum influxûs* sublunaribus creaturis noxii esse possint, pulchrè discurrit River. *l. 17. fol. 622.* quem vide. Ubi paulò infra, *fol.* scil. *626.* pulchrè descriptum videbis Cometam, qui anno 1618. apparuit.

Jonstonus, *Id. Med. l. 7. fol. 328.* inter Pestis causas *Veneficium* numerat; ortum etiã à sagarum mortuarum, in sepulchro, non avulso cervicee à capite, pòsitarum corpore. Sed ridicula videtur esse hæc causa, juxta Italorum proverbium: *canis mortuus neminem mordet*; neque valet excusatio, posse per talis corporis exhalationes aërem infici. Sic enim omne corpus uniuscujusque hominis malè humati idem efficere valeret. Nec credibile est, sagarum cadavera peculiare quid expirare. Per mortem enim peccato expiato, cadaver reliquis simile efficitur, ut nihil singularitatis remaneat.

Urinæ, peste infectorum.

Horst. *Op. Tom. 2. pag. 345.* de *Urinis* pestiferorum, & malignis morbis laborantium, optimè scribit, &, *fol. subseq.* in hisce morbis, ait, urinas à sanis plerunque nihil discrepare: propterea etiam ex illis verum judicium haberi non posse: quia priùs inficiuntur spiritûs cordi proximi, quàm humoribus malignitas communicetur; & materia maligna aliquando tam citò movetur, ut interimat hominem priùs, quàm humores abeant in putredinem. Imò *Urinæ inspectionem*, ob eandem causam, in Peste vanam, & circumstantibus & Medicis periculosam esse, statuit Crato, *de Peste ad. l. 4. Epist. f. 492. & seq. Consil. pag. 1069. & 1077.* Horst. *Op. Tom. 2. p. 361.* svadet etiam Magistratui, ut mandent Clinicis, ne nimium sint solliciti de Urina ad Medicum ferenda; siquidem inde nullumquasi indicium, quod

ad

ad curam faciat, peti possit: sed jubet eos properare ad officinam Pharmacevticam, pro adsportandis *Alexipharmacis*, unico Pestis remedio.

Quodnam autem illud sit *verum & specificum*, nondum scitur, teste Horst. *Tom. 1. pag. 391.* Et Crato, *Consil. Medic. pag. 1094.* existimat, id solius Dei Majestati esse cognitum, & ei esse reservatum, nobis incognitum. Quamvis enim unum remedium, in una pestilenti constitutione inventum, sit admodùm juvans; in alia tamen id ipsum parum profuisse, compertum est. Quod procul dubio ex *Veneni diversitate* accidit. Proinde Recentiores rectè annotarunt quidem, pestilens venenum modò viperæ, cicutæ, napelli; modò dipsadis, aliudvè venenum æmulari: quod ad curationem feliciter instituendam perutile est; ut ait Sennert. *Libr. de febr. fol. 489.* sed equidem judico, propter hujus observationis difficultatem, & hinc sequentem ignorantiam *Specifici* auxilii, tot millia hominum mori, cùm ipsis vulgaria tantùm Pestis remedia exhibeamus; v. g. *Theriacam, Mithridatum, el. de ovo, diaScordium* &c. ignorantes interim *Specificum* remedium, & ipsius pestis formam; dum scilicet in illius cognitionem priùs non devenimus, quàm plurimi interierint. Propterea necessitate, & aliorum defectu, cogimur prædictis generalibus, & in Præservatione, & in Curatione, uti. Neque consultum est, uni remedio pertinaciter inhærere, & fidem dare. Hinc meritò abigendi sunt *Agyrtæ*, qui Theriacas, & Amuleta, tam audacter prædicant, ut salutem ex iis certam, certo mendacio, promittere, & lucrum sibi utile, multis perniciosissimum, comparare non erubescant: etsi nihil aliud, quàm exoletas herbas, radices, semina, à Pharmacopolis, vel aliunde, levi pretio comparata, cum melle, vel rob sambucino, sine pondere, mensura, ratione misceant, & credulum vulgus sic decipiant: ut, iisdem magis fidem adhibentes, cætera probatiora negligant, non sine certa pernicie. *An* autem *detur proprium*

Pestis Alexipharmacũ an certum.

Agyrtæ fallaces.

prium & specificum Pestilentiæ remedium, vid. etiam Negat. concludentem ex professo D. Sennertum, *Paralipomen. ad Libr. de Febrib. pag. 176. & seqq.*

Qui Pesti magis obnoxii? Horst. *Op. Tom. 2. pag. 348.* frustra torqueri eos, innnuit, qui, in Tractatibus de Peste, curiosè indagant, quisnam magis huic morbo sit obnoxius: cùm, teste Foresto, omnes passim sine discrimine invadat, vel relinquat. Interim tamen non negandum, Pestem, ut certæ ætati, provinciæ, sexui; ita, præsertim si cum febre conjungatur, inordinatè viventibus, & cacochymicis, propinquiorem & perniciosiorem esse. Qualem scil. habemus Viennæ sæpissime, & experti sumus an. 1655. ubi paucissimos eâ vidimus infectos, præter homines nulli diætæ addictos, sed continuâ crapula fatigatos: ut sunt opificum servi, bajuli, operarii, aurigæ, & pedissequæ: reliqui, melioris vitæ & constitutionis, paucissimi, vel per prænominatos homines, vel suppellectilem, contagium contraxerunt; vel omnino tuti conservati sunt.

Pestis Viennensis 1655.

Sympathia. Jacobus Zieglerus, *l. d. fermentat. fol. 52.* scribit, Pestem *contagiosam* esse nunquam, nisi inter illos, qui *sympathiam* invicem habent; & confirmat rem historiâ unius familiæ, ex qua uxor, cum 7. liberis domi, peste obierit, eodemque tempore eâdem lue mortui sint duo absentes filii: quorum unus Lugduni, Gallorum, alter in Helvetia vixerat. Exemplum fere simile est in Aulica Domicella Kilasin, cujus soror 4 milliaribus Viennâ morbillares maculas passa est. Illa autem & sibi, licet absenti, timens, præservativum à me sumpsit, sed nihilominùs paulò pòst eodem malo correpta, bene tamen, per D. G. curata, convaluit.

Idem Zieglerus, *paulò pòst*, observat, *contagium* pestis plerunque 14. die in actum erumpere.

Pestis recidiva. Eruditè scribit Deusingius, *de Peste*, & inter alia rationem ponit, *cur, qui semel peste laborarunt, non facilè in eam recidant*, *fol. 217.* In hisce enim, ait, ceu per adsuefactionem aliquam, natura

tura familiaritatem cum pestilenti veneno quadantenus iniit, ut non facilè illius impetu lædantur: vel certè per morbum consumitur, atque evacuatur materia aliqua, quæ in corpore veneni pestilentis fomes existebat; quâ consumtâ, haud ita facilè venenum adhærescit, radicésve in corpore agit. Velut item, qui quartanam semel passi sunt, haud ita facilè eâdem denuò corripiuntur. Hæc ille.

Multa & laudabilia invenies remedia apud Crat. *Consil. fol. 1071. & seqq.* Ludovicus de Leonibus, magni nominis Practicus, Bononiæ, Regi Hungariæ, Matthiæ, mille Ungaris pro præmio acceptis, apud Crat. *pag. 1108.* hoc præscripsit: Balsamus contra Pestem.

℞. *Ol. terebinth.*	*sagapeni,*
lauri,	*castorei,* ana ℥ij. ʒij.
abietis, ana ℥iij.	*galang.*
gum. elemi ℥ß.	*cinam.*
hederæ ʒvj.	*caryophyll. nuc. mosch.*
thuris ℥j.	*cubeb.*
ligni aloës ʒvj.	*Zedoar.*
mastich.	*opopan.* ana ℥ß.
myrrhæ,	*resinæ pini,*
ladani,	*picis navalis,* ana ʒij.

Terantur terenda, & in vase vitreo ponantur, stentq́; per mensem in putrefactione; postea lento igne destillentur, inunganturq́; eo Pulsûs, ubi observantur, & regio Cordis. Et certè multò tutiores sunt hi *Balsami*, quàm *Amuleta* ex venenis parata, & nescio quibus characteribus insignita, ex arsenico, Mercurio, antimonio, araneis. Amuleta. Hæc enim cor magis debilitant; quod maximè esset confortandum. Horstius autem, *Op. To. p. 111. & 244.* etsi, unâ mecum, in Peste, certis ductus rationibus, præfert *Amuleta* è Bezoardicis iis, quæ fiunt è venenis; distinguit tamen inter illos, qui non coguntur esse præsentes infectis, & eos, qui ipsis præesse debent: his, ait, necessaria esse amuleta è venenis: ubi laudat experientiâ propriâ

Mercurium, per fusum Saturnum calcinatum, & ℥ij. *pondere sacculo coriaceo involutum & gestatum*. Chirurgus quidam Viennensis pro *Amuleto* gestavit *radicem plantaginis majorem*: & sic incolumis evasit; teste Cratone, *Conf. pag. 155.* Helmontius laudat *Succinum*.

In peste illa gravissima, toti ferè Germaniæ epidemiâ, an. 1634. se, suamque domum, per Dei gratiam, incolumem præservavit Ingolstadii; Pater meus p.m. quamvis ipse & propriâ voluntate & commiseratione motus, nec non stipendio conductus, publico periculo quotidie obnoxius fuerit, gestatione *Sacculi cordialis* ex merissimis alexipharmacis, aromatibus & cordialibus confecti, v.g. ex *rad. angel. Zedoaria, magistrantii, cortic. aurantior. citri, caryophyllis, rosis, macere, croco, pimpinella*: item *rutâ, ambrâ, moscho, Zibetho*, &c. nec non simili *Mixturâ*, vel *Aceto Bezoardico*. ℞. *Nucum jugland. rec. excort. fol. ruta, rad. angel. Zedoar. pimpinell. magistrant. baccar. juniperi, cortic. citri, aurantior.* &c. ana q. placet. Serventur vel integra, vel in partes majores discissa, ut cuilibet, quod placet, eximere liceat, & affunde *aceti vini simplicis*, vel *medicati ex ruta, lavendulâ, rosis, flor. sambuci, rubo Idæo facti* &c. q. s. Manè de *ingredientibus* proposuit cuilibet ad placitum aliquid, & jussit superbibi *aceti* coch. i. ij. iij.

Sacculi Cordiales in Peste.

Acetum Bezoardicum.

Sunt, qui his omnibus præferunt *Odorem rerum fœtidarum*, v.g. *hirci, cloacarum*, &c. cujus remedii usum non improbat Libavius, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 555.* & rationem hanc addit: *à malis odoribus non rarò præsidium esse natura, non quidem quà mali sunt, sed quà efficaces, spirituosasq; occupans potestates, quibus oppugnare spirituale pestis venenū queant, aut instigare naturam ad expellendum.*

Malè olentia.

Anton. Deusingius, *de Pest. fol. 312.* ex Sennerto, pro *Pestis* vi repellendâ, adducit *fumum calcis vivæ*, in cubiculis excitatum. Ego verò illum improbo, ob periculum, quod pulmonibus inde imminet. Idem, *fol. 332.* proponit *Aquam odoratissimam*, quâ manus

manus & facies, præservationis gratiâ, inungi possint. ℞. *Moschum* & *ambram*: ligentur in petiam, ita suspendantur, in vitro, affusâ *aqua vitæ*, obturetur vitrum optimè, & sub cineribus calidis conservetur aliquot diebus. Prodibit *aqua maximè odorata*.

Zachar. à Puteo, Med. Venetus, tantum tribuit quotidiano usui *Rhabarbari*, ut asserere non vereatur, se in Peste, 26. annos durante, immunem illius beneficio evasisse. Rolfinc. *l. de febr. fol. 310*.

Georg. Hieron. Velschius, *in l. de Ægagropilis*, von den Gemsen-Kugeln / ex Joh. Bontio, *in Notis Garz. ab Horto*, ait; *Lapides vesicæ humanæ* cuivis *lapidi Bezoartico* præferendos esse.

Quòd *Butyrum*, cum *sale* & *pane* quotidie comestum, antequam domo quis exeat, sanitatem conservet, & Pestis præcavendæ etiam sit remedium, norunt Belgæ, & Infer. Saxoniæ Incolæ; & testatur Scholæ Salernitanæ Auctor, *fol. 129*. Butyrum.

Quid in præservatione pestis *Fonticuli* possint, vide apud Horst. *Oper. Tom. 2. f. 358. & 360.* item apud Guil. Fabrit. *f. 307*. Fonticulus.

Hippocrates ab Illyria Pestem imminentem Græcis prævenit, sylvis intermediis accensis. Propterea statuam ipsi, pileo capite tecto, posuerunt, & sic Herculi similem reddiderunt. Sennert. *L. 6. Pract. part 3. cap. 2. f. 106. c. b.* Hippoc. honoratus.

E *Viperis* desumi nobile medicamentum in Peste, nemo ignorat, nisi cui Theriaca ignota est. Ex his fit *Bezoardicum animale*, vel *Pulvis Viperinus*, cujus ʒj. Lyncii, Super. Austriæ, an. 1647. cùm pestis Viennâ eò delata esset, præservationis gratiâ, tanquam specificum, plurimi inter Magnates sibi compararunt Ducati pretio, &, Auctore ejus, per libellum editum, alienis tantùm plumis ornatum, sic jactante, nonnulli se à Peste tutos crediderunt aliquot Annis: at quod nimis audacter allegatum existimo. Interim & pro malignitate arcenda, & veneno per

no per sudorem expellendo, non sine ratione & experientia, eo utimur.

Vipera. Videtur enim *Vipera* singularem habere vim tuendi cordis vires, ob singularem quandam cum homine analogiam, quam insinuat Poëta, Daniel Hermannus, ubi demonstrat, è variis

Animalium ortus. rebus putrescentibus varia gigni animalia, apud Craton.

— — — — Sic putri è ventre cicadæ
Papilio vernam pinnis emergit in auram,
Cumq; æstate perit : putrefacto viscere tauri
Florilegæ nascuntur apes : spinæq; medullâ
Exoritur serpens, homo quando putrescit humatus.
Crábroq; fertur equi putrefacto è viscere nasci.

Et, quòd terra possit, ope tantùm fermentationis, herbas & animalia, sine semine, producere, ait Ziegler. *de Fermentat. fol. 2.* quod pernegat Præceptor ejus *in Conf. & Dissens. & Hypomnem. Physicis*: quem vid. Horst. *Op. Tom. 2. p. 107.* *Quidam*, ait, *Bezoardicum animale ex vertebris viperarum; alii ex corde, hepate, & lingua; quidam ex vertebris cum reliquis partibus conficiunt, & contra omnia venena miris extollunt laudibus.*

Medicamentum singulare, sed laboriosum, quo sumpto plurimi præservati dicebantur, Frisingæ Bavarorum, an. 1634. jussu & operâ Reverendiss. & Perillustr. D. Jo. Georgii L. B. de Puech. &c. illius Cathedralis Eccles. Decani, Viri rarissimæ eruditionis, judicii & experientiæ, compositum est: quod vide apud Cratonem *Consil. f. 1094.* & adscribitur Fuggeris. Illud ego etiam reperi manu descriptum in Bibliothecâ, ab Avunculo majore, Sixto Kepsero, Serenissimi Ducis Bavar. Alberti Sen. quodam Physico, ad me per hæreditatem devolutâ.

Ex libro Collectan. Comitissæ Vorgatschin *Electuarium Orvietanum*, in Italiæ & Galliæ regionibus vehementer decantatum, sic componitur:

℞. Rad

℞. *Rad. Gentianæ,*	*h. carlinæ,*
tormentillæ,	*sem. citri,*
bistortæ,	*anchusæ,*
aristolochiæ rot.	*rad. anthoræ,*
long.	*angelicæ*, ana ℥iij,
dictamn. alb.	*scorzoneræ* ad pondus
herb. card. B.	omnium.

Pulverisa minutissimè, & adde *mellis despumati* triplum. Coque lento igne, sæpius agitando, & adde *vini Malvatici* q. s. Tandem adde *Theriacæ* partem decimam, respectu superiorum. NB. *Vinum & mel* simul coque, & paulatim adde *pulveres*, donec fiat Electuarium justæ consistentiæ: quod à peste & venenis cujuscunque generis præservat & liberat. Valet etiam ad hystericam passionem, morsum canis rabidi, vermes puerorum, plevritidem &c. à ʒß. ad ʒj. vel per se, vel cum *vino, aceto*, aut alio convenienti *liquore*. Aliud vide ap. Schröder. *Pharmacop. Med. Chym. libr. 2. p. 184. c. b.*

Spiritum terræ sigillatæ hic commendat Horst. *Oper. Tom. 3. p. 11.* qui datur ad ʒß. pro sudore eliciendo, & vincendâ malignitate, cum *elixir. pestilential. Croll.* Præparationem vide *ibid. c. a.* Spir. terræ sig.

Idem attribuit *Salibus medicatis* Crato, *Consil. pag. 1105. Cui, inquit, extractio vera Angelicæ nota non est, utatur* decocto, *vel Sale ejusdem, qui valde sudorem movet: sicut salia ex herbis, quæ in hac affectione usurpantur, scordii, scabiosæ, cardui &c. securissima & præcipua expulsiva sunt.* Sales medicati.

De *camphoræ* in Pestilentiâ usu vid. Minderer. *lib de Pestil. c. 15.* Dubium tamen, quâ facultate, calefactoriâne, an alexipharmacâ, ea præstet: item: an ipsius additione medicamenta magis reddantur alexipharmaca; an saltem penetrabiliora. Celerem enim penetrationem ad restingvendam venenorum malitiam, quæ & ipsa penetrantissima sunt, præsertim pestilentialia, maximum adferre momentum, est in confesso. Vide etiam Crat. *Epist. Med. 130.* Camphora.

Ex *Theriaca*, & *Flor. Sulphuris*, elegans composuit & utile medicamentum Tycho Brahe, insignis Mathematicus: qui eandem compositionem Rudolpho Imper pro secreto communicavit. Descriptionem vide apud Sennert. *Tract. de Febr. f. 464.* vide etiam Schröder. *in Pharmac. libr. 2. f. 189.*

Purgantia. Flores Antimon.

Etsi Crato, *Consil. fol. 1103.* hîc omnia *Purgantia fortia* rejiciat; admittit tamen *alibi*, in robustioribus subjectis, *flores antimonii albos*; quia simul etiam ad sudores disponunt, ut fortè *antimonium diaphoreticum*. Nos, ubi cacochymia in primis viis alexipharmacorum effectûs obtundere potest, lenitivis utimur: ubi autem vires constant, statim in principio exhibemus, non malè, *Aquam bened. Rulandi*, vel *Syr. emeticum*.

De vera præcavend. & curandi febrem pestilentem, contagiosam ratione vid. eund. *in Consil. Medicinal. à pag. 1070. usq; ad finem*, per Tractatum integrum.

Mithridatium.

Vulgare Pestis remedium est *Mithridatium*; quod Auctorem suum à veneno præservasse dicitur, & à Sereno, apud Horst. *Oper. Tom. 1. p. 391.* ita describitur:

Bis denum Rutæ folium, Salis & breve granum,
Juglandesq; duas, totidem, cum corpore, ficûs,
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo,
Sumebat, metuens, dederat quæ, pocula, mater.

In gravidis & pueris Jonston. laudat *Dioscord. Fracastor.* ad ℥ij.

Salomon Clossæus, *ap. Horst. Oper. Tom. 2. pag. 349. c. b.* notat:

Bubones.

Bubones & *Anthraces*, in Peste præcipuè, non in solis tribus emunctoriis; ut ingvinibus sc. sub axillis, & post aures reperiri; sed etiam in dorso, ventre, brachiis, & aliis corporis partibus; adeoque malè definiri per tumorem glandularum.

Emplast. ad Carbon. & Bubon.

Pro attractione veneni pestilentis, ad circumferentiam corporis, iis præsertim in locis, ubi *Bubones*, & *Carbunculi*, solent erumpere, præstantissimum habetur *Emplastrum* apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 349.* quod ita habet:

℞. Gum.

℞. *Gum. sagapen.*
ammoniac.
galban. cum aceto dissol. depurat. & in consist. coct. an. ℥iij.
terebinth. cocta,
cera virg. ana ℥iiiiß.
Magnet. arsenical. subtil. pulv.
rad. aronis pulv. an. ℥j.
M. F. Empl.

Aliàs potentissimè venenum attrahit *Bufo integer*, vel *pulverisatus*, & *cum fermento subactus*, emplastri modo applicatus, teste Cratone, *L. 4 fol. 621.* Bufo.

In virulentis ulceribus & protuberantiis mirè profuisse, scribit Joh. Freitag. apud Horst. *Op. Tom. 2. pag. 362. c. b.* hoc:

℞. *Sulphur. vitriolati* ʒiiß.
ol. Saturn. ʒj.
amygd. dulc.
ungvent. rosar. ana ℥ij.
spirit. camphor. ʒß.
Omnia bene incorporentur in mortar. & F. Ungventum albissim. pro Inunctione.

Magnes arsenicalis, ad priorem compositionem pertinens, sic fit:

℞. *Arsenici crystallini*,
sulphuris vivi,
antimonii crudi, ana part. æq.
Pulverisf. in mortario ferreo, & ad ignem arenæ ponantur in vase vitreato fortissimo, donec liquata coëant. Vide Sennert, *L. 4 de febr. f. 476.* ex Angeli Salæ *Ternar. Bezoardic. c. 5.* Tenzel. *pag. 151.* Simil. vid. ap. Schröder. *in Pharmac. Med. Chym. libr. 2. p. 195. c. b.*

Signum mortis in Peste tradit Deusingius, *fol. 438.* tale: Impone Carbunculo *Emplastrum ex molli galbano*: si pertinaciter adhæreat, bene spera; sin minùs, malè. Vel impone Theriacam: si citò exarescat, & carbunculus non immutetur, lethale. Idem, *fol. 452.* minùs tuta esse *Emplastra*, ait: præstare *Cataplasmata*, ea præsertim, quæ cum *lino* applicantur, quia sic per linum faciliùs omnia transpirant. Signa mortis.

Homo, peste, vel *fulmine*, extinctus, vel veneno assvetus, & suspensus, ab avibus non facilè attingitur, antequam venenum exhalet, vel vi caloris extrinseci extrahatur; ut notat Libavius, Fulmen.

bavius, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 485.* In ipsa Peste, sine febri (qualem reverâ dari, experientia docet) *vinum* pro viribus recuperandis dare, nihil vetat.

Venenum.

Venenum. DE *Veneno* pulchrè discurrit Petr. Monavius, apud Crat. *Epist. Med. 216. pag. 373.* ubi distinguit inter hæc tria, quæ assumuntur: & dicit *Alimenta* esse, quæ à natura nostra & secundum substantiam, & secundum qualitates, vincuntur: Medicamenta, quæ secundum substantiam quidem sunt dissimilia; secundum qualitates autem à calore nativo superantur: Venena, & secundùm substantiam, & secundùm qualitates, corpus nostrum, vel certam ejus partem, destruunt & corrumpunt. Addit, *certam ejus partem:* ut insinuaret, non omnia venena cordi immediatè, & principaliter, adversari; quod vult Mercurialis. Sic *cantharides* vesicam lædunt; *opium* cerebro primùm inimicum est, &c. Conf. Sennert. *Lib. 6. Pract. pag. 222. & seq.*

(Alimenta. Medicamenta. Venena.)

Veneni signa. *Signa* proponuntur, utrum homini venenum datum, & ille extinctus sit, necne, demonstrantia: & quæstio etiam tractatur à Bapt. Codronchio, *in libell. Meth. testificandi, p. 176. Utrum humores in nostro corpore tantam adipisci possint corruptionem, ut naturam veneni induant.* Respondet autem affirmativè, ex Gal. & Hipp. mente. Sed quomodo id fiat, tradit Sennert. *Libr. 6. Pract. fol. 64. & seq. 68.* Nimirum fieri posse, ut cum alimento vario, quantumvis alterato, sæpius qualitas aliqua venenata corpori communicetur; quæ tunc primùm sese prodat, quando separata existit; juxta Hipp. *l. de Prisca medicina*, qui dicit: *In homine inest & amarum & dulce, & salsum & acidum, & acerbum & insipidum, & alia sexcenta, quæ pro copia & viribus varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione, & mutuâ inter se contemperatione neq; cernuntur, neq; molestia quenquam afficiunt. At ubi horum*

(Humores venenati.)

horum secretum quippiam fuerit, & per se extiterit; tum & conspicuum fit, & hominem molestiâ afficit. Atque hinc sanè tota patet morborum, ab interno humorum vitio ortorum, & veneni in corpore nostro geniti ratio. Et si enim anima in subjectas formas dominium habet, & hæ omnes illi inserviunt, hisque anima utitur, ut ad communem finem & salutem hominis omnes conspirent: formæ tamen illæ suam naturam & potestatem omnem non amittunt, sed sese mutuò lacessunt, &, quæ fortiores sunt, alias deprimere conantur, tandemque, viribus auctæ, & contrariis abolitis, etiam animæ dominium excutere conantur: unde variæ in corpore mutationes, & morbi oriuntur. Insignem hac de re locum vid. ap. Helmont. *Ort. Med. Tr. Suppl. Parad. num. crit. pag. 557. b. m. 15.* it. *Tria prim. Chymic. Princ.* &c. *pag. 327. c. b. m. 37.* & *Ignot. hosp. pag. 402. c. b. à m. 81.*

Exemplum est in Variolis & Morbillis, quorum materia, à Parentibus contracta, diutissimè geritur intra corpus, & non sentitur, priusquam secernatur. Non autem unicam causam esse humorum in venenum degenerantium, Veneni qualitatem, cum alimentis sensim assumptam; sed posse, etiam absque hac, humores Veneni naturam induere, certum est, & experientiâ cumprobatur in corruptione seminis, & sangvinis menstrui: ubi admiranda oriuntur symptomata, stultitiæ, maniæ, epilepsiæ, caloris nativi ad interiora subitanei recessûs, & dissipationes, &c. veneno non dissipares effectûs. Vide Minderer. *Tractat. de Pestilent. cap 3. p. 22. 23.* Horst. *Oper. Tom. 1. p. 273. Quæst. 9.* Fernel. *de abdit. rer. caus. fol. 115. 117.*

Veneno assuescere nonnullos, ut, eo propinato, minimè offendantur, novi nihil est. Sennertus autem, *Libr. 3. Pract. p. 85.* & *Lib. 6. Pract. f. 225.* putat, venena hîc intelligi, quæ à plantis & animalibus petuntur; in quibus semper aliquid nutritioni aptum insit: secus verò se rem habere in venenis metallicis, quæ toto genere præter naturam sunt, respectu nostri. Ego verò arbitror, Veneno assueti.

teror, nihil obstare, quò minùs natura hominis etiam metalla venenata sustineat, modò is successivè, & primò vegetabilibus, tanquam minùs noxiis, assuefiat. *Metalla utrum rectè & tutò intrò assumi possint*, vid. *Thom. Erast. in Epist. Craton. 218. pag. 375. et b.*

Ita frequenti spectaculo *Agyrtæ*, & *Circulatores* (genus hominũ publicæ perniciei natum, quod in magnis urbibus semper & prohibebitur & retinebitur, homines inertissimi, quorum omnis vis virtùsq; in linguâ sita est, ut Salust. *in Orat. de Rep. ordin.* habet, quò suis medicamentis fidem ap. ignarum vulgus adstruant) dissectum *Busonem* exprimunt, sanguinemque expressum ministro propinant; qui mox instar follis sufflatur, ac flavo & subviridi colore obducitur; quem publicè Theatro elatum, & quasi moribundum, postero die salvum & incolumem populo sistunt: & ex hoc ostento rude vulgus, quasi attonitum, in admirationem rapitur; singulique, suis malis inde remedia quærentes, credulitatis suæ pœnas luunt damno sæpe immedicabili, quod proprio ære sibi compararunt. Non autem difficilis est hujus veneni curatio, si modò satis tempestivè remedia adhibeantur. Si enim excitatur statim vomitus, & exhibitâ antidoto Saxonicâ, Mithridatio, aliòve, ad sudorem componitur corpus; illo tantùm non diffluit. Quin & isti *Præstigiatores* fraudis suæ hocce adinvenère adminiculum, ut ventriculum, ante datum venenum, cibis pinguibus infarciant, quo vis illius minùs in venas penetret, citiusque vomitu rejiciatur: ut notant Andr. Bacc. *de Venen. p. 38.* Paulus Zachias, *Quæst. Med. Leg. tit. 2. quæst. 8.* And. Matth. *com. in l. 6. Dioscorid. præfat.* Antidotus quoque crebriùs sumpta naturam hominis reddit alexipharmacam, invictam scil. adversus venena: ut in Mithridate Rege ejus rei exemplum est ap. Appian. Marcell, *de bello Mithrid.* quem totum factum esse Bezoar, J. D. Horstius innuit, *fol. 199.*

Horst.

Horst. *Op. Tom. 2. p. 452.* notat, posse nonnunquam aliquid intrò sumptum corpori non nocere; extra verò applicatum, illud singulari molestiâ afficere. Ita sudor, & spuma equorum, si scalpellum ignitum eâ extinguatur, hocq; corpori admoveatur, vulnuscula infligit perpetuo cruore madentia: si verò biberetur, nihil nocere, credit Libavius, apud Eundem. Vide Crat. *Epist. fol. 242.*

Camerarius, *in historia Basilici herbæ*, facit mentionem, quòd ex hac herba *Scorpiones* fieri possint: sed ipse, cùm non viderit, negat experientiam, facilè tamen comparabilem, si, prout mihi relatum est à Pharmacopœo, illud experto, Celebr. Monasterii Seittenstettensis, Schwarzmanno, procederetur. Is mense Julio, vel Augusto, contundit herbam, quasi ex ea succum expressurus. Massam contusam tegulæ ita calefactæ, ut tactum non admittat, illinit, crassitudine trium digitorum, superaddit dein' similem tegulam, & ambas circumcirca munit luto, quod ex equino stercore & argilla conficit. Tegulas sic conjunctas per mensem in cella custodit. Dein' tegulas aperit, & *Scorpiones* inde prosilientes, ipsis ex Italia translatis simillimos, ad usum servat.

Confirmatur etiam, *Basilicum* in *Scorpiones* mutari posse, exemplo Hollerii, apud Neucranzium, *Med. Tractatu de Purpura, fol. 99.* ubi narrat, Italo cuidam in cerebro natum Scorpionem, ex frequenti saltem herbæ odoratu. Scorpio arte factus.

Angvem ex medullâ hominis spinæ gigni, accepimus à multis, ait Plinius, apud Drexelium, *in Trismegisto, fol. 422.*

Scorpionum vires, & usum, supplet insectorum genus, mihi prope Hornam, Infer. Austr. ab Illustriss. Dna Nizin in Kodau demonstratum, sub nomine Mayenwürm/ (non illud vulgare genus, die gemeine May-Käfer/ sed est animalculum multorum pedum, lutei & subviridis coloris, collo cæruleo, ventre pure quasi turgido. Colligitur mense Majo, &, cum oleo mistum,

R 3 Soli,

Vesperam ictûs. Soli, pro digestione, opponitur, in venenatis *ictibis*, *Vesparum* imprimis, efficacissimum: de quorum *Ictibus* Guil. Fabricius, *fol.613.* scribit, & singulariter ad eos laudat *Emplastrum de ranis cum Mercurio*: item, *oleum ex ipsis vespis*. Tandem autem, cùm alia nihil profuerunt, exscindit ipsam maculam, vel tuberculum. Insecti verò superioris meminit Horst. *Op.Tom.2.p.409.* illudque Cantarelli. *Cantarellos* nominat. Datur etiam *ipsorum Oleum* pro calculo, ad ℥j.

CAPUT II.

De Pulmonum vitiis.

Phthisis. PHthisis Horstio, *Tom.3.pag.54.* est illa Tabis species, in qua adest consumptio totius corporis, cum febri lentâ, ex ulcere pulmonis originem trahens. Conf. *Tom.2.pag.133.* & seqq. uti & *pag.398.*

Helmontius *accusat peregrinum fermentum, cujus ratione error vegetatricis contingat, & Archeus eapropter impediatur, quò minùs alimentum debitè alteretur, sed sputa & phlegmata generentur.*

An sit morbus contagiosus. Riverius, *Prax. fol. 479.* inter morbos valdè contagiosos Phthisin numerat, dicitque, periculosum esse, etiam cubiculum ægrotantis accedere.

Quod etiam Jonstonus, *Idea Med. fol. 457.* confirmat, dum scribit, posse sanè Phthisin contrahi non solùm per anhelitum phthisicorum, sed etiam per spiritum, qui in fectis felibus aut canibus exspirat. Unde etiam Matthiolus refert, multos, cùm felibus delectarentur, inspirato inde diutius, unà cum aëre, eorum spiritu, in tabem incidisse, vitiato pulmone.

Nec desunt alii, qui, quòd in Austria tot sunt Phthisici, non tantùm vinò, ut *postea*, adscribunt; sed & contagio, quo anhelitus putridus, ab adstantibus haustus, etiam illos inficere potis sit. Ego verò crediderim, miasma, quod ex phthisicis exhalat,

lat, ad longinqua nihil, vel certè parum agere: aliàs omnes Medicos in Austriâ phthisi infectum iri verendum esset; cùm tamen aër, & vinum Austriacum, non contagium, tot efficiat phthisicos; vel certè perquam rarò aliquos.

Phthisin, ut & Tabem, *Anglis* quoque familiarem esse, testatur Primirosius, *lib.3.cap.29.*

In Phthisi *aër* siccus sit & calidior, ut ulcus consolidetur; etiamsi conjuncta hectica alium indicet. Potior enim respectus debetur ulceri: uti insinuat Roderic. à Fonseca, *apud Mollenbroc.fol.53.* Aër.

Multum gloriatur Thomas Erastus, apud Cratonem, *in Consil. 88. pag. 231.* se plurimos incipientes, non paucos etiam desperatos curasse Phthisicos. In Austria verò, & præsertim Inferiori, paucissimos incipientes, nullos in augmento curari animadvertes; ubi aliquot millia hominum quotannis Phthisi tolluntur. Hujusque morbi, tanquam epidemii, causa, inevitabilis quasi, *Vini generosi* abusus est; uti jam dictum, quod, ob nimiam copiam, plerunque vilescit, & vulgariter, non frugaliter, bibitur: iis præsertim noxium, qui manè, jejuno ventriculo, eo sese ingurgitant. Hinc idiomate patrio fertur: Wer früh nüchtern trinckt/ bekommt die Dörr. Tunc enim vinum citò rapitur ad hepar, & reliqua viscera; illa incendit, indurat & obstruit, coctionesque labefactat: unde excrementa augentur, vaporibusque caput repletur, & catarrhis ad pulmones relabentibus occasio præbetur. Quin & ipsum hepar & viscera æstuant, ad pulmones evaporant, & ibidem, tussim inferendo, eos lacessunt, ut facilè vas aliquod rumpatur, & *Phthisis* generetur. Ideo præterquam, quòd aër subtilis & penetrans multum pulmones fatigat; in his locis curatu tam difficilis est *Phthisis*. Adde, quòd Patientes impatientes vel in principio curam negligunt, vel integram non admittunt, neque à vini potu ulla ratione avelli possunt, ventriculo nimium quantum metuentes

Potûs matutini noxa.

entes

entes, & Medico objicientes: Sie hätten sonst kein Krafft oder Stärckung des Magens. Interim catharrhum augent, & totum corpus magis atque magis exiccant. Imò audivi quosdam, à me admonitos, nescio quâ conscientia, respondisse: se nolle à Vino propterea abstinere, sed eligere, præ reliquis, hoc morbi & mortis genus suave, lentum, & ubi cum ratione ad plures itur. Besser zu todt gesoffen / als zu todt gemdhet. Videmus certè *Vini potores ferè* omnes staturâ parvos, macilentos, colli oblongi, angusti pectoris, oculorum squalidorum: è quibus ipsa *Phthisis* emicat (Scheint ihnen der Tod zun Augen heraus) quâ etiam plerique moriuntur, ob prædictas potissimùm causas. Quibus omnibus accedit etiam hoc, quòd pulmones, semel exulcerati, ob continuum motum & tussim, non facilè consolidantur, & medicamenta ad pulmones rectâ non derivantur, sed, per ambages deducta, vim suam tardè nimis affectæ parti communicant.

Vini potores.

Et quamvis Gal. *l. 2. Glauc. c. 2.* prudenter admoneat, tantum roboris medicamentis adjungendum esse, quantum in transitu amittitur; ut, quod relinquitur, æquale remaneat ei, quod tactu juvat: id ipsum tamen summâ difficultate non caret: ut videtur in ipsâ *phthisi*, ubi medicamenta pulmonibus appropriata tot subeunt alterationes, ut, antequam virtus eorum ad partem affectâm deducatur, prorsus ferè evanescat.

Curatio.

Erastus autem noster tali utitur methodo, *loc. cit.* Exhibet (ad exemplum Fernelii, qui, ne nimium suo decocto exiccaret, addit *frustum carnis vitulinæ*, sicque pinguefecit Ægrum decocto simul exiccante, consolidante & nutriente, habito respectu ulceris pulmonum, & febris hecticæ conjunctæ) *ligni Guajaci decoctum*, per duos tresve menses, priùs evacuato corpore. *Vinum* aliquando ægro concedit. In *victu* prohibet salsa, acria; admittit lenta, ut *extrema animalium*, *cochleas bene coctas*, *testudines nemorales*, *hordeum*, *oryzam*, cum *lacte ustulato*. Expectorantia

rantia sint humida: confectio ex pectoralibus, cum *carne perdicum* &c. *aqua caponis*, cum innumeris ingredientibus &c.

Plures autem sunt *causæ externæ* Phthisis, quas inter non minima *calcis* recens extinctæ evaporatio. In conclavi itaque recens dealbato vel ædificato, dormire, periculosum esse, ob phthisin inde metuendam, ratio & experientia docent. Halitus enim ille, & evaporatio calcis, pectori inimicissima, pulmones exulcerant. Hinc videmus, Murarios plerosque Phthisi interire. Calx.

Phthisis, quæ fovetur à *Catarrho*, difficulter curatur; nunquam verò, nisi diverso catarrho ad alias partes: hinc ponimus *Fonticulos* ad *brachia*. Helidæus de Paduanis quidem, apud Crat. *Consf. f. 215.* ad *suturam capitis* affigit: & sic, multos actu Phthisicos pristinæ sanitati se restituisse, affirmat. Catarrhus. Fonticulus.

Ulcus pulmonum è *Vulnere* curari sæpius, testatur Guil. Fabricius, quamvis à catarrho foveatur; & quidem *Setacei* beneficio, *in Cent. obs. p. 1009.* Pulmon. ulcus. Setaceum.

Percommodè & pulchrè discurrit de *Phthisi*, ejus symptomatis, eorumque causis, Joann. Petrus Merenda, Ferdinandi I. R. R. Physicus, apud Crat. *Cons. 82. f. 218. & seq.* quæ Epistola, lectu dignissima, meritò, in omnibus Consultationibus, omnibus Medicis esset imitanda.

Qui angusti sunt pectoris, facilè *Tabem* incurrunt, ait Adrianus Junius in Nomenclatore, sub Titulo: *Pectorosus*. Tales vocantur *Pectorosi*, Engbrüstig/ Græcè, *Stenothoraces*. Tabes. Pectorosi.

In *Phthisi*, vel qualicunque pulmonum ulcere, aliquando circa pectus *Maculæ* erumpunt, ob pulmonum putredinem, & ex hac evaporantem malignitatem: quæ etiam miasma in adstantes transferre potest; ita sentiente Horst. apud Guil. Fabric. *p. 217.* Tunc singulariter commendat *Balsamum sulphuris terebinthinatum*, cum *syr. de jujubis* &c. Exanthemata.

S Com-

Commendatur etiam ab eodem Horst. *Op. Tom. 3. p. 17. c. b.* usus *cancrorum fluviatilium*: sive ex iis *Liquor* (sed per suspensionem in cucurbita) destilletur: sive cum *oryza*, *cremore ptisanæ*, *lacte* coquantur; sive cum *conservis*, *saccharo*, in *Electuarii*, vel *Morsulorum* (uti *ibid.* habet Horst. ex Minsicht. sub Titulo: *Morsuli refectivi de Cancris*) formam cogantur: quod & mihi magis placet.

Carnium destillatio vana.

Nam quod à *cancris*, *cochleis*, *testudine*, *pulmonibus vulpis*, *vituli*, aliisque animalium partibus expectamus, illud per destillationem minimè obtinemus; naturalem scilicet illum balsamum, quo glutinantur pulmones, & totum corpus exsucum mirificè recreatur & nutritur. Hic enim non in spiritu, vel sale volatili consistit, qui per destillationem attollitur, sed in fundo, terræ, vel salis fixi instar, subsidet, corrumpitur, & inutilis redditur; ut rectè sentiunt sagaciores Practici.

Primirosius etiam, *libr. 3. cap. 27.* testatur, vanam esse carnium destillationem. Viderint ergo Practici, quo cum fructu præscribant *Caponis jusculum destillatum*, *pro Pastu Ordinario*: & destillata ex carne non probari, quia vis nutritiva alembicum non transcendat, habet etiam Jonston. *fol. 493.*

Et à Riverio, *lib. 17. fol. 515.* quoque confirmatur vanitas hujus rei; si scil. intelligatur destillatio per ascensum; non autem si per descensum, quod fit sequenti modo: sumitur olla vitreata, in cujus medio fit craticula, ex ligno, vel alia materia confecta, super quam carnes, ex quibus destillatum fieri cupis, frustulatim ita concinnantur, ut ollæ fundum vacuum remaneat. Postea olla optimè clausa suo operculo, probè lutato cum farinâ aquâ subacta, ponitur in B. M. bulliente per horas quinque. Destillabit in fundum *jus limpidum*, cujus cochlearia ij. vel iij. cum jusculis, aut per se, ter aut quater in die exhiberi poterunt. Et hujusmodi carnium destillationes hecticis & phthisicis instaurandis valde esse idoneas.

Phthisi

Phthisi conjunctum malum, *Tussis*, lenitur variis remediis. Tussis.
Ubi Horstio, *Op. Tom. 3. p. 49. Quæst. 3.* rectè placet, *trochiscos bechicos* præponere *syrupis* & *eclegmatis*; quia hæc laryngem prælabuntur, & in ventriculum descendunt, nec tam diu in ore contineri possunt, ut, quod asperum est, & tussim facit, leniant: in ventriculo autem nihil, nisi nauseam, bilemque generant; & obstructionibus ansam præbent.

Idem confirmat Fernel. *l. 1. Therap. c. 9.* dum scribit: Pulmonum, laterum, thoracisque interiori ustio succurrunt, quæ sensim lambendo & degluriendo illabuntur in arteriam; minimè verò, quæ, ore accepta, statim in ventrem devorantur: quæ foris pectori imponuntur quoque, vaporis specie, unâ cum spiritu hauriuntur. Sicca.

Tussis sæpissime provenit, & quidem *sicca*, & pertinacissima, quandò hepar æstuans, & in pulmones evaporans eos titillat. Est autem sicca tussis, quæ à multis haberetur pro eâ, quæ provenit à catarrho salso, à capite defluente. Tunc magis hepati consule, utpote parti mittenti. Hoc videtur insinuare Sennert. *Libr. 2. Pract. f. 175.* Ubi eandem causam adscribit Asthmati; ut ex sequentibus apparebit.

Phthisin per *Suffitûs* curari, innuit Sennertus, Riverius, & Bennetus quoque, nuperus scriptor Anglus, cum Helmontio.

Sennertus, *L. 2. Prax. p. 213.* commendat varia. Per os ut attrahantur, ait, medicamenta idonea in vino, vel liquore conveniente, coqui, & eorum *vapor* excipi atque attrahi potest: vel *Pulv.* conveniens ex *thure*, *mastiche*, *rosis*, *myrrhâ*, *benzoe*, carbonibus, aut ferro candenti, inspergi, idemque fumus spiritu attrahi potest. Dioscorides etiam *Suffitu sulphuris* utitur. Riverius, *p. 87.* *Suffumigium* proponit hoc:

℞. *Gummi hederæ* ℥iß.	*styrac.* ʒß.
thuris ʒj.	*hypocist.* ℈ij.
myrræ ʒß.	*sem. coriandr.*
succini ℈j.	*ros. r.*
benzoini,	*santali r.* ana ℈j.

Pulverisat. excipiantur *mucilag. gumm. tragac.* vel *resina laricea.* F. Trochisci, super prunas injiciendi. His adde Bennetti formulas, & depicta pro *Suffitibus* & *Suffumigiis* instrumenta.

Helmontius *immensum dolet, suffituum remedia altiora penè supprimi, & fumi sulphurei connexionem cum potu negligi.*

A puris sputo, Phthisis & fluxio; si verò sputum fuerit retentum moriuntur. Hipp. l. 7. aph. 16.

Autumnus Tabidis malus. l. 3. aph. 10.

Tabidos per superiora purgare, caveto. l. 4. aph. 8.

Tabes præcipuè contingit iis ætatibus, quæ sunt ab anno 18. ad 36. l. 5. aph. 9.

Qui Tabe vexantur, si sputum, quod extussiunt, carbonibus injectum, graviter olet, & capilli defluunt, lethale. l. 5. aph 11.

Quibus Tabe laborantibus capilli defluunt, ii, diarrhœa superveniente, moriuntur. l. 5. aph. 12.

Si Tabe detento profluvium alui superveniat, lethale. l. 5. aph. 14.

A sangvinis vomitione Tabes, & puris supernè purgatio. l. 7. aph. 76.

Destillationes in ventrem superiorem, intra viginti dies suppurantur. l. 7. aph. 38.

Asthma.

Asthma. Asthma fusiùs exponit Horstius, *Opèr. Tom. 1. pag. 294.* & *Tom. 3. pag. 50.*

Helmontius *Asthmata fieri scribit, quoties aliquid cruoris in interiori corporis ineptum fit, aut non sensim disponitur, graduśq; subit, ut totum per totum fiat volatile & trans volabile.*

Pro

Pro *Asthmatis causa* præcipua habetur angustia bronchiorum pulmonis: illa verò provenit ab obstructione & compressione bronchiorum superiorum potissimùm; ubi pulmones in arteriam asperam inseruntur. Materia autem hæc, obstructionem & angustiam faciens, vel in pulmonibus sensim colligitur, ob debilitatem ejus; vel aliunde affluit. Vulgus quidem sibi persvasum habet, à capite, per modum catarrhi, affluere. Sennert. autem, *in Epit. Instit. f. 203.* rectè putat, per venam arteriosam in pulmones, ex hepate, effundi, dum in illo, vel etiam in toto venoso genere, crudi humores abundant: quod vel illud docet, quòd in *Asthmate* tussis non semper adsit; quæ tamen catarrhum perpetuò comitatur: & quòd *Asthmatici* fere semper sunt cachectici; ob vitium & debilitatem hepatis. Causa.

Idem confirmat *L.2.Pr.part.3.c.2.f.345.* ubi etiam ait, rarissimè provenire *Asthma à catarrho*, sed potiùs ab humorib, crudis, circa hepar, vel in universo venoso genere collectis, & per venam arteriosam in pulmones effusis. Rectè etiam Riverius, *f.412.* affirmat, non omne *Asthma* fieri à *defluxione*, sed à *partibus coctioni dicatis*; & tale *Asthma* sine stertore contingere: Præterea etiam *Asthma* illæsis pulmonibus fieri posse, confirmat Rolfinccius, *in Anatom. fol.184.* ubi ait, mortuum in ipso paroxysmo pulmones habuisse sanos; in mesenterio autem repertas glandulas copiosas & magnas: unde vapores ad pulmones adscendisse credit. Quæ opinio confirmatur etiam inde, quòd tales plerunque sint cachectici, & urinas turbidas habeant; sin urinas minùs impeditas, & alvi fluxum habeant; minùs etiam difficulter respirent, proptereaq; bene vivant, per has vias expurgati. Et quamvis non videatur, ipsam viscosam materiam, asthmatis causam continentem, è pulmonibus expurgari posse: sufficit tamen, ipsam commoveri per purgantia, & sublatâ universali cacochymia, denique vel à natura concoqui, vel secerni: hincque fieri, ut asthmatici subitò à periculo per vomitum liberentur, revocatâ scilicet, Asthma non à catarrho.

materiâ per eandem venam arteriosam, à pulmonibus ad ventriculum. Notandum tamen, Sennertú in toto Tractatu de Asthmate Vomitorii medicamenti mentionem nullam facere: nisi potiùs superiùs, *pag. 175.* de lævium arteriarum angustiæ curatione: quem vid. ex professo de Vomitu in hoc malo arguentem.

Helmont. de *Asthm. & Tuss pag. 296. m. 57.* asthma etiam ex *splene* malè affecto dari, suscitarique motu acclivi causam aliàs dormientem, scribit, quòd observaverit, spleneticos omnes, dum præ senio lien defungi incipit, anhelare: & exemplum difficultatis spirandi *à cysti felleâ* grandiore, humore nigricante refertâ, & pulmonis parte sinistrâ, diaphragmate ita firmiter hærente, ut se parari non potuerit: habet River. *Cent. 1. Curat. 82.*

Ejus causa abscondita. *Asthmatis causa* aliquando ita est *abscondita*, ut Medicos etiam clarissimos fallat. Talis fuit illa, cujus Joann. Bilgerus, apud Horst. & idem Horst. *Op. Tom. 3. pag. 50. quæst. 5.* meminit: ubi scil. in illa parte internâ arteriæ asperæ, quâ pulmonibus jungitur, carunculæ, variæ magnitudinis, hinc inde dispersæ, per Anatomiam reperiebantur; cùm tamen Medici causam Asthmatis statuerint continuum à capite defluxum.

Asthmatis rari, *Oper. Tom. 2. p. 127. Obs. 4.* & periodici, *ibid. Obs. 5.* exempla vid. ap. Horst. ubi etiam habetur, vaporem quoque ex *calefacto lixivio*, ut & *calce*, esse pectori inimicum, & perpetuam pectoris angustiam inferre posse, per exemplum ancillæ lixivium coquentis.

Vomitoria. Ubi *Asthmate* Æger corripitur, & suffocationi proximus videtur, nihil obstat, quin illi succurras *Vomitorio* aliquo, satis valente ;. quâ ratione Horst. *Op. Tom. 2. p. 483.* mulieri asthmaticæ *Syrupi emetici Ang. Salæ*, vel, ut alii vocant, *Oxysacchari vomitivi* ℥j. exhibuit: unde illa aliquot libras phlegmatis tenacissimi evomuit, & sanitati restituta fuit. Et sic sententia Sennerti confirmatur. Timerent minùs cordati Medici, ne suffocarent Ægrum: quasi viæ respirationi dicatæ inter vomendum adhuc

adhuc angustiores redderentur. Sed natura sagax, & optima sui ipsius conservatrix, dat spatium respirandi: & tantum temporis admittit *Vomitus*, quantum videtur ad respirationem necessarium. Idem observandum in Catarrho suffocativo. *Syrupum Emeticum* invenies descriptum apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 344.* & in Zwelfer. *Animadv. in Pharmacop. Augustan. pag. 68. c. a. cum Notis.* Quem ego quoque in frequentissimo usu habeo, nihilque in eo desiderarem, quàm ut *aceti* sapor esset mitior; quòd de eo nonnulli etiam ægrotantes conquerantur: propterea plerunque addo aliquid de *Julapio rosato*, vel *Syr. de cinnam.* Idem fere corrigendum esset in *Oxymelle de peto Quercetani*; ubi etiam aceti quantitas major est, & Tabaci, pro intentione vomitum ciendi, minor. Propterea Tabaci pondus duplicandum existimo. Describitur ab Auctore, *in Pharmac. dogm. restitut. fol. 238.* vel *135. Edit. 3t.* Dantur de eo cochl. ij iij. vel per se, vel cùm decocto aliquo pectorali. Approbatur ab Horst. *Oper. Tom. 2. p. 127.* Quin & omne Oxymel anheloso pectori convenit: quo olim frequentissimè, & rectè utebamur. *Vomitum* procurat in Asthmate etiam Sennert. *L. 2. Pract. part. 2. cap. 5. f. 175.* ubi agit de læviuum arteriarum in pulmonibus angustia; additque rationem: quia, cùm hepar materiam pulmonibus pro inflammatione & suffocatione suppeditat, ea, per vomitum, à pulmonibus ad hepar, & ab hepate, per mesararicas, ad ventriculum revellitur; & sic homo à suffocatione repentè liberatur. Et cùm etiam Infanti, *inf. libr. 7.* liceat vomitum quocunque ingenio movere; cur non multò magis adultis, sine metu suffocationis? quod vulgus non crederet.

Catarrhus suffocativus.

Syr. Emeticus.

Oxymel. de Peto.

Sennertus, *Libr. 2. Pract. p. 337. c. b.* & *pag. 348. c. b. in Quæst. 4.* & ex eo River. *Prax. Med. libr. 2. cap. 1. propr. pag. 64. 65.* commendant *decoctum Galli decrepiti*, contra opinionem Lud. Septalii, *Animadversion. Medicar. libr. 6. num. 137.* qui id, tanquam noxium, & quod nec experientiæ respondeat, nec rationi conveniat, planè re-

nè rejicit. Monet autem River. partem tertiam vel quartam galli, cum pectoralibus proportionatis, esse decoquendam, ne jusculum situ corrumpatur.

Suffocatio. In vehementissimo asthmatis paroxysmo, cum metu *Suffocationis*, maximè in affectibus flatulentis & hystericis, *impone Ægri pedes in aquam calidam*, & videbis illum subitò mitiùs anhelantem: ex relatione Magn. & Excellentiss. D. D. Joannis Gregorii Glanz, S. C. M. Personæ Med. Confirmatur à Gualt. Bruele, *in Praxi*, *fol. 183.*

Remedia de Cygno. Guil. Fabric. *fol. 520.* laudat *vestem pelliceam Cygni*, *supra pectus gestatam*, tanquam specificum pectori: ut & *axungiam illius*, *pectori illitam.*

Respiratio diff. Epithema. *Respirationem* quoque *facilitat Epithema* hoc, quo frequentissimè usus est Thomas Mermannus, Bavariæ quondam Galenus: ℞. *Hordei integri*, *ad putrilaginem cocti* ℔j. *ol. violar. amygdal. dulc.* ana ℥iij. *croci* ℈ß. Misc. imponaturq; pectori calidè, quoties videbitur, renovandum.

Idem mirè laudat duplex hoc *Vinum medicatum:*

Vin. medicat.

℞. *Rad. cichor.* ℥ß.	*flor. salv.*
herb. scabios.	*anthos.* ana pj.
borrag. ana Mß.	*fol. sen. Al. s. st.* ℥vj.
cardui B.	*cort. citr.* ʒiß.
comar. absinth.	*zingib.* ʒß.
flor. betonic.	*macis* ℈j.

Incisa ligentur in Saccul. ex linteo albo, superfusâ vini Neccarini Mens. j. quâ epotâ & altera Mensura super fundatur, & ebibatur. Hinc alius *Nodulus* ex mutatis speciebus paretur ita;

℞. *Rad. cichor.* ℥ß.	*flor. chamamel.* pj.
helen. ʒiij.	*fol. sen. el.* ʒvj.
scabios.	*agaric. trochiscat.* ʒij.
ceterach,	*rhabarbar. el.* ʒj.
comar. absinth. vulg. a. Mß.	*galang.* ʒß.

& ab-

& absoluto priori etiam ebibatur semel atque iterum. Vid. & *Oxymel composit. Craton. Consil. 79.* & *95.* apud Horst. *Oper. Tom. 2. libr. 3. Obs. 3. pag. 127. c. a.* & *Tom. 3. libr. 2. de tuend. sanitat. cap. 5. pag. 208. c. b.* & Sennertus, *Pract. libr. 2. part. 2. cap. 4. pag. 107.* & *ibid. part. 3. cap. 2. pag. 339.* Simplicius habet idem Crato, *Consil. 79. pag. 912.* Quorum licet antehac frequentior fuerit usus apud Medicos: hodie tamen maximam partem eviluêre: in pectoris verò difficultatibus, & facilitandâ asthmaticorum respiratione, minimè sunt contemnenda. Horst. *Op. Tom. 2. p. 202. c. a.*

℞. *Sirup. veronic.* ℥iß. *spir. sulphur. ac.* ʒß.
spir. anis. ℈ß. *sacchar. cand. alb.* ʒvj. M.

Sumat Æger unum vel alterum cochlear lambendo. Aliàs quoq;

℞. *Aq. destill. loh san. & expert.* ℥iij. *spir. anis.* ʒj.
asthmatic. ʒiß. M. & sumatur ut præcedens.

Ol. lini depuratum.

Oleum lini quoque, ineptè destillatum, rectiùs purificatum dictum, cum jusculo pectorali exhibetur: quod sic præpara: Fac *lixivium è calce viva* satis forte, ut aqua sex digitis calci supernatet, affunde non filtrato lixivio *Ol. lini*, quantum videbitur, & appone Soli 14. vel pluribus diebus, quotidie semel agitando; sic oleum evadet clarum, & gravem suum odorem deponet; quod postea per chartam bibulam fundi potest.

Aqua Asthmatica ex Sennert.

In affectibus pectoris *anhelosis* talem probo *Aquam*, pro usu in Officinis asservandam, quam mutuavi, parum mutatam, à Sennerto, *L. 2. Pr. f. 334.*

℞. *Herb. serpilli* Miiij. *rad. glycyrrh.*
scabios. *eryngii,*
capill. Vener. *helenii,*
hyssopi, *fœniculi*, ana ℥ß.
salviæ, *cinam. opt.*
marrubii, ana Mj. *gran. juniper.* ana ʒiij.
rad. Ireos Flor. *sem. anisi* ʒiß.

Affunde *spir. vin.* opt. q. s. ut emineat tribus digitis: Stent in digestione diebus 14. postea destillentur. In destillato infunde

T *dactyl.*

dactyl. enucl. num.x. *passul. maj. enucl.*
jujubar. *min.* ana ℥iß.
sebesten, ana num. xxx. *croci* ʒß.
ficuum rec. num.x. Digerantur interim vij. diebus, dein exprimantur: & filtratus liquor servetur pro usu.

Nota: fructûs non destillandos esse, quia parum, vel nihil, de virtute illorum ad effectum transit: propterea meliùs per spiritum vini extrahuntur. Hanc *Aquam*, in defectu omnium *Pectoralium*, curavi componi Commoræ in Pannonia, 1658. ubi tunc constitutus Medicus eram. Similem *Aquam* vid. etiam *in Cist. Med.* Hornung. *p.260.* & ap. Phil. Müller. *Myster. & mirac. Med. Chymic. p.76. in 4t. c.4.*

Calculus pulmonum. In *Asthmaticis*, ubi pituita nimis diu hæret in bronchiis pulmonum, potest ea in calculos concrescere. Exemplum vidi in Primarii cujusdam Civis uxore, Waidhovii ad Ypsam, quæ, annis quatuor integris, per vomitum quotidie bilem copiosam, per tussim pituitam, & nonnunquam calculos justè concretos, rejecit; postea, Mense Martio, an. 1655. tabe consumta. Confirmatur à Casparo Hofmanno, apud. Crat. *Cons. p. 245. Quin,* inquit, *aliquando pituita vetustate concrescit in grandinem, atque etiam interdum in veros calculos: observatumq; est, à quibusdam, in valida tussi, calculos, hordei aut pisi magnitudine, rejectos esse.*

Quicunque gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur. Hipp. l. 6, aph.46.

CAPUT III.

De Pleuritide.

Pleuridis. PLeuritis Horstio, *Op. Tom. 3. pag. 52.* est inflammatio membranæ intrinsecus costas & latera succingentis.

Helmontius *accusat peregrinam aciditatem, conceptam in Archeo, ad cruorem venæ cavæ dispositam, & ad venam azygos, imò in ipsam propinquam costarum carnem expulsam.*

Pleuri-

Pleuritidem Pestilentem describit Wierus, *Observ. libro, p. 52.* in quâ cùm præcipua, & evacuandi & derivandi materiam morbificam, instrumenta suggerat aliàs V. S. in hâc tamen valdè noxiam extititisse, idem narrat; cui Helmontii cura Pleuritidis quadrare videtur. Pleuritis pestilens.

Quamvis *die Critico* nihil movendum svadeat *Hipp. l. 1. aph. 20.* in casibus tamen difficilioribus, ubi serò nimis vocatur Medicus, die critico etiam *sangvinem mittere*, vel *purgare*, nihil vetat. Quod exemplo Pleuritidis demonstrat Guil. Fabric. *f. 410.* Nam *nihil inter est, remedium sit satis tutum, nec ne, quod unicum est:* juxta Celsum. *Ibidem* declarat Fabricius opinionem suam de *apertione venæ*, & ita dicit: quamvis Theorici disputent, utrum in opposito, vel proximo latere administranda sit Venæsectio: tutissimam tamen esse venæsectionem, sive in principio, sive in statu morbi, quæ fit in latere dolente: Galeni forsan auctoritate suffultus, *libr. de cur. rat. per sang. miss. c. 17.* dicentis: Si pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris est, vena incidatur, evidentissimum sæpenumero subsidium ostendit: sin ex manu adversâ; aut omnino obscurum, aut longo pòst tempore. Crisis. Venæsectio.

Jonstonus, *l. 9. fol. 460.* in Plethorico aperit venam in opposito latere: in non plethorico, in affecto.

Diximus supra, *fol. 69.* ex Sennerto, cordatos esse Medicos, qui in anginâ, Pleuritide, & reliquis etiam partium inflammationibus, nullo habito respectu mensium fluentium, venas brachiorum aperiunt. Tam cordatus ego quoque fui in Uxore Nobiliss. Dni Johannis Ernst, Locumtenentis Legionis Bucheimicæ, trans Wagam, quæ, quinque dierum puerpera, incidit in Pleuritidem, in medio Februarii, anni 1658. summo frigore tunc vulgariter grassante. Postquam ablactavit puerum jam morbosum, & paulò pòst mortuum, die partûs octavo, fluentibus adhuc mensibus, jussu meo, quamvis ægrè persvasa, venam

 aperuit

aperuit brachii dextri, & emisit sanguinis corruptissimi integram ferè libram, cum manifesto juvamine. Svadent quidam Practici, melioris cautelæ gratia, ut inter venæsectionem ligaturæ fiant supra genua, ad retinendum sanguinis fluxum per uterum. Sed hæ minùs hîc fuerunt necessariæ, quia, etsi substitisset hic fluxus, naturæ tamen jam satisfactum fuisset; quia à partu ad octavam diem duravit. Imò tantum absuit, impedivisse naturæ cursum, ut ultra 14. à partu die continuaverit, cum evphoria Patientis.

Antonius Deusingius, *l. de lacte, tract. de Pleuritide*, postquam in utroque latere venam aperiri posse asserit, subjungit, *fol. 651.* mulieribus, præmissa sectione in brachio, commode venam in pedibus secari.

V.S. malè adhibita. Cùm, anno 1658. per totam hyemem *Pleuritide spuriâ* magis grassante, quàm legitimâ, nasuto cuidam nostræ Munitionis Balneatori dixissem, multos pauperculos conservari posse solâ venæsectione; ille, ad mulierem sexaginta prope annorum ingressus, tribus vicibus, intra triduum, ex tribus venis, utriusq; brachii & sublinguali, emisit aliquot libras sanguinis; unde debilitata mulier, me vocato, paulò pòst obiit. Sic V.S. ineptè adhibita, etiam in morbo, qui eam maximè requirit, occidit. Vide Fabricium, *cit. fol. 422.*

Prohibens. Ubi Pleuritici *sanguinem expuunt*, non ampliùs locum dari V.S. ait Crato, *Epist. 119. pag. 211.* Nam tunc scopus missionis sangvinis (revulsio scil.) non præstò est ampliùs; quia materia jam fluit, & ulcus jam est apertum: adeoque materiæ, quæ evacuatur, à natura motus non est impediendus, neque vires temere minuendæ. Sed distingue inter corpus plethoricum, robustum, tempus vernum &c. & his contraria.

Appropriata. Appropriata remedia plurima Pleuritidis vide apud Sennert. *L. 2. Pract. part. 2. cap. 16. f. 247.* Inter alia, & præcipua, *maligna* pleuritidis alexipharmaca laudat *flores papav. erratici.* v. g.

Maceren-

Macerentur flores in *ſucco betulæ*, qui ex vulneratâ arbore in principio Menſis April. deſtillat, vel in *aq. cardui Mariæ, cardui bened.* &c. aſperſis guttulis aliquot *ſpir. ſulphuris per campan.* Colatura detur ſtatim à morbi principio. Húc referuntur *ſem. cardui utriusque, rad. bardanæ, ariſtol. oculi cancri, dens apri, caſtoris, lignum viſci querni, mandibula lucii, lapis carpionis, percarum, priapus cervi, talus leporis* &c. Præſtantiſſimam prædicat Idem *aquam chamameli deſtill.* ad ℥iiij. *cum ſacch.* ℥ß. vel ℥j. pro ſudore bibitam, quæ ſimul dolorem mitiget, & inflammationem ſedet. Horſt. *aquam è raſura CC.* commendat. Per *diuretica* Pleuriticos aliquando feliciter curari, teſtatur Henricus Botterus, apud eundem, *Op. Tom. 2. p. 136.* ex Aquapendente. Diuretica.

Quemadmodum non in omnibus acutis doloribus promiſcue utendum eſſe *Narcoticis* medicamentis, rectè ſuadet Riverius, *fol. 439.* ſic in Pleuritide eadem tuta non ſunt, quia ſputum retinent, & pectus coarctant: niſi inhibere fluxum, & incraſſare materiam velimus. Tunc mediâ doſi, in principio morbi, exhibere nihil vetat. Narcotica medicamenta.

Ductum, per quem Pleuriticorum pus ad vias urinarias deducitur, ſe inveniſſe, gloriatur Fallopius: ramulum ſcil. illum venæ azygos, qui in emulgentem ſiniſtram terminatur, per quem, ſi diureticis utimur, pus commodè evacuemus; teſte Barth. Turriano, *in Buliatria*, *f. 122.* Idem exiſtimat Horſt. *d. l. pag. 135.* ubi ait, *Empyematicorum pus* non per ſiniſtrum cordis ſinum, ut Galeno placet, evacuari, ſed per venam illam, quam Fallopius à pectore in emulgentem deſcendere notavit, quæque hinc in veſicam tranſit. Si verò ſuperiùs moliatur exitum, non transeundo per venas pectoris, mediante corde ad pulmones, ut Eraſiſtratus voluit, ſed transeundo per pulmonum tunicas, id facit; haud ſecus, ac per cutem, & muſculos, in fracturis oſſium, cruentam materiam, faſcias etiam tingentem, manare videmus. Propterea Hippocrates optimè exiſtimavit, totum Empyema.

corpus hominis esse σύμπνοιον, sive perspirabile. Suam quoque opinionem Horst. etiam, *Op. Tom. 2. pag. 132. 133.* per modum Quæstionis proponit, de *puris Empyematicorum per urinam evacuatione.* Num expurgatio talis etiam fieri possit per anastomosin venæ cavæ, arteriæque venosæ, rursus præter naturam apertam, quam infans in utero, pro nutritione pulmonum, satis conspicuam habet: cùm naturæ hoc sit proprium, ut in expellendis iis, quæ p.n. colliguntur, ductûs & vias etiam occultas sollicitè quærat. Sed huic sententiæ contradicit Andr. Laurentius, *f. 363.* ubi probat, nullam esse aliam viam, *Pus per urinam excernendi*, quàm per ipsum cordis sinum. Propterea monet, in apertura cadaveris, ubi in cordis sinubus pus reperitur, non statim judicandum, abscessum in corde esse genitum. Ego verò, ut nihil autoritati & αὐτοψίᾳ unius & alterius detraho; sic firmiter credo, ductum illum, à Fallopio inventum, vel Horstii anastomosin, aut vasorum apertionem, in quolibet subjecto non inveniri, nec contingere. Et tunc fieri potest, ut natura non per loca magis convenientia, sed, quà data porta, exitum puris moliatur; etiam per ipsum cor. Quibus autem illud accidit; vel rarò, vel nunquam evadunt. Neque enim credibile est, talem fœtidi puris transitum cor sine interitu perpeti posse.

Cordis pus.

Ligni Ebeni decoctũ.

Ad sputum in *Empyemate* promovendum, & simul etiam ruptionem abscessus procurandam, commendat Zacutus, *l. 8. c. 11.* ap. Jonston. *fol. 463. decoctum Ebeni* (utique pretiosi illius *Ligni*) & testudinum syrupum. Hæc ideo notavi, quia nunquam hactenus occurrit usus *Ebeni* in Medicina.

Paracentesis.

Licet nonnunquam ad *Thoracis apertionem* pervenire, ubi pus tam copiosum est, ut ope naturæ non satis tutò evacuari possit; vel ubi pus, per pulmonum tunicas transsudans, in cavitate thoracis hæret, & indicia suæ præsentiæ in loco certo præbet. De quo vide Hieron. Fabricium, Sennertum, & alios.

Helmontius, ap. Zwölffer. *in Animadvers. ad Dispens. August.* quas

quas mutuatâ ab alio Latinitate, à se autem conceptâ reformandi inurbanâ prurigine edidit, *f.* 419, *Sangvinem Hirci* valdoperè commendat in Pleuritide; quam is sine venæsectione curari asserit, paulò tamen aliter illus præparationem instituit: ut ex sequentibus videre est. *Hircum,* inquit, *suspendo cornubus, & crura posteriora ad cornua reflecto, testes abscindo, &, recepto inde cruore, exanguem dimitto pro lanione. Hic sangvis siccatus est instar vitri, durissimæ triturationis, atque longissimè ab hircino sangvine officinarum differens. Assumptus* ʒj. *pondere confestim sopit & curat Pleuritidem, absq; sectione venæ, nec te deseret unquam.* Sed cur, quæso, Helmontii auctoritas tanta sit, quin & venæsectio, secundum omnes Ptacticos, & certissimam experientiam & rationem, tam necessaria, locum habeat?

Curationem *Gibbi,* in puella octodecim mensium, laboriosam vide apud Guil. Fabric. *f. 458.* Gibbus.

Introrsum facta *luxatio vertebrarum* difficillimè reponitur. Ubi incassum tentata sunt omnia, suadet Idem, *fol. 459.* ut in dorso fiat incisio supra luxationem, usque dum in conspectum veniat processus vertebræ luxatæ. Is tenaculis, vel forcipibus, tenendus & attrahendus; spina verò tota à duobus viris fortibus distendenda, ut vertebra faciliùs in locum suum transeat. Explicat quidem Autor modum reparandæ luxationis; sed exemplum à se præstitum nullum apponit. Unius vertebræ luxationem periculosiorem esse, duarum vel plurium luxatione, ait Laurent. *in Anat.* quia unius luxatio medullam in acutum penè angulum cogit; unde eam vel frangi, vel comprimi, necesse sit: plurium verò incurvet tantùm medullam. Vertebrarum luxationem sequitur aliquando *Vomitus continuus,* quando scil. illæ luxantur, vel conquassantur, quibus ventriculus incumbit. Curationem vide apud Sennert. *L.2. Pract. part. 2. cap.21. f.297.* Vertebrarum luxatio.

Ubi in *Pectoris vulneribus* sanguis nullus profluit, ne in cavitatem ruat, immitte ori sub lingvam gr. 1. *Moschi,* & statim prodi- Pectoris vulnus.

prodibit sanguis per vulnus: quod nonnulli pro secreto habent, inquit Sennertus, *L. 2. Pract. part. 2. cap. 17. f. 279.* Ex quo subsume, in qualibet hæmorrhagia, ubi sangvis sisti debet, moschum fugiendum esse.

In Pleuriticis sputum, si initio statim appareat, morbum brevem fore, denunciat; si verò posterius conspiciatur, longum. Hippocr. l. 1. aph. 12.

Quicunque Pleuritici facti, intra quatuordecim dies non supernè purgantur, iis in empyema fit mali translatio. l. 5. aph. 8.

Quicunque ex Pleuritide suppurati fiunt, si quadraginta diebus à ruptione per superna repurgentur, liberantur: sin minùs, transeunt in tabem. l. 5. aph. 15.

Acidum eructantes, rarò Pleuritici fiunt. l. 6. aph. 33.

A Pleuritide, peripnevmonia, malum. l. 7. aph. 5.

A peripnevmonia, Pleuritis, malum. l. 7. aph. 12.

Pleuritide & peripnevmoniâ dentento, superveniens diarrhœa, malum. l. 6. aph. 10.

Qui sangvinem spumosum expuunt, iis è pulmonibus fit talis ejectio. l. 5. aph. 13.

A sangvinis sputo, puris sputum, malum. l. 7. aph. 15.

Quibus inter ventriculum, & septum trans versum, pituita concluditur, & dolorem affert, nec in alterutrum ventrem exitum habet, iis, per venas in vesicam pituitâ conversâ, morbi fit solutio. l. 7. aph. 54.



LIBER



LIBER III.

De iis, quæ in Ventre continentur.

CAPUT I.

De Stomachi Affectibus.

ARdor superioris oris ventriculi, Germanis der Sod/ unde Barbaris *Soda*, sæpius contingit mulieribus gravidis, ab exhalationibus ascendentibus: & iis etiam, qui meraciori vino repleti fuere. Stomachi affectus. Ventriculi oris ardor.

Remedium proponit Horst. *Op. Tom. 2. pag. 194. ex summitatibus quercûs* verno tempore *syrupo* composito, sæpiusq; exhibito. Similem effectum habet *Syr. è siliqua dulci, syr. & conserva acetosella, butyrum recens*, manè comestum cum *sacharo*, aut *sale*, *aqua frigida* ante somnum hausta &c. Exhibemus etiam *cretam, magist. matris perlarum, ocul. cancr. C.C. nucem mosch.* cum *croc.* tantillo, quæ omnia ebullitionem bilis in ventriculo, vaporem & flatum ardentem attollentem, præcipitant: sicut creta etiam cerevisiam acidam emendat. Sennert. *L. 2. de Febr. f. 25.* Remedia.

Incommoda quomodo, & qualia, ex hepate calido, & *Ventriculo frigido* proveniant, vide apud Eundem, *L. 1. Pract. fol. 384.* & ex professo, *in Paralipomen. pag. 127. ad libr. 3. Pract. Medic. part. 1. sect. 1. cap. 5.* per *Quæstionem: An, & cur, qui hepate sunt calidiore, de-* Ventriculus frigidus.

re debilem ventriculum habeant. Multi sanè ægrotantes de *intemperie calidâ Hepatis; frigidâ Ventriculi*, conqueruntur, etiam ex opinione & persuasione Medicorum. At Fernel. *Pathologiæ libr.6. cap.3.* scribit: Ventriculum tum propriè non statim evadere frigidiorem, sed potiùs imbecilliorem. Non enim omnem ventriculi imbecillitatem ex intemperie frigidâ procedere: quod notandum. Tunc difficile est, reperire remedium, quod utrique sit commodum. Caspar. Hoffmannus, apud Crat. *Consil.102 f.274.* exhibet *conf. rosarum*, cui immixta sunt grana aliquot *piperis albi per medium scissi*; & sic, ait, observatum esse, *Piper* assumptum officio suo fungi, calefaciendo ventriculum; & integrum reddi per alvum; *conservam* verò *rosarum* ulteriùs progredi, ad hepar moderatè refrigerandum. Quæritur hîc; utrum, corpore sic constituto, *Ventriculi frigus* non juvetur à calore hepatis: siquidem hepar incumbit ventriculo tegumenti instar? Respondet Crato. *Consil.3. f.15.* minimè juvari: quia hepatis calor est immoderatus, & præter naturam. Sic destruit potiùs ventriculi calorem hebetem: cui magis conducit *Emplastrum* continuò gestatum, ex una parte *ladani puri*, & duabus *ceræ*, compositum: quod suavissimè calorem innatum fovere, & ad flatûs dissolvendos, atque coctionem plurimum facere scribit Idem Crato, *Consil.199. fol.577.* vel ejusdem *oleum stomachale* inunctum, *Consil.180. f.515.* descriptum.

Conserv. rosar.

Emplast. stomach.

Ol stomachale.

Unde & Mich. Savonarol. *in Tract. de Aq. vit.* scribit, in iis, qui sunt frigidi & debilis stomachi, *aquæ vitæ* usum ita frequentem, & in majori quantitate, minimè esse laudandum: proptereà, quòd usus rerum nimium calidarum innatam caliditatem debilem resolvat; cùm ejusdem substantiale humidum consumat, quo & ipsa pabulatur. Quamobrem ab ejusm. calidis frigidos debiles existentes, in plurimâ quantitate, abstinere debere. River. *fol.548. ex Costæo Med.* scribit, *ventriculum frigidum* mirè confortari, si ægro sæpius *vini calefacti haustum* con-

concesseris. Quidni idem præstare poterint *juscula ex vino, saccharo, cinamom.* cum *vitello ovi:* qualia semper exhibentur calida?

In *Ventriculi doloribus*, ubi Purgatione opus est, exhibet Joannes Nefius, apud Crat. *Consil. 113. f. 320. purgans*, cui *opium correctum* admixtum est. Nam sic dolorem sedat, somnum provocando, & succos malos in ventriculo contentos, dolorem illum moventes, secum educit: ut Autor sæpius est expertus, cum commodo ægrorum; aitque, olim secretum fuisse Ludovici de Leonibus, Præceptoris sui Bononiæ. Frambesarius quoque, *in Consil. Med. fol. 362.* laudat, in summis doloribus, ubi, ad evacuandam causam continentem (imò antecedentem; quia continens doloris causa est solutio continui, non materia, solutionem continui inferens; quæ per purgantia tolli potest) purgatione opus est, Narcotica admiscet. Idem facit etiam River. *Pract. Med. lib. 5. c. 1.* Imò Idem, *f. 594.* etiam Vomitoriis admiscet narcotica. Debent autem purgantia esse fortiora, quia vis eorum à narcoticis infringitur. Sic vomitus cessabit 5. horis, & purgatio tunc operabitur. Ventriculi dolor. Med. Narcoticum.

Galen. 12. *m. m. c. ult.* & 14. *c. 7.* ait, in *ventriculi dolore* nullum magis præsentaneum remedium inveniri, quàm est *magna cucurbitula*, quæ copioso igne, sine cutis incisione, ventri affigatur, & comprehendat umbilicum; ita, ut videatur remedium nonnunquam incantationi simile. Riverius, *Prax. fol. 621.* in *dolore ventriculi* vehementissimo, ubi nec clysteres injici, nec contineri possunt, Ægrum in *Balneum* collocare jubet, & exhibet *catharticum:* sic finit ipsum per horam unam & dimidiam, usquam dum vis cathartica ventriculum & viscera attingat.

Concoctio Ventriculi, subjectarumque partium, per principia Chymica demonstratur ab Horst. *Op. Tom. 2. p. 368.* sed nihil differt, si diligenter perpendatur, hæc demonstratio à Galenica &Ferneliana, nisi vocabulorum mutatione, quâ plerunque solent ludere Chymici, ut scientiam suam obscurent, & Lectorem fatigent citiùs, quàm erudiant.

Principia Chymica.

Idem ferè facit Thomas Muffetus, *de jure & præst. Chymicorum, f. 92.* ubi ad discipulum suum scribit, & distinguit principia Chymica in volatilia, & fixa. Volatilia statuit duplicia; vaporosa, ut Mercurius; inflammabilia, ut Sulphur. Fixum quod dicit, ipsi simplex est, & dicitur Sal, corporis firmamentū. Vide, si placet, totam Epistolam, in qua multa tractantur, obscura quidem (ut solet hoc genus hominum) & curiosa magis, quàm scitu necessaria. In summa fingit quisque sibi Philosophiam novam; & multa scribuntur, quæ ipsi nonnunquam Authores non intelligunt. Quod de Theophrasto, ejusque libris, dicere solitus fuit Perillustr. & Mag. Vir, D. D. Antonius, Comes Cæsanæ & Colle &c.

Concoctio quomodo fiat.

Sangvini circulatio Venæ lacteæ.

Difficilis planè mihi videtur explicatio, *quomodo Concoctiones fiant;* cùm in corpore mortuo, ubi membra omnia collapsa, & aliquando exangvia apparent, avtopsia nihil doceat; in vivente autem ille ipse motus non percipiatur. Laudandus tamen explicandi conatus in nonnullis, qui *Sangvinis circulationem* ingeniosè describunt, & *Venarum lactearum* novam tradunt inventionem; quam, ut inane commentum, immeritò negligit Andr. Laur. *in Anat. f. 102.* Nihilominus non negat, *venarum lactearum* meminisse etiam Veteres: sed existimat, ideo dici eas lacteas, non, quòd succum lacti similem contineant, sed quòd talem (chylum scil.) trahant. Aliter, & meliùs, sentit Horst. *Op. Tom. 3. p. 72.* ubi approbat inventionem venarum lactearum, quarti scil. vasorum generis Caspari Asellii, *in peculiari Tractatu*: de quo videre est apud Sennert. *L. 3. Pract. f. 433.* & *seqq.* Vide etiam Theses D. D. Jo. Guil. Mannagettæ, S. C. M. Personæ Medici, omni scientiarum genere clarissimi &c. non ita pridem Viennæ disputatas: *de usu Lienis.*

Earum origo.

Joh. Veslingius, Mindanus, *Syntagm. Anat. fol. 39. Venarum lactearum originem* deducit à Pancreate, ubi maximè sint conspicuæ, desinantq; earum extremitates in hepar: at quod falsum

Bar-

Bartholin. infr. d.l. asserit. Vocat auté meatûs potiùs, quàm Venas, à succo albo, lacteas: deferre enim pro ulteriore perfectione, & eò usque continere chylum. Sunt autem, ex cit. Authoris doctrinâ, vascula longa & teretia, ex membranâ tenui producta, à pancreate sursum, circa descendentis venæ portæ truncum ad jecur; deorsum verò ad intestina, minutissimis propaginibus dispersa. Et quamvis non in omni Anatome hæc vasa sint conspicua; tamen non sunt neganda, quia in gulosis aliquando alieno humore obstruuntur, in extenuatis concidunt, in mortuis, jam peractâ vel abolita coctione, visum omnino effugiunt. Pro his probandis egregiè disputat Thom. Bartholinus, ap. Joh. Dan. Horstium, *in Decad. Epist. Observ. Anat. fol. 68. & seq.* & contra Harveum, *f. 77.* ita concludit: vasa sunt sui generis, à mesentericis distincta, intestinis vicina, semper chyli in morem candicantia, succo albo plena distributionis tempore, & quamdiu ventriculus concoquit; tumida versus intestina, si ligentur; inanita, qua lacunam chyli respiciunt.

Sangvinis circulatio verò pulcherrimè traditur à Deusingio, *libell. propr.* &, per compendium, talis est: Per cordis constrictionem expellitur sangvis in arteriam; pars ejus sangvinis in alimentum abit, pars venas subintrat, tum per anastomoses, tum per carnes transsudando: hinc redit versus cor, & illud subintrat. Quòd autem venæ non pulsant, putat, hinc fieri, quòd tardè sangvis in eas, alliciendo ferè, intrat, & per carnes transcolatur: hoc indicio, quia vel demissa aliquantulum manus, pondus tenens, etiam sine pondere, intumescit facilè, & rubet: sicut etiam vinculo ligatum membrum in tumorem assurgit. Quòd autem sangvis per carnes facilè transeat, & in venas iterum ingrediatur, probat (vel potiùs rationem dat) ex purgantibus, etiam extra admotis, vim tamen suam exerentibus: quia scil. purgantium spiritûs per cutim, & substratum sangvinem, in venas usque penetrant: quod fieri non posset, nisi sangvis Sangvin. circulat.

ipſe adſvetus jam eſſet, ex carnibus in venas migrare. Sed non poſſumus veras actiones cordis, & arteriarum, in mactatis internoſcere, ait Riolan. *f. 42. Alibi* etiam fatetur, Opinionum, de *circulatione ſangvinis*, diverſitatem dubia omnia de hac materiâ facere: & ita videtur in medio relinquere certam circulationis ſangvinis demonſtrationem. Idem, *in Anatomic.f.846.* ubi de *modo Circulationis* ſuam exponit ſententiam, putat, ſingulis pulſibus cor tranſire ſangvinis ſcrupulum dimidium. Hoc autem hac conjecturâ, & experientiâ quidem proprii pulsûs, probare conatur. Cùm in noſtro, inquit, carpo ſiniſtro, horæ unius curriculo, pulſationes obſervaverimus 4420. (Deuſingius, *de motu cordis*, *f. 44.* notat pulsûs unius horæ 3600.) & totam ſangvinis maſſam triginta æquare æſtimaverimus libras; ratione ſubductâ, quatuor circiter horis omnis noſtri ſangvinis, ex vena cava, per cor, circulationem abſolvi, collegimus. Sed quis non videt Arithmeticæ hujus errorem? Neque enim inter Circulatores convenit, totúsne ſangvis, vel pars ejus, circuletur. Quo modo ergo Rolfinccius audet aſſerere, circulationem omnem ſangvinis intra ſpatium quatuor horarum fieri? Equidem falſiſſimum eſſe ajo, omnem ſangvinem continuò circulari. Quis enim eſſet ſangvis nutritioni partium, & aſſimulationi, quæ motu manifeſto non perficitur, deſtinatus? Quod ipſum tandem liberè concedit, & ſic manifeſtè ſibi contradicit Autor, *cap. ſeq. f. 853.* Ex his omnibus tandem manifeſtum, venas delatum ab arteriis ad cor revehere ſangvinem: tantum autem, quantum pro nutritione partium ſufficit, in ſuis, ut partibus nutriendis communicetur, retinere extremitatibus. Ergo non omnis ſanguis continuò circulatur. Hinc contradictio. Vid. J. Dan. Horſt. *in Manuduction. ad Medic. f. 195.*

Singultus. Ventriculi affectus *Singultus* quoque eſt, malus potiùs, ut ſignum, quàm ut cauſa. *Tollitur* cohibitione ſpiritûs, pitisſando, terrore, vomitu, ſternutatione. Non inutile etiam eſſe,

Cura.

cucurbitulam cum multâ flammâ ventriculo applicare, ut & dorso, eâ parte, qua stomachus vertebris annectitur: habet River. *Pr. Med. libr. 4. c. 6. àp. 108.* Vid. & Joubert. *libr. 1. Pract. c. 2. ex Mollenbrock. pag. 561.* Succedit aliquando febribus continuis, ex vapore maligno, acri, facultatem excretricem stimulante: tunc utere *Julapio* Forest. hoc:

Julep. Forest. contr. singult.

℞. *Hordei mundi* Mj.
sem. anis.
aneth.
fœnic. ana ʒj.
flor. cordial. an. p. j.
sem. frig. ma.
papav. alb. an. ʒj.
portulacæ,
lactucæ, an. ʒß.
liquirit. rasæ ʒiij.
Coq. in *aq. com.* ℔. j.
Colentur, & aromat. cum
spec. diatrag. frig.
diarrhod.
diatr. sanat. an. ℈j.
Adde *syr. violat.* ℥iß.
acetos. citri,
ex infus. rosar. an. ℥j.

M. De hoc sæpius haustus concedatur. Quin & ad usum *Laudani opiati* licet accedere, cujus gr. iij. vel iiij. cum *pauxillo Theriac.* & *cons. rosar.* exhibitis, ad miraculum usque hoc symptoma curatur, ex Horst. *Oper. Tom. 2. p. 17.*

Appetitus.

Appetitum duplicem esse: naturalem, quo ventriculus sibi alimentum proprium concupiscit; animalem, quo toti corpori prospicitur, Theoria docet. Animalis residere dicitur in superiore ventriculi orificio, excitarique tunc, cùm venæ, alimento vacuæ, attrahunt, suguntque, alimentum sibi familiare appetentes; & sic vellicant os ventriculi. Assumpto itaque cibo cessat animalis appetitus, seu fames & sitis, cessante nimirum vellicatione: naturalis verò appetitus, communis omnibus partibus nutriendis, non expletur, nisi perfectâ nutritione, & corporis sui ex sangvine refectione: ut habet Sennert. *in Compen. Instit. f. 38.* addens: Appetitus naturalis sensu caret, sed fit ex instinctu naturæ, omnibus partibus proprio: animalis verò exquisitissimo sensu indiguit, ut cibus ad nutriendum corpus

pus cum appetitu desideraretur: sopitur autem sensus ille molestus, cibo ingesto, tanquam finem suum jam adeptus. Id. *ib.*

Commentum autem arbitratur Velschius, *f.42. de Ægagropilis*, humorem scil. quendam acidum ex liene refluere per vas breve ad ventriculum, qui appetentiam concitet: sed potiùs, ait, & bene sentit, ex chyli parte aliquâ, à coctione in ventriculo relicta (sagacioris naturæ beneficio) & acescente, fermentum generari, non secus, ac arte pistoriâ, ex massæ farinaceæ crudâ portione, aliquandiu adservata & acescente, fermentum vulgare fieri solet. Hinc acida omnia, materiam similem suggerentia, appetentiam augere creduntur; non, quòd humor talis in liene generetur, & in ventriculum regurgitet.

Pica seu Malacia. Quicunque aliena appetunt, ut fit in *Picâ*, seu *Malaciâ*, non sunt habendi pro sanis. Ita enim Galen. *Comment. 5. in 6. de Popul. morb. Hipp.* scriptum reliquit: Cibariis dulcibus, qui naturaliter se habent, delectantur: soli autem extra naturalem statum constituti amaris, acerbis, acidisque cibariis delectantur: *ex Mollenbroc. f.72.* quia simile appetit sibi simile. Jam, si in qualitatibus excedens quid expetitur, necessariò sequitur, talis intemperiei humorem intra corpus latitare.

Inedia. Postquam Sennert. *L.3. Pract. f.94.* multas *diuturnæ abstinentiæ* historiàs, ejusque *causas*, recensuit, suam quoque subjungit rationem, unde fit, quòd nonnulli sine cibo & potu diu supervixerint. *Capitur*, inquit, *nutrimentum, ut id, quod quotidie diffluit, resarciatur. In his itaque, qui diu abstinent, nihil diffluit: nullo igitur indigent nutrimento resarciente. Nihil verò diffluit, ob peculiarem humoris melancholici, qui in hisce hominibus plerumq; prædominatur, dispositionem; vi cujus alimentum figitur, in partibus nutriendis jam assimilatum, ut calor nativus illud consumere, & in illud agere non possit. Ita Romanorum lampades ardentes post aliquot secula fuerunt reperta, materiâ combustibili ita dispositâ, ut absumi ab igne non potuerit: quod aeris etiam cohibitione adjutum est.*

est. Sed modum, quo materia illa incombustibilis facta est, jam ignoramus. Tales in abdomine concidunt, & planè extenuantur, quia nullus tunc ventriculi, hepatis, renum, intestinorum, lienis, venarumque propinquarum usus. Quòd autem humor melancholicus corruptus varios mores, miramque naturam inducere possit, videmus in epilepticis, scorbuticis, maniacis, leprosis, puellis ex utero, menstruis, & semine corruptis laborantibus; de quibus 12. vel 14. annos natis pleræque *loc. cit.* adductæ historiæ loquuntur. Ex his nota: dum videmus nonnullos tam diu abstemios, non statim ex miraculo eos abstinere, dicendum esse, ubi causæ naturales locum habent: sicut nec entia multiplicanda citra necessitatem; juxta Philosophum.

Flatûs, ventriculi vitio, dum is copiâ, vel qualitate noxiâ alimentorum obruitur, & ejus calor debilis eam concoquere nequit, utplurimùm generantur: & hinc eorum *causa antecedens* potest etiam esse cibus semicommansus: teste Matthiol. *apud Scholz. cons. 182.* ubi, qui, inquit, velociter ingerunt cibum, & semimansum deglutiunt, ventriculo laborem pariunt, & flatûs maximos procreant. Sanctorius, *s. 3. aph. 13. fol. 58. Flatum* nihil aliud esse putat, quàm rude quoddam perspirabile: hoc est, id, quod nondum ad perfectam perspirabilitatem, ex vitio concoctionis omnis sufficienter alteratum est: quod valde verisimile videtur: siquidem non tantùm flatûs ex ventriculi vitio, & in ipso generantur, sed & ex omni parti nutriendæ affluente, & malè digesto nutrimento, exitum, vel sufficientem attenuationem pro perspiratione non habente. Hinc spasmus, dolores vagi musculorum & viscerum subitò evanescentes, iterumq; recrudescentes. Hi verò *Flatûs* in cavitate ventriculi contenti non modò inflationem & tensionem dolorificam efficiunt: sed multò magis intra utramque tunicam illius coërciti, affectum contumaciorem inferunt: quemadmodum inter ambas intestinorum tunicas *flatûs* contenti, dolores ventris atrocissimos, nullisque

Flatus.

Causa.

lisque evacutionibus cedentes, efficiunt: Riverio teste, *Pr. fol. 614.*

De *Flatibus* libellum eruditum scripsit Joann. Fienus, & plurimorum morborum causas à *Flatibus* deduxit. *Ibid. fol. 220.* Mixturam talem laudat:

Mixtura. ℞. *Alb. graci, hordei integri*, ana ℥iß. Coq. in *vini Malvatic.* ℔iij. aut iiij. *ad hordei crepaturam.* Colatura per residentiam defecata denuò coquatur ad medium: postea clarificetur, & aromatisetur cum *cinnam.* & *sacch.* Dentur coch. aliquot. Ego

Aq. Zedoariæ. *aquâ Zedoaria*, observatis observandis, frequentissimè utor, & sic mulieribus & virginibus hystericis pariter succurro: addo, svavitatis gratiâ, *manus Christi perlat.* Commendatur etiam ab Horst. *Oper. Tom. 2. p. 263.* Ego ita pavari;

℞. *Zedoaria optima incis.* ℔j. *sem. fœniculi*, ana ℥ij.
sem. anis. Stent indigestione per octiduum in *vin. veter.* Mens. iß. Postea destill. per MB. Conducit imbecilli ventriculo, & flatûs pellit insigniter.

In gravidis, vel *delicatis*, intestinorum *flatibus* vexatis,

℞. *Vitell. ovor.* N. vj. agitatis fortiter adde *pulv. anisi, cumini, fœniculi*, ana ʒj. *ol. lauri* q. s. M. F. Placenta mollis, umbilico apponenda. Rodericus à Castro, apud Hostr. *loc. cit. fol. 286.* Vel appone *umbilico Sacculum ex milio, cumino, anetho, fœniculo*, cum pauxillo *aqua vita.*

Ungventū viride. *Viride* aliquod *Unguentum* composuit mulier quædam Lyncii, pro *flatibus* discutiendis, umbilico cum putamine nucis juglandis applicandum. Videtur autem illud esse, quod describitur *in libro Collectaneo*, ab Illustrissima Commitissa Vorgatschin, nata Domina de Rechenberg, mihi communicato, tali:

℞. *Butyri loti* ℥ij. *sevi cervini* ℥iiij.
ol. commun. ℥j. Dissolve simul, & adde

succi

succi interior.cortic.sambuc.	*succ.apparine,*
violaria,	*abrotani,*
ebuli,	*mentha crispa,*
calendula,	*chamameli,*
malva,	*blita rubra*, an.p.æ.&coq:

ad succi consumptionem: dein adde

succi rad.irid. ℥iij. *ol.carvi d.* ʒiiß.
fol.sena pulv. ℥j. Coque iterum ad formam *Linimenti*. Sic purgat, & flatûs pellit.

Fiunt etiam *Globuli*, pilularum majorum instar, quos Windfugel vocant, & eos in anum intrudunt, ad modum suppositorii, ex iis, quæ *flatus pellunt*, cum *felle bovina* & *terebinthina* &c. Vel Windfugel.

℞. *Cortic.exter.pomor.aurant.* ℥iiij.	*sem. fænic.* ana ʒvj.	Aqua Physogona.
	cumini pp.	
flor.chamameli Rom. Mij.	*baccar.juniper.* ana ℥ß.	
fol.menth.crispa Mj.	*lauri excortic.* ʒij.	
absinthii Pont.	*cinnam.* ℥ß.	
meliss. ana p.j.	*macis,*	
sem.anis.	*nucis mosch.* ana ʒij.	

Pulverisentur subtilissimè, & asperge *spir. vitriol.* ℈ij. Dein' affunde *vini Malvatici* ℔vj. Stent per triduum in digestione, postea destillentur. Hujus *Aqua* auctor est paulò antè citatus Magn. & Excel. D. D. Mannagetta &c.

River. *Pr. fol. 582.* svadet *cucurbitulas* ventriculi fundo admovere, & has miraculi instar flatulentos affectûs repente mitigare & tollere, ait.

Ne *flatûs intestinorum*, sive *ventris crepitûs*, etiam in publico, cum valetudinis jactûra, cohibeantur, lege cavit Claudius Cæsar, Autore Svetonio: quin & tussiendo dissimilare, vel obscurare crepitûs ani, non ineptum putat Erasm. Roterdamus, in Schol. Salernitan. *pag. 22.23.24.*

X 2 Contrà

Contrà quàm Cardanus, *in Commento Progn fol.183.* ex Aristotele monet, *crepitûs ani* non esse emittendos, nisi urgente necessitate; quoniam vel nimis emittatur; aut non totus flatus; unde portio exigua relicta, cùm non possit extrudi, dolores commoveat. Quasi vellet insinuare, etiam *flatibus* suum deberi maturitatis & coctionis tempus; quo absoluto, sponte exitum quærant, & tunc non cohibendi sint, aliàs retrocessuri, & locis penitioribus sese insinuaturi: unde dolores maximi; Wenn sich die Winde im Leib verschlagen.

Cruditates. Sennert. *libr. 1. Pract. p.747.* statuit, si quis, ob crapulam, & vitium cibi nimiùm ingurgitati, *cruditates in ventriculo* cumulavit, non consultum videri, *cruditates* illas, quod multi putant, jejunio corrigere velle: sed satius esse, altero die maturè cibum svaviorem, & melioris succi, in minori tamen quantitate, sumere. Naturam enim novi alimenti, ejusque grati, adventu delectatam, coctionem rursus alacriùs moliri; aut certè novum alimentum, ut magis gratum & laudabile, promptiùs arripere, & in sui nutrimentum convertere; vitiosum verò, & crudum, in excrementum, ope facultatis expultricis irritatæ, segregare: unde plurimi post crapulam diarrhœâ corripiantur. Cui consentit Horst. *Op. Tom.3. pag. 19.20.*

Vomitus. Straubingæ Bavarorum prædicatur symptomatis genus, quo *ventriculus omnia evomit*, *Infantibus* imprimis familiare. Fit ex eversione ventriculi, vel quasi dislocatione ejus. Curatur

Cura. ab ipsis ex Sennert. *Lib.2. Pract. p. 297.* appositione *cucurbitulæ* magnæ, cum flamma, ad umbilicum, & cutis attractione: unde hunc affectum ineptè vocant, das Nabel ausbärtzen quamvis non sit umbilici, sed ventriculi affectus. *Adultiores* autem sic curant: In ventrem pronos disponunt, & cutem circa medium spinæ violenter attollunt, & ita arbitrantur umbilicum redire ad suum locum, *Vomitumq;* inde promanantem curari. Vid. Sennert. d. l. p. *309. & seqq. de mucronatæ cartilaginis prolapsu*, à Bapti-

à Baptista Codronchio *peculiari libello* descript. it. Autor. *Enchirid. Medic. pag. 195.* qui *lapsum ventriculi* nominat: Plater. *Tom. 2. cap. 11. pag. 375.* ubi sæpius se hunc affectum vidisse testatur: Casp. Hofmann. *Comm. in libr. 7. de usu part. Galen. fol. 155.* qui à Mulierculis das Nabelwerrucken dici putat: Riolan. *Anthropograph. libr. 5. cap. 50. pag. 569.* ubi illi *depressio*, seu *deflexio mucronatæ cartilaginis* vocatur; licet Reald. Columbus, *lib. 2. de re Anatomic.* velit, hanc cartilaginem ita connatam esse imo pectori, ut non, nisi summâ vi, depelli possit. Deridendos igitur esse, qui putant, hanc nonnunquam decidere solere.

Ventriculum supra modum irritatum, *omniaq́ evomentem*, placabis jusculo caponis tali: ℞. *Caponem ad coquendum paratum, & vino rubro lotum, assa ad medietatem ferè: infarciatur dein cinnamom. & carpophyllu &c. iterumq́ parum assatus coquatur in vino & aqua, in vase duplici. Jus colatum* exhibeatur Patienti.

Riverius verò, *Pr. l. 9. f. 556.* enormem *Vomitum*, certo experimento, etiam in febribus malignis, sistit exhibitione *salis absynthii* ℈i. cum cochleari *succi limonum.* Idem quoque in *Vomitu* vehementissimo exhibet *laudani* gr. iij. cum *Pil. cochiar. min.* ℈iiß. Sic sedari, ait, vomitum, & 5. post horas fieri purgationem per inferiora. Mirum, Narcotica Purgantibus misceri; quorum tamen vis à Narcoticis infringitur. Sed vult, purgantia esse debere fortiora. Vid. supra quoque.

Quando *medicamenta* necessariò adhibenda *ventriculus omnino respuit*, antequam ægro aliquid propinaveris, applica tale Emplastrum: Medicamenti sumptio.

℞. *Ol. mastich.*	*mastich.*
cydon. ana ℥ß.	*menthæ,*
crustæ pan. ass. & in acet. fort.	*corall. rubr. pp.*
duabus horis madef. ℥ij.	*santal. alb.* & *rubr.* ana ʒj.
spodii,	*farinæ hordei* q. s.

ad subigendum. M. Ligaturæ etiam partium extremarum fiant dolorificæ: cucurbitula una, sive altera, sine scarificatione, fun-

do ventriculi applicetur: ſvadente D. Joh. Nævio, ap. Crat. *Conſil.116. f.324.* Noſtri à ſumpto pharmaco *os ſpiritu vini ſtatim eluunt, cruſtam panis aſſam naribus, ovum crudum gutturi admovent, amygdalas, ſaccharum, caryophyll.* &c. maſticant, quieti dorſo incumbunt, donec operatio medicamenti ſequatur. Mulieri enormiter vomenti, ab Iliaca paſſine, plurima remedia nihil profuerunt, donec gutt. aliquot *Elix proprietatis Parac.* fuerint exhibitæ, ab Horſt. *Oper. Tom. 2. p.174.*

Exemplum Illuſtr. Virginis, Alexandræ Spinolæ, *Vomitum* poſt quamlibet cibationem patientis, medicationem tamen ferentis, ſatis rarum, per modum Conſultationis deſcribit Barth. Turrianus, *in Buliatria, f. 270.* ubi ſymptoma hoc non ventriculo, ſed utero adſcribit, & ſcirrho penes ventriculum, ex retentione quinquennali menſium, & cumulatione plurimorum excrementorum, nec non geſtatione alicujus cornu, vel ligni, Gallicè *Planchette*, contracto, quo noſtræ Nobiles mulieres etiam in hoc tempore, non ſine diſpendio valetudinis, ut erectæ incedentes ſuperbiant, utuntur. Sic enim non ſolùm ventriculum comprimunt, ſed & pectus coarctant, atque reſpirationem impediunt, & ſic evadunt cachecticæ & flatuoſæ: unde audimus, apud juvenculas imprimis, ſæpius regurgitantes flatûs circa has partes, quas vel per prædictum inſtrumentum, vel per veſtimenta anguſta, comprimunt, quaſi ranas coaxantes ſubtus abſconditas haberent. Ventriculum verò Turrianus, *loc. cit.* excuſat, eò quòd, non obſtante vomitu continuo, bene nutriatur Ægra, medicamenta etiam liquida, quæ per ſe ventriculum facilè irritant, non evomat; quòd ventriculus in inſtanti quaſi arripiat alimenti partem, pro neceſſaria corporis nutritione; etſi reliquum cogatur ſtatim evomere.

Planchette. Thoracis conſtrictio.

Hypercatharſis.

Vomitum poſt Antimonium ſumptum in momento ſiſtit *ſpiritus vini*, ſi ejus coch. j. aut ij. ſumantur. Sennert. *L.3. Pr. p.1. ſ.2. c.12. f.157.*

Manuum

Manuum injectionem in aquam frigidam omnem vomitum compescere, habet River. *Pr. Med. lib. 4. cap. 7. pag. 114.*

Plerosque omnes, imprimis caeochymicos, qui *Mari* se committunt, in principio enormiter *vomere*, experientia docet: cujus rationem innuit Hippocr. *l. 4. aph. 14. Navigatio indicat, motione turbari corpora.* Remedium præscribit Schola Salernit. *fol. 92.* Nausea marina.

Nausea non poterit quenquam vexare Marina,
Undam cum vino mixtam qui sumpserit antè:

undam scil. Maris. Alii *Mare* non petunt, & quidem rectè, nisi bene purgato corpore, & sangvine misso.

Joh. Daniel Horstius, *in Decade Observ Anatom.* ubi describit Anatomen cujusdam Principis, ex vomitu, procul dubio tandem nigræ materiæ extincti, cui lien atro carbone erat nigrior, & lingua quoque simili nigrore infecta; quærit, unde humor iste provenerit, & putat, fuisse lienis feces. Ego verò existimo, corruptum fuisse sangvinem, ad exemplum Sacratissimi nostri Imperatoris, Ferdinandi III. Neq; enim tanta excrementi nigerrimi copia in liene generari posset. De vomitu sangvinis cum dejectionibus nigris vid. ex professo Horst. *Oper. Tom. 2. p. 153. Observat. 5.* Vomitus niger.

Quamvis *evacuatio per Vomitum* videatur esse actio præter naturam, adeóque violenta; animadvertimus tamen, eam interdum indicari naturæ inclinatione: quando scil. os est amarum, materia in ventriculo sensibiliter fluctuat, nausea & vomendi conatus adest, æger vomitionibus assuetus, & materia circa ventriculum tam tenax, viscosa, & visceribus impacta, ut fortioris etiam purgantibus per inferiora non cedat. Tunc necessarium est, & percommodum, studiosè procurare vomitum, maximè Lunâ crescente: quia tunc humores turgent, ex Hartmanni sententia, *in Basil. Crollii, de vomitoriis*, vel per *Aquam benedictam Rulandi*: quæ niihil est aliud, quàm *infusum croci metallorum:* Vomitûs necessitas. Vomitoria. Aq bened. Rulandi.

Syr. Emeticus. *lorum*: vel per *Syr. emeticum Ang. Salæ*, cujus summa dosis non excedat ℥j. vel per *Gillam Theophrasti*, sive *vitriolum vomitivum*, vel mitius *decoctum ex asaro, raphano*, cum *oleo dulci* &c. Sunt, qui *Syrupum Emeticum*, vel *Aquam Bened.* cum aliis purgantibus miscent, v.g. cum *extr. diacarth. rhabarb. syr. de tribus, mann. elect. è succ. rosar.* &c. sed sine judicio. Citiùs enim, & prima statim vice, syr. emeticus, vel aq. bened. R. vomitum movebit; & sic reliqua admista simul ejicientur, sine fructu: unde non nisi inane lucrum Pharmacopœis sequitur, ægrisque duplicantur sumptûs.

Juls nucis juglandis exiccati, & in forma *pulveris* exhibiti, *Vomitum* sine molestia *movent*, apud Crat. *Consil. 2 f. 4.*

Quid de Vomitu sentiat Horstius, vide *Oper. Tom. 3. pag. 18.*

Vomitûs commoda. Schola Salernit. *f. 214.* hæc commoda recenset: *Vomitus tollit capitis gravitatem, visum acuit, appetentiam facit, bilem evacuat, lassitudini medetur, renum & vesicæ ulceribus convenit, lepræ auxiliatur, faciem colorat, epilepsiæ remedium est, icterum, asthma, tremorem, paralysin, scabiem, & ulcera nigra curat.*

Corrigentium vanitas. Sunt, qui, cùm *Vomitum procurare* volunt, vel ipsis *Vomitoriis* nescio qualia *corrigentia* commiscent, vel ventriculum ineptâ sollicitudine roborant. Prius necessarium non est, nisi justam *Vomitorii præparationem* intelligas, qualis debetur *Antimonio, Vitriolo, Mercurio* &c. quia debent per se *Vomitoria* molesta esse ventriculo: aliàs nullius essent efficaciæ. Secundum est planè ineptum: quid enim roborare volumus membrum, ad quod confluere, & per quod evacuari debent humores noxii? Peracto autem vomitu, nihil vetat, ventriculi, ab actione violenta nonnihil debilitati, rationem habere. Idem habet Zwelferus, *in Animadversionib. ad Pharmacopœiam Augustanam, p. 60.* ad *Syrup. Emet. Ang. Salæ.*

Calculi in ventriculo. Cùm Hornæ, Infer. Austriæ, Statuum Illustr. Medicus essem, vocabar ab Illustri Matrona, D. Nizin in Codau, ad mulierem

lierem subditam mortuam, ut præessem apertioni Anatomicæ, ad explorandam incognitam diuturni morbi & mortis causam. Conquerebatur illa, annorum 40. de continuo ventriculi dolore, tumore, nausea, inappetentia. Fuit à nonnullis pro Tympanitica curata; alii, existimantes ipsam gravidam, à medicamentis omnino abstinuerunt. Aperto itaque abdomine & *ventriculo*, in fundo ejusdem *Lapilli* sunt inventi, nullo cohærentes vinculo, sed, granorum pomi instar, sese mutuò amplectentes, tam copiosi, ut binas volæ manûs implerent. Horum aliquot tunc, anno hujus seculi quadragesimo, mihi asservavi, sed temporis successu facti sunt friabiles, & tandem in salem luteum resoluti. Hinc facile erat colligere, ex bile concreta, tartareum quid æmulante, ortos fuisse *Calculos*: siquidem, bilem in vesicula, tanquam proprio suo receptaculo, in calculos concretam esse, sæpius compertum est.

Ex Joan. Veslingio, Mindano, *in Syntagmate Anatomico*, rectè colligitur, *fol. 38.* vulnerato abdomine, & chylo per vulnus exeunte, vulnus in ventriculum non semper transiisse: siquidem pancreas, pars abdominis glandulosa, dum chylus, spirante adhuc animali, distribuitur, ipso copiosè perfusum est, cumque, cuspide cultri sauciata, copiosè profundit.

Ventres hyeme & vere naturâ calidissimi, somniq; longissimi; proinde temporibus iis alimenta copiosiora sunt exhibenda; siquidem plus nativi caloris habent: igitur alimento copiosiore indigent. Argumento sint ætates & athletæ. Hipp. l. 1. aph. 15.

Corpora impura quò plus nutrieris, eò plus lædes. l. 2. aph. 10.

Singultu detento, sternutatio superveniens, singultum tollit. l. 6. aph. 13.

A vomitu, singultus, & oculi rubentes, malum. l. 7. aph. 3.

Ab hepatis inflammatione, singultus, malum. l. 7. aph. 17.

Si immodicè purgatis senibus accidat singultus, non bonum. l. 7. aph. 41.

Quibus inter ventriculum & septum transversum pituita concluditur, & dolorem affert, nec in alterutrum ventrem exitum habet; iis, per venas in vesicam pituitâ conversâ, morbi fit solutio, l. 7. aph. 54.

CAPUT II.

De Hepatis affectibus.

HEpar, sangvinis officina, secundum Auctores plurimos, varios patitur defectûs. Aliquando in homine sano tam validè *sangvificat*, ut non totus sangvis partibus nutriendis assimilari possit, neque etiam partes tantâ copia indigeant; tunc præsertim, quando facultas attractrix partium debilis est. Hinc nonnulli non pingvescunt, etiamsi optimè comedant & concoquant. Continetur enim in his major sangvinis copia in venis, quarum tunicæ plerunque sunt crassiores. Tales facilè sustinent, utpote plethorici quoad vasa, crebram emissionem sangvinis; ut & ii, quibus aliquod membrum abscissum est: quia sollicitum hepar tantum generat sangvinis, quantum etiam deperdito membro deberetur. Hoc insinuat Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 153. usq. ad pag. 158.* & Gvilh. Fabricius, *Tractat. de Dysenteriâ, fol. 667.* quem vid.

Sangvificatio nimia.

Quibus *Hepar plus justo calet*, iis difficile est, unum & alterum cibum in mensa præmittere potui. Statim enim ac saltem primum jusculum comedunt, *inceditur* ipsis Hepar adhuc magis. Satius autem esset, perferre sitim, donec bona pars mensæ absoluta fuerit, ne hepar famelicum nimis citò potum frigidum & crudum arripiat, & ita serositates nimiæ colligantur; unde morbi plurimi. Iisdem, quia plerunque *circa vesperam sitiunt*, Crato, *Consil. 3. f. 9.* concedit, pro merenda, *Potum cerevisiæ*, ut ventriculus abluatur, intestina, quæ suo humido ab hepatis caliditate privantur, humectentur, alvus laxa efficiatur,

Hepar calidius.

Potus intempestiv.

Sitis vespertina.

tur, & chylus per venas rectiùs penetret. Nota, quòd *cerevisiam* concedat, non vinum, ne hepar magis incendatur. S. Sanctor. *aphorism. 102. sect. 3.* habet: nihil magis impedire perspirationem, quàm potum, dum fit chylus. Quod ego experior, nullo potu magis offendi solitus, quàm circa secundam vel tertiam horam à prandio: quia sic concoctio turbatur: secus se res habet, si circa quintam bibam. Tunc enim concoctio jam fere peracta est: &, *Aphorism. 97. sect. 3.* Potus, *ait*, inter prandium & cœnam nocet, sed si tantundem minus in cœna potamus, tollitur nocumentum. Nocere poma comesta hepati serosis suis partibus, quin & totius substantiæ proprietate, asserit Schönborn. *in Manual. Prax. Medic. fol. 158.*

Nauseam à carnibus, quæ febribus præsertim familiaris, *signum* esse *Hepatis inflammati*, ait Horst. *Op. Tom. 2. p. 184. c. b.* ex Fernel. *lib. 6. Pathol. cap. 4. p. 72.* quia calor nativus divertitur à ventriculo ad vicinum jecur; & ille, suo regente destitutus, id præcipuè, quod ad nutriendum naturæ aliàs familiarissimum est, non appetit. Laurent. *in Anat. fol. 239. nauseam* in *hepate læso* inde deducit: *Ab hepate*, inquit, *ut sede facultatis naturalis, appetentia, quæ nutrici facultati famulatur, ori præsertim ventriculi communicatur. Quomodo autem influxus ille naturalis esse potest, ubi membrum mandans malè habet?* Nausea à carnibus. Signum inflammati hepatis.

Proponit River. *Pr. post Tom. f. 7.* remedium expellens, ad *sangvinem depurandum, obstructiones reserandas*, & *hepar refrigerandum* utilissimum; nominatque hoc *sangvinem cichorii* & *chamædryos*, & est *syrupus* hunc in modum præparatus: ℞. *Aq. cichor. in B. M. paratæ, q. v. folior. cichorii partes duas, chamadr. partem unam. Macerentur simul, & digerantur per triduum in B. M. Postea exprimantur: liquori adde nova folia cichor. & chamadr. digerantur iterum per triduum, rursusq; exprimantur; & infusiones illæ octies vel decies repetantur: & liquor evadet rubeus, instar sangvinis: cui adde sacchari albiss. parem liquori quantitatem*, & Fiat *Syrupus.* Sangvis cichor. chamædr.

Decoctum Chinæ, cum *ſucco limonum* paratum, huic etiam uſui conferre, idem, *fol. 9.* aſſerit, præſertim ſi obſtructiones adfuerint. Ejus compoſitio talis eſſe poterit: ℞. *Rad. Chinæ tenuiter inciſæ* ℥j. *aquæ fontan.* ℔vj. *ſucci limon.* ℥iij. *Macerentur per horas 24. deinde coq. ad tertiæ partis conſumptionem: Poſtea colentur per manicam Hippocr.* bibat Æger mane & veſperi ℥vj, & diluat cum hoc vinum. Sic ventriculus non offenditur, obſtructionesque præſentes viſcerum reſerantur, & hepar modeſtè refrigeratur.

Ungv hepaticum. In *Hepatis affectibus*, ſcirrho ſcilicet, & obſtructione, ut & *hæmorrhagiis* inde ortis, extra communiter utimur *Unguentis*. B. Stieberus, ap. Horſt. *Oper. Tom. 2 p. 158.* tale, quod pretioſum appellat, componit: ℞. *Santal. omn. ligni rhodii, lign. aloes*, an. ℥ß. Pulveriſata coque ex *aq. endiviæ, roſar. alb.* an. q. ſ. per ſeſquihoram: ubi aqua bene tincta fuerit, coletur cum forti expreſſione: dein' coque ad mellis conſiſtentiam; cui adde *ſucci cichorii, petroſelini*, ana ℥ß. *camphor.* ʒj. *ung. ſantal.* ℥ij. M. F. Ungventum.

Rhabarbarum. Crato, *Conſ. 2. fol. 5. & 303.* *Rhabarbarum* intrò ſumptum *animam hepatis* nominat. Imò id ipſum etiam ungventis hepaticis immiſcet, *Conſil. 295. fol. 845.*

Signum, Hepar & *Lienem pravis humoribus* eſſe *repletum*, ait River. *fol. 25.* quo vel ſolo præſente, etiam ſine contrectatione hypochondriorum, ut refert Proſper Martianus, apud River. certiſſimum eſt, ſi ab aſſumpto cibo, vel in minimâ quantitate, hypochondria gravantur & comprimuntur.

Obſtructio viſcerum. *Obſtructiones* autem *hepatis*, & *viſcerum*, tam crebrò vapulant pro cauſis plurimorum morborum, ut etiam Sennertus, *Tr. de Febr. L. 2. ſ. 228.* conqueratur, nonnullos nihil niſi obſtructiones accuſare; cùm tamen eæ in febribus, plurimisque aliis morbis, non rarò ignorantiæ pallium, & veritatis inveſtigandæ obſtaculum ſint. Quin & Jo. Bilgerus, apud Horſt. *Oper. Tom. 2. pag. 239.* dubitat, utrum tales obſtructiones viſcerum, meſen-

mesenterii imprimis, dentur, ut post Anatomiam sint conspicuæ. Dubitationem autem solvit ipse Horst. *d.l.fol.240. Frequentissimè quidem*, ait, *mesenterii obstructionibus plurima symptomata adscribuntur, quæ tamen sæpius originem aliam habent.* Interim experientia testatur, dissectorum viscera & vasa mucoribus aliquando ita repleri, ut glutinata invicem appareant. His medetur *Syrupus*, qui fit *è baccis juniperi* coctis cum *vino Rhenano* ad mollitiem: expresso dein' liquore cocto cum *saccharo*, ad Syr. consist. cui adduntur *spir salis* gutt. aliquot: item *Pulvis cachecticus Quercetan.* uti illum describit Schröder. *Pharmacop. Medic. Chym. libr. 2. p. 268. c. b.* cui in usu posset addi *crocus Martis dulcis.* Confer Sennert. *Libr. 3. Pract. pag. 669.* Horst. *d.l. pag. 160.* & *264.* Syrup. de Junipero.

In *Scirrho Hepatis*, à Riverio, *Prax. Tom. post. fol. 44.* mirè laudantur, & mihi quoque arrident *Pilulæ* descriptæ seq. Scirrhus Hepatis.

℞. *Aloës opt. gummi ammoniaci in aceto soluti & trajecti per setaceum*, itemque *inspissati*, ana ℥ß. *Mercurii dulcis* ʒij. *diagryd.* ʒj. cum *oxym. squillit. F. Massa*: & ex hac formentur *Pil.* ex qualibet ʒß. num. xv. quas capiat Æger quatuor horis ante prandium, singulis diebus, per xx. vel xxx. dies Mirabilis enim sunt efficaciæ, ad *Scirrhum* emolliendum ac dissolvendum.

Icterus, à volucri, Galbulâ, concolore sic dictus, etsi symptoma sit, non facilè curam ad se trahens, malum scil. ut signum, non ut causa: nihilominùs urgentur aliquando importunè Medici, ut & huic succurrant. Tunc *Amuleti* loco plantis pedum, & pulsibus, adhibet Rondeletius, quod Icterus.

℞. *Fol. visci quer.* Mij. *hr. chelidoniæ*, ana Mß. Cura.
marrubii, *baccar. juniperi* Mj.

contunde in vino, & utere. Vulgare, certum tamen & specificum remedium in Ictero, à Quercet. red. *in Diæt. f. 383.* commendatur *Pulvis ex anseris stercore exiccato*, ad ʒj. vel ʒß. sumptus, cum *vino*, aliquoties. Alii Tincam piscem, Merulam lacustrem Scaligeri, Germ. Schleyhen/ ventri, etiam pro *Amuleto* applicant.

Icterus niger. Lap. Bezoar

Crato, *Consil. f. 498. lap. bezoar* exhibuit in *Ictero nigro*: & minxit æger tam nigra, quàm atramentum. Hinc rectè judicatur, lapidem hunc esse diureticum, & non semper alexipharmaci vices gerere. In *Cista Medic.* Hornung. *Epist. 2.* Ictericis *extract. aquileg. & chelidon.* c. *lapid. bezoar* (quem unâ nocte expertus sit, expulisse Icterum) se exhibuisse magno cum successu: pauperibus verò *emulsionem sem. aquilegia*, cum *ejusd. aq. destill.* mirum quàm profuisse, scribit Schnizerus.

1. Mesenterii obstructio.

Mesenterii obstructi signum est pulsus arteriarum, in dorso: quod mihi, inordinatè viventi, accidit sæpius. Si verò evaporationes, vel materia rarefacta, superiores quoque arterias occupat, fit molesta pectoris angustia; ut in Hypochondriacis: tollitur *purgatione*.

2. Mesenterii inflammatio.

Inflammati mesenterii signum ponit Jonst. *f. 528.* febrim lentam, plerunque semitertianam. Paulò pòst ait, *purgantia* hîc nulla convenire: nec *cassiam* satis tutam esse.

Mesenterii abscessus.

Horst. *Op. Tom. 3. f. 72.* notat, ex S. Sanctorio, *in Method. vitandor. in Medicin. error. libr. 1. cap. 22.* doctiores etiam Medicos falli in dignotione *abscessuum in Mesenterio*, qui plurimorum morborum causæ esse possunt: nec quidquam planè de *Mesenterii abscessibus* per prognosticum prædici posse, affirmat quoque Caspar Caldera ab Heredia, *in Tribunali Medico-Magico & Politico, f. 5.* Quâ ratione tamen dignosci possint, vid. ap. Fernel. *Patholog. cap. 7.* item alium etiam modum, abscessum mesenterii ruptum colligendi & explorandi, *ib. cap. 9. pag. 406. & seqq.* Exemplum vidi in Perill. & Generoso Viro, D D. Rudolpho Gebeck, Reverendissimi & Illustrissimi S. R. I. Principis, & Episcopi Frisingensis, Viti Adami &c. quondam Fratre, & Stabuli Præfecto, viro corpulento, sangvineo-phlegmatico, qui, cùm, præmissâ purgatione & venæsectione, mitiores utcunque sensisset paroxysmos, ita, ut à febre tertiana simplici, Mense Majo, 1637. jam jam videretur esse liber, die intermissionis tormina ventris,

ad

ad modum colicæ, sensit, &, exonerandæ alvi gratiâ desidere coactus, non sine summa virium debilitate, per alvum primò sangvinem rubicundissimum quidem, fœtidissimum tamen, ad ℔ij, postea materiæ crassæ, saturatè viridis (bilem dixisses porraceam) pultis instar, ℔iij. circiter, & demum ejusdem consistentiæ feces luteas, trinis secessibus ejecit. Hinc, ægrè tamen refocillatis viribus, evacuatione factâ criticâ, paulatim, & ex integro convaluit, & ad justum senium pervenit. Mirabar ego, tunc dicti Principis, & ipsius Ægri Medicus, unde fœtidissimi & maximè discolores secessûs provenerint. Statuebam autem imprimis, sangvinem ex hæmorrhoidibus internis fluxisse: quod in febrib, quartanis, ubi terminantur, sæpius contingit. Tandem verò, re penitius consideratâ côclusi, sanguine, una cum materiâ reliquâ, apostematis instar ibi collecto, *Abscessum* factum esse in *Mesenterio*, ac febrem fovisse, haud falsâ opinione, ab Horst. quoque *loc. cit.* confirmatâ. Et quamvis antea nihil molestiæ, vel *doloris, circa regionem Mesenterii* passus fuerit Æger; nihil tamen obstat, quin *abscessûs* materia intus aliquantisper latuerit. Siquidem dolor id loci non adeò sentitur; etiamsi partes illæ sint membraneæ, plurimis refertæ nervis. Nam illæ ipsæ partes plurimo vestiuntur adipe & glandulis: unde sensus obtusior: ut rectè sentit Horst. *Op. Tom. 2. p. 186.* Adde, quòd natura, sollicita sui ipsius conservatrix, humorem, & quidquid p. n. intus colligitur, aliquando in certas, sensim efformatas, vesiculas concludat, & diutissimè, salvo homine, conservet; ut Anatome me ipsum aliquoties docuit. Mesenterii dolor obtusus.

Et talis mirabilis casus contigit Mulieri sexagenariæ, in Nosocomio Cæsareo, Viennæ, Mense Februarii, Ann. 1654. Hæc diuturno laborans *Tumore in Dorso*, omnibus & discutientibus & maturantibus adhibitis, curari tamen non potuit. Tandem, cùm tumor aliquam maturationem mentiretur, lancetâ apertus, emisit *vesiculas* quamplurimas, teneriorum ovorum instar, Abscessus in dorso ovi formis.

instar, magnas, mediocres, minimas. Continebant autem materiam limpidam, tenacemque, albuminis ovi instar, qualis per vesicas à cantharidibus concitatas solet evacuari. Radix tandem evulsa speciem habuit seminarii ovorum in gallina, *eines Eyerstocks einer Hennen.* Cutis circa tumorem, & supra ipsum, versus cervicem, omnino fuit à carne separata; nihilominùs ipsi tandem carni, sedulitate Chirurgi illius loci ordinarii, D. Joannis Neandri, rursus agglutinata. Similem ferè historiam narrat Sennertus, *L.2. Pract. part. 2. cap.24. f.307. Fabro,* inquit, *cuidam lignario, in abscessu in dorso aperto, quinquaginta ova (seu vesiculæ) tenuissimâ membranulâ obductæ, intus limpidissimâ aquâ plena, reperta fuisse, refert* ex relatione Laurent. Scholzii, in Observationibus propriis Schenckius, *l.5. Obs. Medicinal. 46. p. 55.*

Sinus. Ad abscessum hunc spectat etiam doctrina de *Sinu*: quem cutis à carne, separatis vesiculis, efformavit: quomodo curetur, compendiosè docet Jonstonus, *l.5. Id. Med. Pract. fol. 227.*

Causa. Causa verò, unde talia oriantur, explicatu satis est difficilis: credibile tamen, spinalem medullam, vicinasque partes, aliquando sordes, & excrementa sibi propria, illûc in dorsum deponere; &, quia exitum hæc non habent, sollicitam naturam vesiculas efformare, iisque hanc materiam includere, & sic paulatim ex affluxu novæ materiæ incrementum sumere.

Hydrops. Quemadmodum videmus, & ipse ego observavi, *Hydropicorum aquas*, circa mesenterium, vesiculis variæ magnitudinis inclusas detineri, & propterea hominem diu servari superstitem; donec vesiculæ vel tenuitate sua, vel acrimoniam induente sero intus contento, rumpantur, & illud serum deinde in cavitatem ventris defluat, putrescat, reliquorumque viscerum corruptelam, & tandem hominis interitum causet. Hippocr. *libr. 7. aphorism. 55.*

In hydrope an salvum hepar? *Hydropem* posse fieri *salvo hepate*, affirmat Jo. Bilgerus, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 238. 239.* Sennert. quoq; *l.3. Pr. part. 6. sect. 2. c. 3.* de Ascite:

Ascite: ubi ratione & exemplis, & ipsa deniq; avtopsiâ, hoc probat, quod in Disputatione publica Viennæ, an. 1655. habitâ negatum. Atque ut avtopsia, nullum hepatis vitium demonstrans, excusaretur, oculi aciem eousque progredi non posse, ut vitium deprehenderet, assertum est. Horst. quidem, *loc. cit.* & *Tom. 3. p. 81*, verum hydropem subsistere non posse, ait, sine hepatis læsione, Hydropem sine læsione hepatis non existere, est in Cist. Med. Hornung. *Epist 137.* Et inter ea, quæ non sunt artis, sed prodigiosa potiùs, habet Vincent. Alsar, Cruc. de Quæsit. per Epistolam, *Cent. 1. Ep. 2.* posse jecur in colore & substantiâ probè undique affectum apparere in iis, qui ex hydrope obierunt: excepto in fœminis uterino, & alio quovis particulari, ut pulmonario. Ante sex menses mortua hîc Hydropica aperta dedit aquæ mensuras 30. nullo vitio hepatis apparente, nec lienis. Quid si à ruptione vasorum lymphaticorum hoc factum fuerit? Rolfinck. *in Disputat. de Inundation. Microcosm.* habet, quocunque tandem modo ab aliis etiam partibus proveniat hydrops; semper tamen ad læsam sangvificationis actionem, per quam incæpit, vel quâ perfectionem suam in corde, vel depurationem in colatoriis visceribus, vel distributionem in arteriis fuerit assecuta, posse referri. Exempla plurima hydrope mortuorum, salvo tamen hepate, vid. apud Helmont. *Ignot. hydr. pag. 408. c. 6. à m. 11. & seqq.*

Quòd si igitur viscera non omnino corrupta sint, ut spes aliqua effulgeat, ea posse ad antiquam crasin reduci, licebit *aquas* per apertionem scroti, per scarificationem pedum, ventrisque paracentesin, *elicere*: de quibus passim Practici, & ex profess. Horst. *Oper. Tom. 3. p. 81. quæst. 8.* quantumvis ipse ego hanc scarificationem non ita tutam deprehenderim, præsertim in Senibus, & in quibus verendum, ne jecur jamjam sit corruptum, nec corpus εὐσπλαγχνον; quod tamen Hippoc. ad operationem hanc quàm maximè requirit, *in Prorrhetic. libr.* Plerunque enim

Seri eductio.

Paracentesis.

Z sum

tum gangræna sequitur. Et aliàs nullo subsequente fructu alio hanc apertionem institui, scribit Dodonæus, *Observ. Medicar. exempl. cap. 18.* quàm quòd Æger à distensione ventris pauco tempore liberetur. Prius enim, quàm umbilicus (quod hîc requiritur) erumpit, jam interna viscera corrupta ac putrida esse; ac proinde sanitatem nec expectari nec sperari posse. Frustra hanc operationem institui, habet etiam Helmont. *de Feb. cap. 7. p. 762. m. 3.* adeoque paracentesin vitam ad paucos saltem dies dilatare. Cui per omnia consentit *River. Obs. comm. pag. 702.* Et cur paracentesi aperti plerunque moriantur, vid. rationes ap. Franciſc. Rousettum, *de Partu Cæsar. sect. 3. cap. 3. pag. 516. Gynæc. Tom. 2.* Quòd si autem vel maximè velit institui hæc operatio; probè tamen notandum, sicut & in Empyematicorum, aliorúmque magnorum abscessuum per apertionem pure emittendo, ne confertim, & unâ vice, educatur omne serum vel pus: cujus rei ratio colligitur ex Guil. Fabricio, *f. 116.* quia, credibile esse, ait, in his, Hydropicis, nimir. & Empyematicis, ora vasorum esse aperta, quæ pure & seroso sanguine, quasi operculis, teguntur. Jam, si confertim pus, vel aqua, exeat, aperiri adhuc magis vasa, ut spiritûs & sanguis, cum summâ virium jacturâ, simul effluant, vel per factum foramen, vel in cavitatem ventris. Aliam addit rationem Sennertus, *L. 2. Pract. part. 1. cap. 25. f. 133.* ubi de strumis agit: ne, si omne pus auferatur, quod reliquum est, & in *pus* debuisset converti, pertinaciter resistat, & sic malitiam induat; aliàs faciliùs in laudabile pus, parte puris aliquâ relictâ, transmutabile.

Empyema.

Ulcus.

Hydrops an calefacientibus curetur.

Disputat Horst. *Oper. Tom. 3. p. 3. 81. quæst. 7.* an *hydrops calefacientibus curetur:* adeoque ex humore frigido originem ducat? Et concludit tandem, non improbabilem esse sententiam Chymicorum, quâ asseritur, hydropem generari utplurimùm propter collectionem serosæ & tartareæ materiæ, in jecore (mallem circa jecur) quodammodo coagulatæ: quæ sanè vix erit frigida, si præsertim ingentem hydropicorum sitim, urinas crassas,

&

& cum rubedine subnigricantes, copiosissimoque sabulo, vel tartaro constantes, consideremus; si tardam ipsorum vulnerum consolidationem perpendamus; omnia abundantis salis signa pathognomonica. Atque ideo non simpliciter calefacientia, vel refrigerantia adhibemus, sed ea, quæ tartarum coagulatum resolvunt, & per sudores, urinamque ejiciunt: qualia sunt *spirit. terebinthina*, *arcanum tartari*, *sal cichorii*, *resta bovis*, *agrimonia*, *card. bened. spir. salis*, *oc. cancr. pp.* &c.

Et Cardanus quoque, *in Comment. prognost. l. 2. progn. 2.* & *3. fol. 133.* admonet Medicos, ut hydropis duas species, Ascitem & Tympaniten curent non per *calida*, sed per *humida* & *frigida*: & demonstrat, utramque speciem provenire à causa calida: docetque, se ita plures feliciter curasse, frigidis scil. aperientibus, paucis & diu coctis cibis exhibitis. Poterius verò, *Cur. 2.* non ab intemperie hepatis frigida & humidâ, sed à spiritibus deducit hydropem. Etenim, inquit, dent, quantum velint, calida jecori, nihil efficient, sitim augebunt, frangent vires, & morbo alimentum & incrementum præbebunt. A spiritibus impetum frangant, obseratos meatûs adaperiant; intus congregatæ aquæ sponte effluent, & sanabitur hydrops. Confer etiam Celsum, *de re Medic. libr. 3. cap. 21.*

Ad *educendas hydropicorum aquas* Mixtura sequens Horstii, ex *Oper. Tom. 2. p. 439.* mihi singulariter probatur; & vidi effectum, an. 1639. in Nosocomio Civico Viennæ, tunc curæ meæ commisso: Med. hydrotica.

Lixivium medicat.

℞. *Herb. absinth.*	*rad. ononid.*
card. bened.	*petrosel.*
agrim.	*eryngii*,
soldanell.	*aspar.* ana ℥iij.
genista cum toto, ana Miiij.	*summit. juniperi cum toto* M. viij.

Comburantur, & è cineribus fiat Lixivium *ad* ℔ij. His adde

syr. dialth. Fernel. *spir. salis* ℈iiij. M. dentur
de 5. rad. ana ℥iij. ℥v. aliquot vicibus repetendæ.

Sed hîc diligenter juvandus est naturæ motus : vel enim ob lixivii acrimoniam, vel ob ipsius humoris mordacis commotionem, tormina ventris non vulgaria excitantur: quæ tamen lenientibus clysteribus, vel extrà adhibitis anodinis, mitigari possunt. Idem, *Op. Tom. 2. f. 409.* & *532.* *Nosti*, inquit, *quid in hydropicis desperatis observatum sit in* pulvere Bufonum adustorum *exhibito.* Cujus rei historiam narrat Joh. Wierus, *l. 3. cap. 35. de præstig. dæmon*, de hydropico quodam, Romæ diu decumbente, cujus uxor tandem, sumptuum pertæsa, veneno illum tollere decreverat. Quare *Bufonis in olla usti pulverem* ægroto marito propinat; unde ille copiosum reddit lotium: Hinc illa denuò eundem pulverem ei exhibet, ut citius ejus ærumnosam, sumptuosamque vitam cum præcipite permutaret morte : unde multò uberiore exoneratus, per vesicam, saburrâ aqueâ, convaluit Æger, præter conjugis expectationem. Item *Bufo* etiam discissus, & *renibus impositus*, Hydropicorum aquas per meatum urinarium expellit. Mirabiliter serum per renes & urinam educere, habet etiam Varignana, *Tract. 2. cap. 4.*

Bufonum pulvis.

Tabacum, quoquomodo usurpatum, ad hydropicorum aquas educendas conducere, asserit Magninus, *de Tabaco. fol. 190.* Ego ex cinere *Lixivium* facerem.

Syrupus Rhamni.

A Riverio, *fol. 62.* singulariter commendatur *syrupus Rhamni cathartici*, German. Wegdorn / è cujus *fructu*, German. Kreutzbeer dicto, ille fit cum *sacchāro*. Hic est ille Syrupus, qui, certo experimento, commendatur ab Abbatissa, vel Priorissa, Monasterii Viennensis ad S. Jacobum. Sumitur ad ℥j. immediatè ante prandium. Ex Galeno Idem, ad hydropicorum aquas exiccandas *Cataplasma* ex cochleis, cum testis suis factum contundendo, commendat; adeoque novum remedium non est, si

una

una cochlea, cum testa, & nuce moschata, suturæ coronali applicatur, ad exiccandum & suspendendum catarrhum: quod Austriacis familiare est. Vid. Mizald. Memorial. *Centur. 2. §. 5.* ex Holler.

Hydropis curationem Galenicam & Chymicam vide apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 204.* ubi, inter alia, *usus Mercurii dulcis* prædicatur, & cum *diagrydio*, vel *mag. Galapæ, ad* ℈ß. exhibetur. Judicium de *Mercurio dulci* videsis ap. Primirosium, *l. 4. c. 30.* Mercurius dulcis.

Fit aliquando pro hydropicis *Balneum ex ovis formicarum*; cujus mentionem facit Crato, *Epist. Medicinal. 146. 251.* ubi addit, multum exsiccare. Balneum è formicis.

Ol. è *nucleis baccarum sambuci*, ut & *ebuli, expressum*, ℈ß. vel ℈j. pondere exhibitum, hydropi conducit. Sennert. *in Instit. f. 1493.* & *Libr. 3. Pract. p. 726. c. b.* Ol. bacc. sambuc. ebul.

Destillatum per retortam *lumbricorum* mundificatorum liquorem, vel eorum *succum*, exhibe, ad educendas hydropicorum aquas: Experimentum Illustr. D. Henrici à Preising, Præfecti in Reichenhall. Lumbrici ad hydropem.

Multa, de *hydropis generatione*, utilia lege apud Guil. Fabric. *in Cent. fol. 130.* item curationem ejus methodicam & empiricam apud Forest. *de Febr. L. 3. obs. 37.*

Crato, *Consil. Medicinal. 295. pag. 847.* *pedes tumidos* hydropicorum imponit *aceto calido*, in quo parum *salis* & *aluminis* dissolutum est, ita, ut vix soleas pedum liquor superet. Supponit etiam plantis *hyoscyamum*, unde non solum ex pedibus, sed universo corpore aqueus humor extrahatur. Forestus calefacto frusto lapidis molaris aspergit acetum, & *vaporem* jubet excipere pedibus. Pedum tumor.

Pro purgatione Parens meus has *Pilulas* præscribere solitus est:

℞. *Extract. cochiar.* *elaterii* gr. iiij.
diacartham. *trochisc. alhandal.* gr. ii.
spec. diaturb. c. rhab. an. ℈j. M. F. Pilulæ num. XL. Dos. pil. x.

Mercurius vitæ. Vomitus. Licet, suadente Sennerto, *L. 3. Pract. part. 6. sect. 2. c. 3. f. 729.* in hydroqe, ad *educendas aquas*, etiam *Mercurio vitæ* uti, etiamsi *vomitorium* sit; modò longa digestione fixior reddatur: in hydropicis enim non facilè vomitû moturum esse. Cujus ratio esse videtur, juxta eundem, quòd, in tanta aquæ copia, partes solidæ non ita vellicari possint, vel quòd salsedo seri volatilitatem, hincque vim emeticam vomitoriorum figat: quod idem fit in *Gummi gutta*, si cum spiritu salis, vel vitrioli, misceatur. Sic fixatum Mercurium videtur in Pilulas efformare, ut ex effectu, pondere & colore scintillante apparet, D. Morellus, Pharmacopœus Crembsii, Inf. Austriæ: ut ita una pilula, pisi magnitudine, sufficienter, nonnunquam plus justo, moveat alvum: sed nec omnibus parcit, vomitum ciendo. Propterea etiam hisce pilulis cautè utendum; tutiùs omentosis, quàm macilentis, vel quibus viscus aliquod est debile, præscribuntur: quod ipsum *loc. cit.* innuit Sennertus.

Gummi guttæ.

Indicæ herbæ succus purgans. Optandum certè esset, ob nimis delicatam ægrotantium naturam, ut purgantia nostra grana pauca in pondere non excederent; quale Româ secum attulit Reverendissimus Nobiliss. & Clariss. Vir, D.D. Jodocus à Brent, vocatus Hœpfner, SS. Th. D. Sereniss. Archid. Guil. Leopoldi &c. Consiliarius, & Laureacensium Decanus, &c. Hoc erat liquoris instar oleaginei, saporis sevi bovini: dabatur unius, vel ad summum alterius grani, vel guttæ pondere, nebulis vel hostiis involutum, pro justa purgatione hydrotica: vendebatur Romæ magno pretio, ab ignoto quodam homine, qui ex *Indicæ* cujusdam *herbæ succo* ajebat desumi, & per se illuc transportari. Cùm verò prædicto Reverendissimo D. à Brent hujus, sine omni molestia, & in tam parva quantitate, optimè purgantis pharmaci copia

non

non esset, & pro eâ à me & aliis sollicitaretur; denuò illud repetiit: sed, quia venditor interim cum sua medicina disparuit, nihil impetravit. Nos verò sic magnæ efficaciæ pharmaco destituimur, & nihil miramur, tam raræ virtutis vegetabilia dari in India: quandoquidem in iisdem Provinciis tam *Venenata* etiam *herba* reperiuntur, ut acus, ipsas apicetenus attingens, & cuti nudæ admota, in momento hominem interimat. Referente hoc jam citato Reverendissimo D. D. de Puech &c. Decano Frisingensi, Viro rerum exoticarum imprimis studiosissimo. Et *Napellus* in Italiâ tam est venenosus, ut ventus, qui illum perflat, si adstandes feriat, occidere possit, referente Jacobo Zieglero, *de Fermentat. fol. 53.* Quid, quòd Jul. Cæs. Scaliger, *Exerc. 153. sect. 11.* & H. Mercurial. *libr. de Venen. cap. 6.* scribunt; in Nubiâ, & quæ est Æthiopia sub Ægypto, *Venenum* esse, cujus grani unius decima pars hominem, vel unum granum decem homines, intra horæ quadrantem, enecet; aut unum uni homini propinatum, illum statim perimat. Herbæ venenatæ.

In hydrope, ubi spes est evacuandi seri per curam *Sudoriferam* ex *rad, Chinæ, sarsa parill. ligno lentiscino* &c. intermediis diebus oportet laxare alvum: & licet laxantia infundere ipsi decocto sudorifero, ex Horst. sententia, *Oper. Tom. 2. p. 204. 532.* quem vide: ubi singulariter notandum, cur, dato pharmaco purgante, & illo copiosè etiam operante, venter in eadem duritie & crassitie permaneat? Si alterutrum, rem desperatam judica. Significat enim, viscera jam indurata esse, & aquam intus contentam in ventris cavitate, vel in vesiculis, de quibus *antea*, detineri. Cura sudorifera. Prognosticon.

Hydropi medetur *succus rad. Iridis nostratis* deorsum effossæ. Hic in ovum recens inditur, quantum testa capit, abstracto albumine, dein cum vitello parum coquitur, & Patienti sæpius exhibetur. In adulto sumitur ovum majus, in juvene minus. Est experimentum Illustrissimæ D. de Hochberg, natæ Comitissæ de Puchaim, in Rorbach.

In

Anafarca. In *Anafarca* Horst. *Op. Tom. 2. p. 204.* præmisso Vino laxativo, utitur pro digestione, quod

Pulv. digestiv.

℞. *Mag. tart. vitriol.* ℥iß.	*salis genistæ*, ana ʒß.
fæcul. bryon. ʒj.	*mag. corallior. rubr.* ℈ij.
salis card. bened.	M. sumatur quotidie bis ʒß.

Dein' pro evacutione totius

℞. *Mercurii dulcis* gr. xv.	*conserva rosar.* q. s.
gum. gutt. gr. vij. *ad* xv.	M. F. Bolus.

Tandem propinat decoctum *sudoriferum* ex *rad. Chinæ, sassafras, cichorii*, & aliis aperientibus.

Tympanites. Jonstonus, *f. 564.* in *Tympanite* flatûs discutit, intra, per *decoct. ligni Ebeni, spir. ligni Guajacini, arcanum cumini* & *carvi*: extra verò per *cucurbitulam magnam ventri appositam*; *frictiones* cum *allio* in *vino generoso* decocto: *per fomentum* ex *urina pueri*, & *sale prunellæ*.

Quibus jecur vehementer dolet, iis febris superveniens dolorem solvit. Hippoc. *l. 7. aph. 52.*

Ictero laborantibus, jecur durum fieri, malum. l. 6. aph. 42.

Ad hepatis inflammationem singultus advenit, l. 5. aph. 58. Et hoc malum dicitur l. 7. aph. 17.

Quibus jecur purulentum aduritur, si purum & album pus effluat, salvi fiunt. In tunica namq; pus ipsis continetur: si verò qualis amurca profluat, intereunt. l. 7. aph. 45.

Quibus per febres, ante diem septimum, morbus Regius fuerit obortus, malum. l. 4. aph. 62.

Auriginosi non adm. flatuosi. l. 5. aph. 72.

Quibus tormina adsunt, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter solvitur, in hydropem siccum confirmatur. l. 4. aph. 11.

Hydropicis orta in corpore ulcera non facilè sanantur. l. 6. aph. 8.

Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem defluxerit, fit hydropis solutio. l. 6. aph. 14.

Quicunque suppurati, aut hydropici, uruntur, aut secantur, si pus vel aqua confertim effluxerit, omnino intereunt. l. 6. aph. 27.

Hydropicis superveniens tussis, malum. l. 6. aph. 35. & l. 7. aph. 46.

Quibus jecur aquâ refertum in omentum eruperit, iis venter aquâ repletur, & moriuntur. l. 7. aph. 55.

Si omentum exciderit, necesse est, ut putrescat. l. 6. aph. 58.

Lues Venerea.

AD hepatis morbos *Lues Venerea* non incommodè refertur; siquidem & illa ex singulari sanguinis corruptela provenit. De qua Leonard. Fiorovanti, Empiricus Italus (quem Crato, *Epist. Medicinal. 168. pag. 282.* Nebulonem pessimum, Venetiis ejectum, nominat) unde primò orta fuerit, ita discurrit: In castris Gallicis ad Neapolim, propter annonæ caritatem, dolosè mercatores Castrenses (die Marquetender) *carnem occisorum militum*, variè coctam & præparatam, vendiderunt: *comedentibus* illam variolæ, pustulæ, ulcera &c. & dolores vagi contigerunt; *Luis Venereæ* indicia. Conatur autem experientiâ confirmare, non solùm ex humanæ carnis esu, sed ex cujuslibet suæ speciei carnis comestione id fieri. Ita ipse, se suem suillâ, canem caninâ carne nutrisse, & utrumque animal similiter defœdatum affirmat. Sed refutatur à Sennert. *L. 6. Pract. part. 4. cap. 4. f. 139.* Siquidem non luis Venereæ, sed elephantiacæ potiùs symptomata inducantur ex suæ speciei carne devoratâ. Alii, inter quos est Cardanus, *in Hipp. Progn. f. 16.* & quidem probabiliùs, Luis hujus originem deducunt ex Indiis, ubi in quodam loco sit epidemia. Hanc igitur, qui illuc missi, cum infectis mulieribus commercio habito, ad nos primò transportarunt, &, unâ cum morbo, etiam remedium.

Origo Luis Vener.

Caro humana comesta.

Helmontius, ut cujuslibet forsitan Nationis famæ potiùs, quàm veritati, studeret, comparat, *in lib. de Tumulo pestis*, Vermem equorum, vulgò dictum, ein wurmiges Pferd/ lui Venereæ: & existimat, inde malum in homines propagatum esse, eò quòd quidam cum equa tali coiverit. Quidquid sit, peccatum sanè qui hujus turpissimæ luis originem statuerit, minimè à scopo abberraverit. Neque enim ullum fere symptomatis genus est, quo non miseri Ægrotantes, justâ Dei vindictâ, affliguntur: sic, ut inde etiam cæci & surdi nonnulli efficiantur: cujus rei historia mirabilis extat apud Sennert. *L. 6. Pract. d. l. f. 150.* ex Felice Platero. Et Zacut. Lusitan. *de Pract. Med. admirand. lib. 1. Obs. 49.* refert, robustum virum, postquam tres horas concubuit cum famoso scorto, obortis ulcusculis, durisque tumoribus in capitis parte anteriore, ex improviso cæcum evasisse. Conf. Langium, *libr. 1. Epistol. Medicinal. 42.*

Vermis Equorum.

Horum symptomatum *Causa* per *Chymica principia* pulchrè demonstrantur à Petro Joan Fabro, apud Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 106.* adde *Tom. 2. p. 313. & seqq.*

Causæ.

Compendiosam luis Venereæ Curationem invenies apud Gvil. Fabric. *fol. 492.* Sennert. *libr. 6. Pract. part. 4. cap. 11.* scribit non paucos Medicos testari (si infectus purgatione indigeat sc.) *mechoacann.* & *rad. galap.* cum commodo exhiberi &c. Al. Massarias, *libr. 6. Pract. Medicin. propr. pag. 890.* habet; *helleborum* principem hîc locum obtinere.

Cura.

Germani difficiliùs curantur, quam Itali & Hispani, quia illorum corpora evsarca, magis compacta & solidiora sunt, adeoque radicandæ malignitati aptiora; horum verò corpora, propter raram musculorum, & totius habitûs, texturam, per sudorem, potissimam tollendi morbi viam, venenum faciliùs expellunt. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 315.*

Germani difficiliùs curantur.

Utimur *decocto ligni Guajaci*, tanquam appropriato remedio; additur tamen *sarsa parilla*, majoris incisionis & digestionis

Decoctum ligni Guajac.

nis gratiâ; nec non *cortex ligni* (putà Guajaci) in minori tamen quantitate, ob singularem siccandi vim. Id. *loc. cit. f. 314.* Nota: his decoctis nos non semper uti, ubi occultæ substantiæ virtus desideratur: sed nonnunquam, ubi corporis habitus humidior & frigidior emendandus venit. Non est igitur, quòd nonnulli, quibus talis, per *Lignum*, cura proponitur, ab isto abhorreant, tanquam à medicamento suspecto, infami, & iis tantùm necessario, qui lue Vener. laborant: quod idem Horst. innuit. *Op. Tom. 3. pag. 105.*

Humidus corporis habitus.

Quercet. Red. *in Diæt. f. 506.* in *Guajaco* tres diversas facultates inesse dicit: diureticam in spiritu acido; sudoriferam in oleo: purgantem in sale: cujus ℈j. ad ℈ij. cum aqua propria, sive liquore acido, pro dosi sufficiunt.

Lignum Guajacum.

Guajaci arborem vivam, insignis crassitudinis, vidi in Horto, omni genere plantarum exoticarum, magnis sumptibus comparatarum, referto, R.D.D. de Puech. Decani Frising. &c. præter scammoneam veram, acatiam veram, &c. & plurima rara.

Guajaci arbor.

De *Guajaco* autem, ex Sennert. *L. 6. Pract. f. 163.* notandum, non tam probari nimis recens, etiamsi videatur succosius, quàm utcunque senex & adultum; modò non cariosum sit. Sicut etiam ille de reliquis quoque plantis malè judicat, qui statuit, quò planta est junior, eò in virtute etiam sua perfectiorem esse. Solet enim idem in plantis fieri, quod in homine, & reliquis viventibus; ubi vires non ab alimentario calido & humido, sed à naturali, æstimantur. Ita puer, vel infans, multum quidem calidi innati habet; virtutis autem parum: quia obruitur à calido alimentitio. Sic etiam planta tenella, quamvis humidi radicalis multum habeat; perfectior tamen actio ope illius editur in adultiore. Eodem loco, paulò pòst, præfert Sennertus, inter varias formulas, quæ ex ligno fiunt, reliquis *Decoctum*. *Extractum* quippe, ait, in malo inveterato non esse sufficiens;

Guajaci electio.

Herbarum vires.

Ætas imperfecta.

Ligni Decoctum.

Oleum, per retortam destillatum, tutò non exhiberi: Fructûs & Folia, ut & ipsum Lignum, in Pulverem redactum, & cum melle & saccharo in Elect. coctum, vires suas non posse exerere. *Spiritus* autem *Ligni* commodè usurpatur; sed difficulter acquiritur: longiore enim & diligentiore digestione ac fermentatione indiget.

Præstantissimum, & non vulgare remedium hujus affectûs, vide apud Barth. Turrianum, *in Bufiatr. f. 321.* ubi paulò antè proponit etiam *Extractum Guajaci.*

Extractum.

Addimus *Decocto ligni spiritûs sulphuris gutt. aliquot*: siquidem sudores prolicit, & fit decocti moles paucior, virtus major: teste Theodor. Zwingero, apud Crat. *Epist. 267. f. 481.*

Modus decocti.

Modus præscribendi decoctum varius est, pro gravitate morbi, & Ægrotantis viribus. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 314.* hoc habet:

℞. *Ligni Guajaci*, *cortic. Ligni* ℥iß.
sarsæ parillæ, ana ℔ß. Infunde horis 24. in *aq. pluvialis* Mensuris tribus, h. e. ℔xij. idque lento igne, vase clauso, coque ad tertiæ partis consumptionem. In fine adde
rad. helenii ʒvj. *glycyrrhiz.* ana ℥ß.
baccar. juniperi, Dosis ℥v.

quiescat æger tertio, vel quarto quoque die, & sumat purgans appropriatum, quale est *Mercurius dulcis*, cum *diagrydio*, & *sale antimonii*, *magisterio gialapæ* &c. Quæ omnia fusè descripta, & per observationes demonstrata, invenies apud Eundem, *loc. cit. & seqq.* Ubi rectè ait, decocto ligni soli fidendum non esse, sed necessariò requiri etiam usum *Mercurii* variè præparati, & adhibiti intus & extra: utpote *proximi hujus luis alexipharmaci.* Ex hoc paratur *Corallinum Fuhrmanni*, *Aurum diaphoreticum*, *Panacea aurea*, *Aqua Mercurialis*: de quib. & eorum descriptionem, vid. ap. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 322. 323.* Etiam Zach. Riverio, *in Praxi Medicâ, fol. 15.* placet, in usu decocti sudoriferi perpetuò observandum esse, ut semel in septimana purgans aliquod

Mercurius præparat.

medi-

medicamentum propinetur, omiſsâ eo die potione ſudorificâ: quandoquidem per ſudores tenuior humorum portio ſaltem educatur, manente craſſiore, quæ per alvum expurganda eſt.

Quomodo per Mercur. dulc. aquam cauſticam, & deſtillatum ligni, in Infante ſex menſium curaverit luem Veneream, vid. Horſt. *Oper. Tom. 2. p. 321. Obſ.* 11. Optandum certè eſſet, ut methodus talis etiam alibi, & præſertim in Noſocomiis, in eum finem fundatis, introduceretur, ne, dum promiſcuè curantur Ægri, nullâ, vel paucâ ſaltem habita ratione ætatis, ſexûs, virium, habitûs corporis, morbi gravitatis vel levitatis, miſeri torqueantur magis, quàm bene curentur. Propterea multi eandem curam bis térve ſubire opus habent, & nihilominus, tandem viribus exhauſtis, vel moriuntur, vel, malè curati, miſeram vitam trahunt: dum lucro ſoli turpiſſimo inhiant aſſiſtentes. In exhibendis tamen Mercurialibus magnâ cautela opus eſt & Medico & Ægrotanti: tutiusque eſt, præmittere Decoctum ligni: quod aliquando, ubi malum radicatum non eſt, ſolum ſufficit; aliquando per integros duos menſes continuari debet. Si verò ad *Mercurium* accedimus, oportet præmittere purgationes aliquot, & magnam habere rationem temporis, ætatis, virium, morbi, & perſonæ: ut rectè monet Guil. Fabricius, *f. 277.* & nos *ſupra* monuimus. Cautela.

Idem, *f. 492.* notat, neque ſudorifera, neque inunctiones Mercuriales adhibendas eſſe, priusquàm *Tophi* & *gummata* emollita, ulcera mundificata, & oſſa carioſa exempta fuerint; aliâs, indurari in ſcirrhos, ait, & fruſtraneam eſſe curationem; tenui ſcil. materiâ per ſudorem diſcuſsâ, craſſiore remanente & repullulante, prioresque tophos, & ulcera aliquando etiam graviora generante. Tophi luis Ven.

Emolliuntur autem *Tophi* per *Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio Vigonis, Emplaſt. de cicuta, de rhabarbaro:* Item ex Hollerio & Paræo, *plumbi laminâ hydrargyro illitâ. Mundificantur ulcera* ipſo Emplaſtra

ra ipso *Ligni decocto*. *Ossa* verò *cariosa* Chirurgiam requirunt laboriosam. Ichoribus vel herpetibus Gallicis, in capite subortis, inungit Lotichius, *fol. 539.* spumam, quæ decocto Ligni supernatat.

Suffumigia, Vino interdicendum. Prosunt nonnunquam & *Suffumigia*: in quorum tamen usu à *Vino* abstinendum. Nam *Vini* potio eo tempore, unà cum argẽto vivo, paralysin facere dicitur Forest. *l. 32. Obs. 17. in Scholio. Vinũ* quippe nervos debilitat, ut Mercurio resistere minùs possint.

Penis ulcus. Plerunque Lues hæc primò se prodit in *Pene*, quem *exulcerat*; nonnunquam etiam incipiendo in ipso meatu urinario, ita, ut Ægri in principio conquerantur tantùm de dolore ulceroso

Nöhrleins geschwer. hujus loci, von dem Rörleingeschwer. Quin imò ex pudore nonnunquam malum dissimulant tam diu, donec omnimoda exulceratio, & non rarò etiam gangræna, superveniat.

Ubi igitur apparet *Ulcus*, circumcirca admove *defensiva*, locum ipsum ablue cum *decocto scabiosæ*, *marrubii*, & præsertim *saponariæ*, & *Ligni*. Non enim solùm interiùs, ad sudorem eliciendum, & sangvinem purificandum; sed & exteriùs, in ulceribus malignis, ea scil. abluendo, utimur *decocto Gvajaci*. Cave ab *Oleis*, & *Ungventis pingvibus*. Utere imprimis, post ablutionem, quod ℞. *Vitell. ovi ad duritiem coct.* N. j. *mellis* ℥j. M. super lento igne; ebulliant; dein adde *Mercur. sublim.* ʒß. Postquam ulcus mundificatum fuerit,

℞. *Aloes opt.* ʒß.	*mellis* ʒß.
croci Martis ʒij.	*terebinth.* ʒij.
thuris,	*vitell. ovi* N. j.
minii, ana ʒj.	Fiat, l. a. Ungvent.

Abstine à *Mercurio*, si ulcus jam mundatum. Si verò *intra glandem*, vel in ipso *meatu*, ulcus penis lateat, per siphonem talia injice: vel ℞. *Mercurii præcipit.* ʒj. *sublimati* ʒj. *plumbi usti* ʒij. Tere in pulverem subtiliss. & ablue cum *aq. rosar.* sæpius; deinde siccentur in umbra. Postea

℞. *Ping.*

℞. *Ping. suilla sine sale* ℔ß. *cera alba*. ℥ij. Dissolve super igne, & adde *pulverem prædictum*, & *camphor*. ℈ij. F. Linimentum, quo inunge *candelas* ex *cera alb*. ℥j. & *terebinthina* ℥iß. & impone meatui urinario. Hæc ex Sennert. *L. 6 Pract. part. 4. c. 23.*

Fiant etiam *Unguenta* ex *Hydrargyro*, & inungantur articulis morbo Gallico laborantium; sed oportet præmittere præmittenda, ac rationem habere temporis, ætatis, virium, morbi, & Ægrorum: aliàs remedium est periculosum & Ægro & Chirurgo; ut habet Guil. Fabric. fol. *277.* Conf. Sennert. *libr. 6. Pract. pag. 201.*

Modum, quo quis *cum infecta muliere impunè concumbere possit*, parum Christianè docet Magninus, *de Tabaco, fol. 157*, sed, ne juventuti author sit ad libidinem, Græcè docet, quasi incognitâ linguâ occultaret vitium; postea verò verbis explicat Latinis, ut nemo non intelligat, quid velit; *Succo* scil. *Tabaci* munire genitalia. Infectionis præservatio. Succus Tabaci.

Signum victæ malignitatis in hac Lue notat Horst. si medicamentum purgans satis violentum, aliquoties exhibitum, imprimis bene & copiosè purget, tandem autem omnino nihil operetur, propter materiæ scil. defectum. Quod idem evenire potest in aliis morbis: & propterea medicamentum, sæpius datum, etsi optimè purgaverit, si iterum dederis, ubi corpus sufficienter purgatum est, nihil, vel parum, educet, obstupescente Medico & Ægrotante. Prognosticum. Purgatio.

Integer *Tractatus de morbo Gallico* lectu dignus est in *Consil. 38.* Craton. *à pag. 1042. usq. ad 1055.* ubi *pag.* 1050. causam Calvitiei etiam pulchrè explicat.

Plica Polonica.

Ex singulari etiam corruptione sanguinis oritur capillorum illa affectio, & intricata convolutio, quâ Polonorum natio sæpe vexatur; à quibus etiam nomen traxit, *Plica Polonica*: de qua vide Sennert. *L. 5. Pract. f. 322. & seq.* & Jonston. *L. 6. f. 274.* Plica Polonica.

CAPUT

CAPUT III.

De Lienis Affectibus.

Lienis usus. DE *Usu Lienis* multa disputantur: veriora sunt, quæ Horst. habet, *Oper. Tom. 2. p. 367.* ubi, Lienem, ait, attrahere crassiorem chyli partem, potu superveniente dilutam, sanguinis, ad sui & aliarum partium nutritionem generandi gratiâ. Hinc colligitur, meliùs facere eos, qui in mensa tardiùs bibunt, & liquidiora cibaria præmittunt, ut famelicum hepar habeant, quod citò attrahat, sine offensione; & tardior lien succo suo, quo delectatur, proprio non destituatur; sed familiaris ipsi materia, crassior scil. chylus, sero, h.e. potu, dilutus, pro concoquendo, paulò tardiùs suppeditetur. Sed hîc duæ hypotheses ponuntur, quæ explicatione indigent. I. quòd citiùs hepar attrahat. II. quòd ventriculus tam citò cibum prægressum subtiliorem, mediæ mensæ spatio, pro hepate expediat, antequam potus superveniat, adeoque chylus hepati & lieni destinatus misceatur. Sed nihil obstat, etiamsi materia chyli maturè confundatur. Nam naturæ consuetum, & omnibus partibus innatum est, familiarem sibi succum attrahere. Ita testes residuum concoctionis ultimæ; mammæ sanguinem superfluum pro lacte alliciunt, &c. Idem ferè, *de Usu Lienis*, sentit Sennertus, *in Instit. à pag. 61. usq. ad pag. 67.* & *libr. 3. Pract. à pag. 46*; ubi, lienis usum esse, ait, ut chyli partem impuriorem ad se trahat; idque ex singulari naturæ providentiâ: ut scil. purior sangvis, in hepate elaboratus, nobilioribus membris in alimentum, & spiritibus in materiam cedat: reliquus verò chylus, non solùm per lienem utcunque defecatus, sed & in sangvinem sui generis mutatus, ignobilioribus membris, ut ventriculo, vesicæ, intestinis, renibus &c. nutriendis destinatus est. Debebit itaq; lien necessariò in attractione hepati cedere, & meliorem chyli

Potus maturus.

partem

partem relinquere, si tardè sequitur potus: quia chylus sine sero à liene non appetitur, nec eò commodè fertur.

Etiam Petro Monavio, apud Crat. *Epist. 288. f. 429.* placet corum sententia, qui asserunt, *lienem* non minùs, quàm hepar, *sangvificare.* Ubi, ex alterius auctoritate, tribus utitur rationibus. I. Omnis pars, quæ publico officio præest, vel gemina, vel in medio corporis sita est: ergo & hepar, quod dextrum latus occupat, socium requirit. Non potest autem habere alium, quàm lienem. II. Lien eandem habet structuram. III. Ob læsam sangvificationem non minùs *Lien* afficitur, quàm hepar. Exemplo sit cachexia, hydrops, scorbutus, febris quartana, melancholia hypochondriaca &c. ubi citiùs lienem dolentem videris, quàm hepar. Atqui ubi dolor, ibi morbus. Hîc tamen doloris situs, & species, dignoscenda. Solet enim *latus sinistrum*, post cibum sumptum, & subsequens violentum exercitium, præsertim equitationem, nonnullis *dolere*, non ob vitium lienis; ut bene notat Sennert. *L. 3. Pract. f. 498.* sed quòd peritonæum eò loci à partibus, quarum tunicis pertinaciter adhæret, trahitur, & quasi avellitur: quod fit à *flatibus*, eo modo, ut in aliis membris *Spasmus flatulentus* excitatur. Equidem nihil obstare puto, quin etiam flatûs illi in *lienis parenchyma* sese possint insinuare, & sic lienem ipsum affligere, ejusque dolorem causare. Propterea à cibo sumpto exercitium vel nullum, vel non, nisi moderatum, instituatur; ne concoctio, quæ fit in quiete, turbetur, & flatûs concitentur.

Lien sangvificat.

Dolor sinistri lateris.

Spasmus flatulentus.

Dictum est *paulò antè*, non minùs competere *Lieni sangvinis confectionem*, quàm hepati: siquidem illo malè disposito, plures ferè affectûs p. n. generantur, quàm hoc. Sit, mœstissimi exempli loco, Sacratissimæ memoriæ Romanorum Imperator, Ferdinandus III. qui, plurima melancholicis hypochondriacis communia perpessus incommoda, lienè meritò accusasset ut sui officii immemorem, si, quod Anatomia tandem docuit, &

Confirmatur.

 pru-

CAPUT III.

De Lienis Affectibus.

Lienis usus. DE *Usu Lienis* multa disputantur: veriora sunt, quæ Horst. habet, *Oper. Tom. 2. p. 367.* ubi, Lienem, ait, attrahere crassiorem chyli partem, potu superveniente dilutam, sanguinis, ad sui & aliarum partium nutritionem generandi gratiâ. Hinc colligitur, meliùs facere eos, qui in mensa tardiùs bibunt, & liquidiora cibaria præmittunt, ut famelicum hepar habeant, quod citò attrahat, sine offensione; & tardior lien succo suo, quo delectatur, proprio non destituatur; sed familiaris ipsi materia, crassior scil. chylus, sero, h.e. potu, dilutus, pro concoquendo, paulò tardiùs suppeditetur. Sed hîc duæ hypotheses ponuntur, quæ explicatione indigent. I. quòd citiùs hepar attrahat. II. quòd ventriculus tam citò cibum prægressum subtiliorem, mediæ mensæ spatio, pro hepate expediat, antequam potus superveniat, adeoque chylus hepati & lieni destinatus misceatur. Sed nihil obstat, etiamsi materia chyli maturè confundatur. Nam naturæ consuetum, & omnibus partibus innatum est, familiarem sibi succum attrahere. Ita testes residuum concoctionis ultimæ; mammæ sanguinem superfluum pro lacte alliciunt, &c. Idem ferè, *de Usu Lienis*, sentit Sennertus, *in Instit. à pag. 61. usq. ad pag. 67.* & *libr. 3. Pract. à pag. 46*; ubi, lienis usum esse, ait, ut chyli partem impuriorem ad se trahat; idque ex singulari naturæ providentiâ: ut scil. purior sangvis, in hepate elaboratus, nobilioribus membris in alimentum, & spiritibus in materiam cedat: reliquus verò chylus, non solùm per lienem utcunque defecatus, sed & in sangvinem sui generis mutatus, ignobilioribus membris, ut ventriculo, vesicæ, intestinis, renibus &c. nutriendis destinatus est. Debebit itaq; lien necessariò in attractione hepati cedere, & meliorem chyli

Potus maturus.

partem

partem relinquere, si tardè sequitur potus: quia chylus sine sero à liene non appetitur, nec eò commodè fertur.

Etiam Petro Monavio, apud Crat. *Epist. 288. f. 429.* placet eorum sententia, qui asserunt, *lienem* non minùs, quàm hepar, *sangvificare.* Ubi, ex alterius auctoritate, tribus utitur rationibus. I. Omnis pars, quæ publico officio præest, vel gemina, vel in medio corporis sita est: ergo & hepar, quod dextrum latus occupat, socium requirit. Non potest autem habere alium, quàm lienem. II. Lien eandem habet structuram. III. Ob læsam sangvificationem non minùs *Lien* afficitur, quàm hepar. Exemplo sit cachexia, hydrops, scorbutus, febris quartana, melancholia hypochondriaca &c. ubi citiùs lienem dolentem videris, quàm hepar. Atqui ubi dolor, ibi morbus. Hîc tamen doloris situs, & species, dignoscenda. Solet enim *latus sinistrum*, post cibum sumptum, & subsequens violentum exercitium, præsertim equitationem, nonnullis *dolere*, non ob vitium lienis; ut bene notat Sennert. *L. 3. Pract. f. 498.* sed quòd peritonæum eò loci à partibus, quarum tunicis pertinaciter adhæret, trahitur, & quasi avellitur: quod fit à *flatibus*, eo modo, ut in aliis membris *Spasmus flatulentus* excitatur. Equidem nihil obstare puto, quin etiam flatûs illi in *lienis parenchyma* sese possint insinuare, & sic lienem ipsum affligere, ejusque dolorem causare. Propterea à cibo sumpto exercitium vel nullum, vel non, nisi moderatum, instituatur; ne concoctio, quæ fit in quiete, turbetur, & flatûs concitentur.

Lien sangvificat.

Dolor sinistri lateris.

Spasmus flatulentus.

Dictum est *paulò antè*, non minùs competere *Lieni sangvinis confectionem*, quàm hepati: siquidem illo malè disposito, plures ferè affectûs p. n. generantur, quàm hoc. Sit, mœstissimi exempli loco, Sacratissimæ memoriæ Romanorum Imperator, Ferdinandus III. qui, plurima melancholicis hypochondriacis communia perpessus incommoda, lienẽ meritò accusasset ut sui officii immemorem, si, quod Anatomia tandem docuit, &

Confirmatur.

prudentissimi Personæ Medici pridem præviderunt, lienem admodum parvum, &, præter formam ipsi naturaliter competentem, intus & extra rubicundum, potuisset animadvertere. Sed placet, historiam morbi & mortis, à Sacratissimæ Personæ Medicis, Superiorum jussu, descriptam annectere.

Ferdinandi III. mors.

Relatio.

Fatalis morbi, quo Ferdinandus III. Romanorum Imperator, Hungariæ & Boemiæ Rex, &c. secunda Aprilis, Anni M. DC. LVII. est extinctus:

Ferdinandus Tertius, Romanorum Imperator Augustus, cujus memoria sit in benedictione, Grazii, Anno M. DC. VIII. die XIII. Julii natus, quamvis ingenii vires summo Principe dignas, attamen infirmam nactus est corporis, præsertim pedum, constitutionem, plerisq; Austriæ Archiducibus familiarem: quâ quidem factum est, ut crebris artuum doloribus, hoc est, chiragrâ & podagrâ, à quinquennio adeò enervatus, ac tandem usu pedum omnino privatus, vitam sedentariam ducere cogeretur; & quidem tendines, utrumq; genu investientes, penitus contracti fuerint, nec illos ullo modo in rectum extendere, vel iisdem insistere potuerit. Hoc ipso insuper, citra omnem corporis motum, quo calor ventilari, ciborum concoctiones promoveri, humores superflui liquefieri, & phlegma ad ventriculi fundum demitti debuisset, magnam cruditatum colluviem contraxit; quæ, subinde ventriculum irritans, vel vomitu fuit rejecta, vel, ad secundæ coctionis viscera præcipitata, contumaces, jecoris præsertim, lienis, & mesenterii obstructiones induxit: &, cùm vitium primæ coctionis non emendetur in secunda, copiosâ humorum collectione calor viscerum obrutus, ideoq; his devincendis impar, flatûs, borborygmos, & abdominis murmura suscitavit, qui, non solùm deorsum, sed etiam sursum, violenter erumpentes, crebros causarunt ructûs. Frustratâ hoc modo utraq; concoctione, sanguis corpori alendo admodum ineptus fuit generatus; cujus fex crassior, propter splenici & mesenterici rami oppila-

oppilationem, per vas breve in lienem ingredi prohibita; partim deorsum, ad venas hæmorrhoidales profluens, in illarum exitu hypersarcoses, & fistulam, perpetuâ sanie madentem, produxit; partim, per supernum ventriculi orificium, in illius cavitatem protrusa. Fel insuper, ob cholidochi obstructionem, ad intestina delabi prohibitum, in ventriculum regurgitavit, vel, subtiliori sui parte in habitum corporis diffusâ, faciem potissimùm pallido & subfusco colore infecit. His omnibus corporis indispositionibus accesserunt assiduæ & gravissimæ animi curæ, pro quiete Imperii & Regnorum conservandâ; quæ modicum sanguinem ad cor attrahebant, & spiritûs insitos dissipabant, caloremq́; nativum sensim extinguebant. Eâ de causâ jam à tribus annis non fuimus ausi venam aperire; ne subitò omni humido, vitæq́; thesauro evacuato, appropinquantem vitæ terminum abbreviaremus. Observavimus enim, & potissimùm in reditu è Bohemia in Austriam, etiam optimâ victus ratione, è cibis optimi succi, & facillimæ coctionis, institutâ, paulatim non tam corporis, quàm ingenii vires magis magisq́; debilitari, corpúsq́; somnolentum & fessum reddi; ut, nisi summa urgeret, Consiliarios interpellantes audiendi, necessitas, interdiu, præ totius lassitudine, lecto decumbere cogeretur. Caloris deniq́; exiguitatem demonstrabant nobis urinæ tenues, assumpto potu, duplo aut triplo copiosiores, aliquot etiam septimanis lactescentes, & penitus inodoræ, omni salsedine seri carentes; posteà subitò, ob Filii nativitatem, è gaudio concepto, residuo nimirum calore resuscitato, meliùs coloratæ, sed absq́; omni enæoremate vel sedimento; utpote, quibus nihil humorum, coctione & separatione nondum inchoatâ, nec salsum sanguinis excrementum, permiscebatur.

Tandem, cùm VIII. Martii à Venatione domum rediisset, pejùs habere cœpit, ac X. ejusdem Mensis humoris melancholici fecem, copioso phlegmati permistam (uti præteritis annis aliquoties) vomitu rejecit: simulq́; hæmorrhoidum fluxus, ut & ibidem fistula saniem profundere cessavit, & exaruit: vomitus item nullis antea sæpius expertis remediis potuit inhiberi. Accessit ad humorum anacatharsin

etiam bilis in ventriculum effusio, quæ acrimoniâ suâ ardorem in stomacho causabat, &, superius orificium rodendo, ad vomitum cogebat: quem, suo more, digitis in fauces immissis, procurabat: è cujus evacuatione, per breve temporis spatium, Se meliùs habere, referebat: donec nova bilis, & humoris melancholici (non tamen atræ bilis) in ventriculum fieret regurgitatio; quæ, membranas vellicando, singultum quasi continuum excitabat, & ardore suo ad novum vomitum urgebat: &, licet remedia, aliâs Sibi efficacissima, promptissimè intus & foris admitteret, eorundemq; usu per horam unam aut alteram vires recipere videretur; nihilominùs paulò pòst, ob nativi caloris decrementum, sensibus externis paulatim deficientibus, in deterius relabebatur.

Ultimo igitur Martii, post copiosum humorum vomitum, Se ad imminentem vitæ terminum disposuit, &, Exomologesi expiatus, Viatico salutis etiam ritè suscepto, Paschatis Dominicam, inter continuas preces, quietam transegit: Sacro demum Oleo unctus, die II. Aprilis, Anno scil. Climacterico (quem aliquoties sibi fatalem prænunciabat) omnis febris ac doloris expers, post quartam horam matutinam, caloris nativi defectu, sub ipsa, ante lectum, Sacrificantis Presbyteri Benedictione, placidissimè Deo animam reddens, exspiravit.

Sequenti aurorâ Corpus exanime, balsamicis Linimentis condiendum, adstantibus aliquot Pientissimè defuncti Cæsaris Consiliariis, fuit evisceratum: in quo Cerebrum, ceterà penitus salvum, præter humorem aquosum, qui, duræ meningi copiosiùs infusus, somnolentiam ultimis mensibus Ei causavit. Dextrum Genu discissum, calcis tophos; sinister Talus, acre serum in se continebat, utriusq; Pedis motum impedientes: Tendines adeò contracti & aridi, ut in rectum extendi non potuerint. De reliquo, Suræ quasi excarnes, prout etiam Brachia nutrimento destituta, fuerunt ad maciem extenuata: Ventriculus, tametsi pridie mortis sex biliosi & melancholici humoris libras vomitu rejecerat, attamen ejusdem excrementi (putà corrupti, & ad ventriculum affluentis sanguinis: unde in venis nullus sanguis

guis reliquus) *libras duas in se continebat; cujus acrimonia fuit tanta, ut casu aliquot guttulæ, in argenteam pelvim decidua, acrimonia sua non secus, ac aqua vitriolata, metalli nitorem alieno colore maculatint. Cæterùm Ventriculi Tunica tam circa pylorum, quàm orificium superius, & per totam stomachi membranam, instar subtilioris chartæ erant extenuatæ: Vas breve, ante lienis ingressum, sua fece obstructum: Lien admodum parvus, & per totum intus & extra rubicundus: Pancreas nigerrimum, & quasi induratum: Hepar in dextro lobo jam scirrhosum: in Cysti Fellea nec una quidem fellis guttula, quantumvis diligenter inspectâ: Cholydochus, ad intestina directus, induratus & obstructus; alter ventriculo insertus, ut & vas breve, peramplus: Pulmo totus utriusq; humoris, melancholici, & biliosi, tincturâ denigratus, dextra parte membranæ costas succingenti agglutinatus, musculis intercostalibus jam corruptis, ac digito prementi pervius: Cor verò, & reliqua, nullo vitio laborabant. Unum est notabile; quod omnes demirati sunt; tametsi nulla præcesserit, per triennium, venæsectio, vel alia sanguinis evacuatio (præter eam cruoris partem, quam Hæmorrhoides stillabant) quantumvis Portæ & Cavæ venarum truncos studiosè dissecari jusserimus: intus tamen, & in vasis, & ipsius cordis sinubus, ne quidem libram dimidiam sanguinis potuimus exhaurire; adeò, ut omnium Heroum memoriâ dignissimus Imperator, ex defectu convenientis chyli, & caloris innati paupertate, congruam sanguinis, nutriendo corpori, & vitæ sustentandæ copiam conficere non potuerit; ideóq; horum defectu, præmaturè nimium obire illum oportuerit.*

Omnibonus Ferrar. *l. de Infant. morbis, f. 239. Spleni* mirum in modum convenire, ait, si ℨj. *Pulveris ceterach* quotiedie sumatur. Splenetí-cum.

Chalybis cum *aceto pp.* usum commendat Guil. Gilbert. *de Magnete, L. 1. f 34.* in *Liene tumido*, sed non in *scirrhoso*: exiccaretur enim adhuc magis lien: idem intelligit de hepate. Huic contradicit Horst. *Oper. Tom. 3. p. 77.* ubi non quidem in *substantia*, sed in *infuso*, commendat *chalybem, priùs in aceto lotum.* Chalybs.

Chalyb. præparationes.

Planè autem non conveniunt Auctores, in *præscribendo* & *præparando Chalybe*. Vide Horst. *loc. cit.* ubi monet, extinguendo chalybem in aqua conveniente, primam aquam esse abjiciendam, si chalybs recens fuerit: talem enim non constricturum, sed potiùs alvum laxaturum & aperiturum.

Idem, *Op. Tom. 2. p. 188. Chalybem* sic *præparat* : *Terantur in pulverem acûs Hispanicæ, quæ fiunt ex chalybe maximè depurato, & abluantur sæpius cum vino : dein' superfunde aceti acerrimi q. s. In tigillo tam diu coque, donec chalybs candescat. Is deniq; lavigetur in marmore.* Idem, *ibid. p. 507.* rectè improbat *Chalybis præparationem* cum *sulphure*, ob fœtorem sulphuris nullâ arte separabilem.

Barth. Turrianus, *in Iatrobulia, fol. 279.* improbat *Chalybem* cum *aceto* super lapidem in pulverem tritum, & ad obstructiones viscerum propinatum. *Nam talis*, inquit, *nihil aliud est, quàm chalybis rubigo & situs, qui nihil distat à ferri rubigine; quæ, juxta Dioscor. de med. mat. l. 5. cap. 84. restringit, sistit fœminarum profluvia, admota, potuq; præstat, ne concipiant, adeoq; contrarios nostræ expectationi & proposito effectûs generat.* Sed præcavetur, ne in rubiginem abeat, si citò & continuò super lapidem agitetur, & statim pòst exiccetur. Sic quotidiano nobis quoque usui est.

Riverius quoque, *fol. 34.* singularem *Chalybis præparationem* proponit, & ex hac spumam facit hoc modo : ℞. *Limaturæ Chalyb.* ℔ß. *vini albi* ℔iß. *misce in vase vitreo, & lentè fervere sinito, continuò agitando, usque ad decimam ebullitionem, quousq; spumosum sursum feratur. Tunc spumosum cum vino simul separa, & iterum affunde vinum, coque, separa; idq; quatuor vicibus: dein collectam spumam & vinum lento igne coque ad consistentiam mellis*, & servetur ad usum, qui talis : ℞. *Chalyb. prædicto modo præparati* ℥vj. *sem. petrosel. dauci, spec. diacurcumæ, diarrhod. abb.* ana ℥j. *cinam.* ℥ß. *cum melle despumato, fiat Opiata* : de quâ capiantur ℨiij. vel ℥ß. singulis diebus manè.

Obste-

Obstetrix Gallica, *Parte 4. fol. 34. Leucophlegmatia virginum* medetur chalybe ignito tantùm, & lævigato. Si enim extinguatur ignitus, illum omnino, ait, vim suam perdere. Leucophlegmatia.

Sacratissimus Imperator Ferdinandus III. P.M. Anno 1555. pro cura Verna, ex consilio Medicorum, solius *Limatura cruda in vinum passulatum infusione* utebatur; quam manè colatam & filtratam frigidè bibebat, &, in curru vectus celeriter (quia pedibus uti non poterat) sese per horam exercebat.

Tincturam chalybis elicies ex nigro rubescentem, per affusum spiritum vitrioli, vel succum citri. Hanc filtra, & in pelicano circula: & tinctura tam non erit acida, ut etiam, sine liquore addito, Julapii subdulcis instar, deglutiri possit, in morbis chalybis usum postulantibus. Tinct. chalybis.

Ad Lienis affectûs meritò refertur chronicus ille morbus, *Melancholia hypochondriaca*: cujus causas & symptomata pulchrè enarrat Horstius, *Oper. Tom. 2. à p. 189. & 543.* Vide etiam Jonston. *L. 10. f. 578. & seq.* De usu chalybis, & qua ratione operetur in hoc morbo, vid. Sennert. *Libr. 3. Pract. part. 5. sect. 1. c. 6. pag. 534. & seqq.* Idem, *ibid. f. 507.* ubi *causam*, ejusque causæ sedem, in *Melancholia hypochondriaca* quærit, imprimis, ait, in vase brevi, tam venoso, quàm arterioso, maximam sæpe vitiosi humoris copiam contineri, & hinc maximum ventriculi & lienis consensum esse; ita quidem, ut lien per illud vas breve sæpe in ventriculum sese exoneret: quod videamus in iis, qui *sanguinem vomunt*; ubi vas illud amplietur ad calami scriptorii, imò etiam digiti minoris, magnitudinem. Exempla vide *loc. cit.* Ego tale vidi in Magnate quodam Austriaco sæpissime, in animi præsertim affectibus sanguinem evomente, nihilominus robusto, jam sene, plurium uxorum marito & filiorum parente, adhuc superstite. Melanch. hypochon. Causa. Vas breve. Sangvinis vomitus.

Riverius *Obs. comm. pag. 383. 384.* habet exemplum etiam *calculorum in liene* contentorum, & per vase breve, ex usu acidularum,

larum, vomitu, cum humoris atrabilarii magna copiâ, excretorum. Jus Regium delicatum, & speciale Analepticum in hoc casu, aliaque refectiva, ad virium reparationem & conservationem, vid, ap. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 158.* ex Observation. D. Stieberi, Medici Rotenburg. ad Tubarim.

Glandularum in mesenterio tumor.

Glandulæ in mesenterio factæ sunt, ad fulcienda vasa, ne concidant, & ita chyli sangvinisque distributio impediatur. Si itaque ipsæ *intumescunt*, comprimuntur per se vasa: & imprimis hoc præstare potest glandula illa insignior, in centro mesenterii, quæ primæ vasorum distributioni addita est, & quâ tumidâ, totius corporis marcorem, ob impeditam chyli distributionem, secutam fuisse, testatur Sennert. *L. 3. Pract. part. 5. sect. 1. cap. 5. f. 518.* Tumefacta autem proculdubio est, propter affluens serum nimis copiosum; quod glandulæ aliàs suscipiunt, & in hypochondriacis abundat.

Somnus interruptus.

Idem, *loc. cit. f. 525.* inter alia *Melancholiæ hypochondriacæ symptomata* recenset *Vigilias*, quæ imprimis post mediam noctem plerosque molestare solent; quod accidit proculdubio, dum chylus distribuitur, ac ad secundam coctionem, ad lienem, & ad vicina vasa pervenit. Tum enim humores vitiosi in iis latentes agitantur, & ex agitatis vapores elevantur, qui, per venas & arterias ad caput delati, *vigilias* excitant; quæ in nonnullis ad diem usque durant; in quibusdam verò, illis discussis, iterum redit somnus. Id quod mihi sæpe sæpius contingit, curis præsertim gravioribus occupato.

Vena S.

Idem Sennert. *loc. cit. f. 528.* probaret quidem *Venæsectionem* in *hypochondriacis*; sed quia materia morbifica in vena portæ, ejusque ramis, circa lienem hæret; illa autem vena portæ nullum ramum ad extrema corporis mittit, qui commodè incidi posset: ideò videtur ipsi quasi inutilis Venæsectio; exceptis

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoidibus, quæ venæ truncum venæ portæ agnoscunt. Hinc

Hinc fit, quòd apertio earum, vel voluntaria, vel artificiosa, tantopere melancholicos juvet, & splenem repurget.

Utimur *medicamentis digestivis*, vel *praeparantibus*, in morbis praesertim chronicis, humoribus pertinacibus, viis occlusis, post lenitam alv[illegible], ante justam purgationem. Veteres exhibebant tœdiosa decocta, infusa, apozemata longa. Recentiores, delicatulis consulentes, & per compendium curantes, praeponunt hisce *Digestivos Pulveres*, ex magisteriis, salibus, essentiis, variisque praeparatis. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 193.* in melancholia hypochondriaca, digestivi loco, hos duos praescribit; Med. digestiv. Pulv. digestiv.

℞. *Cremor. tartar.* ʒij. *sal absinth.*
fecul. aron. *carduibened.* ana ℈j.
bryon. ana ʒj. M. pro 4. dosibus, matutino tempore, cum *decoct. rad. petroselin.* vel *foeniculi* sumendis, additis aliquot gutt. *Elixir proprietat. Paracels.* Item ℞. *Mag. corall. rubr.* ℈j. *lap. spongiae* ℈ß. cum pauxillo *sacchar. cand.* M. & detur in *Decoct. rapar.* cum *corticibus*; ut earum ratione, propter amarorem, quem habent, decoctum valentiùs aperiat, penetret & incidat: quod in febre quartana etiam observandum. Decoct. raparum.

Ast caeteris omnibus palmam praeripit *Sal*, seu *Vitriol. Martis*; quod obstructiones aperit, viscera corroborat, earumque calidam intemperiem emendat. Dosis illius est à gr. xv. ad xx. cum liquore idoneo. Illius compositionem, paucis cognitam, Riv. *Prax. Tom. post. fol. 102.* hunc in modum tradit: ℞. *Ol. Vitrioli* vel *sulphur.* ℔ß. *spir. vini* ℔j. Ponantur in sartagine nova, & munda, & assere contegantur: intra xv. dies fiet per se salina concretio; quae Soli postmodum exponenda est, ut omnino exiccetur, movendo interdum cum spatula ferrea. Hyeme poterit exsiccari supra ignem lenissimum, aut in hypocausto. Usus autem illius sit diuturnus, *à gr. xij. usq; ad xx.* Sal seu Vitriol. Martis.

Quia verò affectus hic contumacissimus esse consvevit, *Purgationes periodicae* instituendae sunt, ut per intervalla corpus à

pravorum ſuccorum noxa liberetur. Conſultiſſimum autem eſſe, River. *c.p.* exiſtimat, *clyſteres purgantes* alternis diebus injicere: ſique inteſtina penitius ſubierint, poſſe etiam venas meſaraicas evacuare. Propterea illos in *Melancholia Hypochondriaca* commendat, iis præſertim, qui medicamenta reſpuunt.

Lienis duritiés. *Lieni Indurato*, vel *Obſtructo*, *inunge Ol. è ſucco cochlearia*, & *appone Empl. de cicuta*: hoc mirum in modum juvare, ait Guil. Fabric. *fol. 520.*

Lienis abſciſſio. Nugantur quidam, Equis & Curſoribus, ad velociorem curſum, *Lienem exſcindi*; quod omnino falſum eſt: & facit huius fabulæ mentionem etiam Primiroſius, *f. 524.* Alii exiſtimant, Equo frenum ſub lingvâ demi, &, quia lingva lienis ſimilitudinem habet, putant, lingvam pro liene ſumi.

Scorbutus.

AD Lienis morbos *Scorbutus* pertinere videtur: quia fit ex depravata per modum occultum & ſpecificum ſangvificatione: propterea appropriatis etiam & ſpecificis debet curari medicamentis.

Deque eo ſcribit Horſt. ita cenſente Gremſio, ad mentem Helmontii: hunc affectum fieri propter vitium lienis & ventriculi. Si enim lien melancholiam acidam (ita autem fermentum vocat) ad fermentationem primæ concoctionis neceſſariam, non genitam mittere poteſt; tum ſtomachum munus ſuum ritè non exequi, generando multum ſalis fixi, quod colligitur in primis viis, atque corrumpitur: & exinde talia excitari ſymptomata, ut eroſiones, ulcera. Quamobrem fermentationem promoveri debere per ea, quæ fixum volatile reddere poſſunt; & fugienda eſſe, quæ in ſe multum habent ſalis fixi. Vid. Grembs. *pag. 196. §. 97.*

Wierus, *in libr. Obſerv. de Scorbut.* quamvis videatur diligentiſſimè in naturam Scorbuti inquirere, de eaque diſcurrere; ſubſi-

subsistit tamen tandem in causis ex humoribus qualitatibus manifestis agentibus: quod symptomatum varietas, & morbi malignitas non admittit. Meliùs autem à Sennerto describitur: quem vid. Remedia.

Eúmque etiam agnovisse, & per *Signa* descripsisse verè videtur Celsus, *l. 2. c. 7.* his verbis: *Quibus*, inquit, *magni sunt lienes, his gingivæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliquâ parte prorumpit. Quorum si nihil evenerit, necesse est, in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant.*

Remedia autem ejus, in primo gradu, sunt *cochlearia*; in secundo, *nasturtium aquaticum*; in tertio, *chelidonium minus*; in quarto, *anagallis aquatica*; in quinto, *sedum minus*. Ex his facimus *Conservas, Syrupos, Pulveres*. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 338.* & *383.* & *seqq.* ubi *succi cochleariæ* v. g. propinat ℥ij. ad ℥viij. cum *vino*, vel *sero lactis*. Idem, *d. l. pag. 379.* (vid. & *Tom. 3. pag. 4.*) monet, *Scorbuticos* syrupis cum *sacchari* coctis curandos non esse: quia *Saccharum* minùs est depuratum, obstructiones auget, calefacit &c. Præstat itaque *mel* vel *oxymel* substituere, vel omnino utrumque omittere. Sic, *Oper. Tom. 2. pag. 442.* componit *Mixturam*, quæ Sacchar. noxa.

℞. *Summit. lupuli* M. vj.	*h. rutæ virid.*
herb. nasturtii aq.	*absinth. rec.* ana Mß.
anagall. aq.	Cum *aq. fumariæ* q. s.
chelidon. min. recent.	contund. & f. expressio. De hoc
ana Miiij.	expresso depurato

℞. ℥iiiß. *seri lactis capr.* ℥j. M. & exhibe pro *sudorifero* sæpius. Interim corpus evacuandum *Rhabarb.* cum *Tartar. Vitriolat.* &c. Sudorifer. Purgatio.

Guil. Romanus, Med. Naumburgensis, in *Scorbuto* singulariter commendat *Lap. bezoar.* Tantum enim sudoris promovere credit, quantum vix decoctum ligni. Bezoar.

Lienosis, dysenteriâ correptis; post longam dysenteriam succedentem, hydrops aut lienteria advenit, & moriuntur. Hipp. l. 6. aph. 43.

Lienosis dysenteria superveniens, bonum. l. 6. aph. 48.

Qui sangvinem vomunt, siquidem citra febrim, salutare; sin' cum febre, malum. Curandum autem refrigerandi & adstringendi vim habentibus. l. 7. aph. 37.

Sangvinem supernè quidem efferri, qualiscunq; sit, malum: infernè verò, si niger dejiciatur, bonum. l. 4. aph. 25.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut per vulnera, aut per alium quemvis modum extenuatis, atra bilis, aut velut sangvis niger subierit, postridiè moriuntur. l. 4. aph. 23.

Dejectiones nigræ, qualis est sangvis niger, sponte prodeuntes, & cum febre, & sine febre, pessimæ. Et quantò plures earum colores fuerint, tantò pejus. A medicamento autem meliùs, & quantò plures colores non pravi. l. 4. aph. 21.

CAPUT IV.

De Renum, & Vesicæ affectibus.

Calculus. DE *Calculo* eleganter scripserunt Charleton, & Benevivicius. Ex Horst. *Oper. Tom. 2. p. 224. 230. 231. 232. 233.* colligitur, ad *calculi generationem* nihil facere *renum calorem* simpliciter: qualis in vivente mixto fingi non possit, ut calculos, quemadmodum externus calor lateres, coquat. Neque etiam sufficit *dispositio renum lapidifica*: hinc enim sequeretur, ipsam renum facultatem ad generationem calculi concurrere: quod inclementiùs dictum esset contra naturam providam; quasi illa omnes homines, renes habentes, calculo obnoxios reddidisset. Quin & ipsa *materiæ dispositio* ad calculum generandum non sufficit sola. Nam multos novimus, caseo, lacte, farinaceisque cibis vesci solitos, renes insuper habere calidissimos; calculo

Calculi generatio.

culo tamen minimè esse obnoxios. Ergo aliquid plus, præter hæc, & illam, quam Fernelius non explicavit, *diathesin* requiritur, ut calculus generetur. Multum autem hûc confert *meatuum laxitas*; imò & *renum densitas*, & *vasorum angustia*, diutius materiam coagulandam retinens; accedente simul *siccitate*, & *expultricis debilitate*. *Calor* autem *renum*, ut adjuvans, hinc non penitus excluditur. Dixi, *meatuum laxitatem* multum quoque conferre: illâ enim præsente, materia densa, viscosa, calculoque proxima, faciliùs influit. Hinc *pueri* faciliùs *calculo vesicæ* laborant, materiâ non tam copiâ, ex voracitate, turgente, quàm per vias laxas citiùs defluente. In *senioribus* verò viæ fiunt angustiores, adeoque materia (copiâ etiam, propter perfectiores coctiones, non præsente) in renibus communiter subsistit: ut rectè colligitur ex Horst. *Oper. Tom.3. p.84.* Confer & *citata supra loca.* Pueri calculosi in Vesica magis: Senes in Renibus.

Causam efficientem calculi *calorem* esse, asserit quidem Crato, *Consil. 144. f. 407.* agnoscit tamen, præter calorem, peculiarem *vim lapidificam* inesse ipsi materiæ. Confirmatur id experientiâ materiæ, in calculosis excretæ, per vesicam (qualem tenacem, glutinosam, pallidam, copiosissimam, vidi in Illustr. D. D. Geier, Dno in Gleis, ad Ybsam &c. Hanc si in linteo suspenderis, in lapidem, ob copiam salis, concrescet: quod ob mollitiem ejus materiæ non crederes: teste Sennerto, *de consf. & dissens. Chym. cum Gal. f. 303.* Rationem talis viscidæ excretionis innuit Idem, *L.3. Pract. f.882.* provenire scil. vitio concoctionis primæ & secundæ; vi cujus multæ cruditates genitæ à renibus violenter attrahuntur; & sic, quidquid in corpore p. n. genitum est, per hanc viam jam consvetam natura expellit. Causa efficiens. Urinæ sedimentū mucosum in calculos concrescit.

Et rectè quidem River. in pest. *l. 14. c. 2.* urinam mucosam, vel, ut eam Zechius nominat, argillosam, inter signa *calculi vesicæ* ponit. Causam verò hujus lenti humoris quærit in vitio peculiari vesicæ, & putat, ipsum nutrimentum ad mem-

brum debilitatum copiosiùs affluere, & sic corrumpi. Meliùs autem, à Sennerto, adscribitur causa hujus humoris lenti vitio primæ & secundæ coctionis; vi cujus multæ cruditates genitæ à renibus violenter attrahuntur; & sic, quicquid in corpore p. n. genitum est, per consvetam hanc viam natura expellit; non verò tertiæ, quæ fit in quolibet membro peculiariter nutriendo. Credibile enim est, & rationi consonum, quàmplurimos calculum in vesica gestare, sine vesicæ vitio; præsertim si is mucore obductus, vel per se politus fuerit. Adde, quòd, extracto per lithotomiam calculo, vitium vesicæ non statim, imò vel rarissimè, corrigeretur: cùm tamen videamus, urinas non ita multò pôst puriores, & tandem naturales reddi. Sublato enim calculo, dolores, & hinc natæ inquietudines, curæ, & vigiliæ, cessant. Hinc concoctiones antea vitiatæ emendantur. Deinde multum se torquet River. in solutione sibi ipsi factæ objectionis, quî fiat, quòd quidam urinas mingant tali mucosâ materiâ plenas, & calculo tamen vesicæ non laborent. Si verò, cum Sennerto, mucum illum in linteo suspenderet, & in calculos eum, cum tempore, indurari animadverteret, multò accuratiùs unum contentum, vel potiùs residens mucosum, ab alio distingueret. Et huic dubitationi ansam præbuit Hippoc. *aph. 79. sect. 4.* dum scribit: *Quibus in urinâ arenosa vel sabulosa subsident, his vesica calculo laborat*: quem Zecchius rectè interpretatur, dicens, totam aphorismi emphasin consistere in vocabulo *sabuli*, vel *arenæ*. Talem autem, ait, intelligere Hippocratem materiam subsidentem, qualem *supra* descripsimus.

Cura. *Curatio* ejus consistit in bona *diæta*, & corporis debita *purgatione*. River. *l.c. fol. 180.* in conterendo calculo vesicæ mirè commendat *Aq. è cepis destillatam*, si per dies XL. usus ejusdem continuetur. Sic autem eam, *cap. præced.* componit:

Aqua ceparum. ℞. *Cepar. alb. min. incis.* ℔iv. *sacch. alb.* ℔ij. *vini albi* ℔ß. Destill. in B.M. ad siccitatem. Dosis manè ℥ij. ad ℥iij. Præstaret autem

tem *saccharum* post destillationem addere. Possunt quoque silices igniti extingvi vino Malvatico; hocque, illorum vi diuretica ita impraegnatum, exhiberi.

Signa *Colicam* à *Nephritide* discernentia vide apud Laurent. *in Anat. f. 255.* ubi etiam causam tradit, cur *Nephritici ventriculi eversionem* patiantur: propter vasa scil. & membranas vicinas, quae renes ventriculo, per peritonaeum, alligant. Stuporem autem cruris, è directo lateris, nephriticos dolores comitantem, ait Joh. Riolanus, *in Animadversionibus Laurentii, cap. 38. fol. 196.* contingere non tam ratione musculi Psoae, qui inseritur in Trochanterem parvum; quàm ratione insignium nervorum, qui oriuntur à foraminibus lumbarium vertebrarum, intra carnes musculi Psoae absconditi, &, descendentes per inguina in femur, per totam ejus longitudinem excurrunt usque ad genua. Nephritis. Vomitus. Cruror stupor.

Calculosi, dum ipsis in vesica adhuc haeret calculus, existimant tàmen, illum jam ad balanum processisse: propterea magnam circa praeputium sentiunt pruriginem; sed falsò, ob nervos, qui ex vesica ad balanum protenduntur, &, multo spiritu repleti, doloris sensum exprimunt: unde affecti singularem voluptatem sentiunt, cùm fricant, vel comprimunt membrum: quòd fit, repressis spiritibus ad interiora, ut dolor tam acutus non sit. Guil. Fabric. *f. 560.* Pruritus in glande.

In *dolore nephritico*, ubi vel minima plethorae suspitio adest, *V. S.* esse necessariam, ait Riverius, *fol. 152.* ad praecavendam renum inflammationem. Sapienter quoque monet, *f. seq.* in dolore vehemente *Purgans* non dandum; quia nihil plerunque operetur: propterea, quòd corpus dolori attendat, & pharmaco nihil opituletur. Idem esto judicium de Colica, aliisque affectibus vehementer dolorificis. V. S.

David Verbezius, Med. Argentinensis, historiam narrat, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 397.* excretae *Urinae*, quam alii *Cruentam* arbitra- Urina falsa.

bitrabantur; ille autem vinum rubrum, nihil alteratum, rectè prædixit; & vaticinatus est, senem Scorbuticum, qui talem urinam emisit, jamjam moriturum. Hine nota: non temerè pronunciandum esse de *Excretis*, nisi omnibus bene considera-tis. Sicut etiam ille risu dignus fuit, qui, Ægrum dysenteriâ laborare, asseruit, quia tunicas intestinorum cruentas & abrasas videbatur excernere; cùm tamen illæ nihil aliud fuerint, quàm exuviæ cerasorum vulgarium, quas Æger, inscio Medico, comederat.

Prognostica non præcipitanda.

Solet aliquando materia tenax, viscida, concreta, sumpto purgante, vel ab ipsâ etiam naturâ, excerni; de qua falsum aliquando judicium, ipsam in intestinis hæsisse. Potest enim, & quidem statim post exitum, ambientis aëris ratione demùm ita condensari, & sic à mesentericis vasis excreta esse: quòd in *Urinis* sæpius animadvertimus *calculosorum*. Tale quid observavit in *mictione sangvinis*, ex ruptura vasorum, Guil. Fabritius, alicubi, ubi puer, 20. annorum, grumos sanguinis, quorum quantitas ova gallinarum excedebat, sine notabili dolore eminxit: quod impossibile esset, si intra vesicam fuissent concreti. Propterea addit Fabricius: inter fluendum autem veluti gelatina erat, & in momento in grumos spissos concrevit. Et hoc iterum Medico inprimis scitu necessarium est, ut cautè judicet de excrementis.

Mictio sangvin.

Sangvinis autem vera *per vesicam, unâ cum urina, excretio* contingit aliquando, sed rariùs, sine dolore: & tunc causa non in continui solutione, sed in imbecillitate renum, & sanguinis ipsius tenuiori & dilutiori substantiâ, quærenda, sicque secundum illam curatio instituenda. Vide Horst. *Op. Tom. 2. pag. 213.* ubi, *Observ. seq.* pulchrè discurrit, qua ratione *mictio sangainis & puris* dolorifica non à calculo, vel ulcere renum, ureterum, & vesicæ, provenerit, sed à *tuberculo in vesicæ collo*, per usum acidularum maturato. Quomodo autem tale tuberculum à calculo,

Urina cruenta.

Tuberculū in meatu urinario.

culo, quo cum doloris & excretionis specie fere confunditur, per signa discernatur, vide apud Eundem, *d.l. p. 222.* ex Guil. Fabric. Sangvinis item mictionem etiam *ob hæmorrhoidalem externam*, Chylin dictam, contingere, sangvinem ipsâ fundente in vesicam, per surculum majorem, in ejus cervicem porrectum, in viris; idque citra vitium renum: scribit Phil. Höchstetter. *Obs. Med. Decad. 1. cas. 2. in schol.*

Exemplum *urinæ cruentæ* emissæ multo tempore, sine notabili dolore, habui quondam Laureaci, antiquissimo Sup. Austriæ Oppido, in Cauponis cujusdam uxore juvencula, sed sterili; quam, pro incurabili habitam, per D.G. restitui, etiamnum viventem, præm. præm. per usum quotidianum, sex mensibus continuatum, *terebinthina cum rhabarbaro*, in forma Pilularum. Item Observatio cruentæ quasi mictionis, ad levem corporis motionem, est apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 242.* Pil. de Terebinthina.

Th. Mermannus, *in Cons. Mmss. fol. 226.* repetit aliquoties hanc *Potionem*:

℞. *Syrup. myrtillor.* ℥ij. *pulv. equiseti* ʒj. M.F. Potio.
aq. plantagin. ℥iiij. quòd scil. *equisetum* in vesicæ ulceribus imprimis prosit. Reiner. Solenander pro Secreto habet *veronicam* & *prunell.* in *vin.* coct. & epot. aliquoties.

Fallitur autem nonnunquam Medicus, & ipse etiam terretur Patiens, propter *Urinæ rubicundissimæ mictionem*, quasi sangvine multo tincta esset; cùm tamen rubedo illa nihil aliud esse possit, quàm tartarus resolutus, in renibus coacervatus, proxima arenularum & calculi materia, vi expultricis robustæ, per urinarios ductûs, unà cum urina expulsus: unde residet in fundo, sabuli instar subtilissimi. Et tales quidem urinas frequentissimè mingunt, qui *Austriaca*, *Moravica* & *Ungarica Vina* bibunt. Exemplum in me ipso observavi, cùm, Mense Novembris, 1638. post *Vini* talis, non consueti, ingurgitationem, & copiosam *Alaudarum* comestionem, bene quidem, nocte subse- Urina rubra. Vina urinam tingentia. Alaudarum esus.

 quente,

quente, dormirem, sed manè, post reiteratos vomitûs pituitæ subdulcis, subitaneos & vagos brachiorum, crurum, & coxendicis præsertim, dolores sentirem: quos ut dissimularem, vel motu discuterem, extra portam (eram tunc Neostadii Vicarius optimi Viri, tunc ægrotantis, Excell. D.D. Joannis Textoris, Medici Provinciæ &c.) corpus exercere conabar ambulando: sed, ægrè domum reversus, in lecto sudorem movi, &, sumptâ Theriacâ, nihil magis quàm mortem metuens, quasi veneno sumpto, me in lectum ad sudorem composui, & septies vomitum difficillimum materiæ subdulcis & albicantis habui. Postquam verò sudor ubertim promanavit, *urinam* misi copiosam & *rubicundissimam*, sangvine quasi tinctam; quæ post refrigerationem sabulum in magna copiâ deposuit; & ego statim ex integro reconvalui. Tunc primùm innotuit morbi species, dolor scil. nephriticus, & mihi; & Medico Ordinario. Provenit autem à *vino tartareo*, minùs mihi consueto, per mensem totum bibito, nimióque *alaudarum* esu. Hinc in hodiernum usque diem *alaudarum esu* copiosior mihi semper fuit suspectus & noxius: ita, ut, quantumvis bene appetenti, non liceat excedere numerum ternarium; nisi velim jam experta pati symptomata: quod etiam incauto mihi, quantum memini, térve, quatérve contigit, nullis aliàs obnoxio renum doloribus. Propterea, experientiâ doctus, firmiter credo, ipsi *alaudarum carni* (præsertim si *vina tartarea* accesserint) singulare aliquid inesse, quod ad calculos & arenulas formandas facit, carni suillæ analogum: cujus saporem ad unguem præferunt alaudæ.

Terebinthina.

Terebinthina in calculo frequenter exhibetur, &, si misceatur cum *rhabarb.* non opus est, ad primas vias evacuandas, præmittere purgationem; quia sic ipsa simul purgat: præterquam, quod summè penetret, & sit diureticum singulare. Secus fit, exhibito ejus *spiritu*; quia tunc oportet vias esse mundas. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 223. & Tom. 3. p. 85.*

Idem,

Idem, *fol. 538.* ex Guil. Fabr. commendat, in *Ulcere vesicæ*, *Terebinthinam*, non lotam tamen exhibitam; sed saltem pulveri liquiritiæ involutam: nam aliàs perdere subtiliores suas partes, remanentibus crassioribus. A Riverio, *cap. propr. in Praxi*, mirè commendantur *trochisci Gordonii*, ex *lacte* sumpti. Vesicæ ulcus.

Vesicæ, & *Renum ulcera* curantur etiam per *Thermas Carolinas*; teste Nesio, apud Crat. *Consil. 161. f. 459.* quod vulgus improbaret, nimis credulum, Thermas iis esse noxias, quibus viscus internum ulceratum est. Quin & *Thermas Bollenses* admittit Horst. *Oper. Tom. 2. p. 489.* in Pulmonum ulcere. Usum *Thermarum* habet etiam River. *d. l.* Thermæ Carol. Bollenses.

Dissolvitur aliàs *Terebinthina* cum *vitello ovi*, addito *vino Hispanico*, vel *Malvatico*, & sic soluta fit liquor lacteus: exhibeturq; in calculo, à D. D. Rosa, Med. Ratisbonensium quondam percelebri: additur etiam quandoque *syrup. de althaa Fernel.* & liquorem hunc, sive *lac terebinthinæ*, etiam ipse cum fructu multoties exhibui colicâ & nephritide laborantibus. Terebinth. lac.

Johannes Faber, Landishutanus itidem celebris Provinciæ Practicus, in *Calculo* frequenter cum laude has *Pilulas* præscripsit:

℞. *Terebinth. Cypriæ claræ.* ℥j. *Coq. in aq. ononidis, donec digitis non ampliùs adhæreat; dein adjectâ aq. adde olei juniperi ex baccis* ʒij. *Iterum lento igne coque ad justam pastæ solidæ consistentiam: mox inspergito spec. lithontrib.* ʒj. *glycyrrhizæ* q. s. F. massa; è qua formentur Pil. justæ magnitudinis: quarum dosis est. ʒj. hoc tamen notato, Pilulas has non esse deaurandas; quia Terebinthina auri laminas non admittit. Calculus. Pil. de Terebinth.

Decoctum Forest. *libr. de ren. morb. fol. 119.* hoc est:

℞. *Rad. ononid.*	*sem. althaæ,*
fœnicul.	*malvæ*, ana ʒiß.
petroselin.	*4. frig. maj.* ana ʒj.
glycyrrhiz. ras. ana ʒß.	*cicer. rubr.* ℥iß.

 ficuum

ficuum arid. num. v. *hord. mund.* ℥j.
sebesten. num. viij. *gran. alkekeng.* num. vij. F. s. a.
Decoctum, quod propinatur cum *sir. de althaa Fern.* vel *de v. radicib.* Alibi autem aliter habet. Sed hæc continuanda diu, ut *supra*, de *urina cruenta*, monui.

Vesicæ calculus. Crystallus. Barthol. Turrianus, *in Jatrob. l. 4. f. 269. Vesica calculum*, jam sectioni destinatum, fregit propinato *Pulvere crystalli*, vel potiùs *substantiâ ejusdem resolubili*: cujus *Liquoris* etiam meminit Thom. Muffetus, *de jure & praestant. Chymicorum.* Horst. quoque, *Oper. Tom. 2. p. 237.* Fit autem crystallus solubilis, si vel minimùm novies in fornace figuli calcinetur: tunc abit in friabilem substantiam, & in cella positus liquescit, olei tartari instar.

In vesicæ quoque calculo componit Jonstonus, *Med. Pract. lib. 10. f. 600.* hanc *Mixturam*, à Sennerto Titulo *Liquoris nephritici* descriptam, magnoque in pretio apud Principes habitam:

℞. *Sal. tartari alb.* ℥j. *aq. petrosel.* ℔j.

Misc. & colentur simul per chartam bibulam, & liquori color croceus *corticibus aurantiorum*, filtro impositis, concilietur.

Emplastrũ. *Vesica calculus* etiam comminuitur *Emplastro ex cæpa alba* cocto, pectini imposito: teste Joanne Prævotio, Med. Patavino: ex Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 460. c. a.*

Spir. Urinæ è calcul. humano. Schröderus, *in Pharmac. l. 2. f. 284.* commendat *Urina spiritum*, vel *è calculo humano* factum; quem & ego sæpius probatum reperi: & sic in Illustr. D. de Sprinzenstain, aliisque, ab Excellentiss. Viro, Dno Johanne Fischero, Austr. Super. Provinciali Medico clarissimo, Collega quondam amicissimo, transmissum, Styræ expertus sum. Est autem odoris, tanquam urinæ, & coloris ex cæruleo viridis.

Spir. Juniperi. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 558.* proponit *Aq. vita juniperinam* talem: ℞. *Baccar. juniperi sel. q. vis. Fermententur cum aq. calida, ut spiritus facilius eliciatur: qui, rectificatus cum rob. juniperi, & in loco*

& in loco calido per dies aliquot digestus, *tincturam* acquirit, *Rubini* instar, jucundam aspectu, & usu matutino, per cochlear dimidium, laudabilem.

Sennertus, *L. 3. Pract. part. 7. sect. 1. cap. 2. f. 848.* *Asellos*, insectorum genus, aliàs *Multipedes* dictos, cum vino lotos, & in pulverem redactos, calculosis commendat: quod remedium etiam Thomas Mermannus, *in Consf. Mss. f. 9. 10.* sed paulò aliter concinnatum habet. Is *vermes vino albo generoso abluit, & in olla bene lutata in cineres redigit, dein' affundit vini generosi, quantum poterunt imbibere: idq; tertiò repetit. Quartò addit aliquid aqua fragorum, & spir. vitriol. & exhibet exiccati Pulveris* ℨj. Aselli: Multipedes

Aulicus quidam noster pro secreto habet *Pulverem herba Ambrosia*, quæ frequenter crescit in Boemia, & circa Eberspergium, in Sup. Austria. Hujus pulverisatæ exhibet ℨj. in *vino*, vel *cerevisia calida.* Simile narratur de *nasturt. aquatic.* Ambrosia H.

Crat. *Consil. Medicinal. 140.* jubet quotidiè ante cœnam *nucibus avellanis* uti: & *Consil. seq. 141.* tutissimum esse dicit, & in multis magno successu probatum, aliquot *nuces avellanas* ad 9. vel 10. perpurgatas ante prandium & cœnam comedere. Compertissimum enim esse, non paucos, sævis cruciatibus calculi diu affectos, usu *avellanarum* liberatos esse.

Sangvis vituli cervini inspissatus & exiccatus, ℨj. pondere, calculum mirificè pellit: experimento certo V.A.E.F. Sangv. cervin.

Vel ℞. *Malorum citriorum q. placet, abjice, quod intus est, acidum: reliquum rasum comminutumq; stet in vase vitreo 24. horis: post expressi* ℞. ℔j. *fruct. alkekengi recent. N. 64. contusa M. & stent iterum 24. horis simul: dein' ex retorta vitrea destillentur per arenam, ut de* ℔j. *remaneant* ℥ix. *hujus Aq. destillata* ℥iiß. *vini Rhenani* ℥iß. *facch. cand. alb. pulv.* ℥ß. M. Hæc est aqua, à Lotharingiæ Duce missa Princincipi Eggenbergico; tunc secreta habita, & Magnatibus in magno usu, & mirabilis etiamnum, in expellendo calculo, si corpus priùs clystere, vel alio leniente phar- Aq. nephritic.

pharmaco, purgatum, & illius duo vel tria cochlearia ante prandium, & modicam deambulationem, sumpta fuerint. Quam mihi communicavit novendecim ab hinc annis Mag. & Excel. Vir, DD. Joann. Guil. Mannagetta, &c. Mea verò, ejusdem usûs aqua sic componitur:

℞. *Nasturt. Indici cum toto,* *rad. raphan. sylvestr.* ana in-
rad. raphan. hortens. cisor. manipul. aliquot:

Adsperge *tartari lot.* Mij. Stent in digestione 7. diebus: postea destillentur per vesicam. Usus ejus est cum pulvere quodam diuretico.

Ol. Scorp. *Ol. Scorpionum* non solùm illitum venenis adversatur, sed & urinam pellit, vesicæ infusum; &, extra adhibitum, calculum movet: ut Horst. *Oper. Tom. 3. p. 89.* docet, & nos quotidiè experimur. Hoc autem non facit, quatenus occultâ vi operatur. Neque enim necesse est, medicamenta totâ substantiâ agentia exhibere, ubi manifestæ sufficiunt qualitates, quemadm. hîc fit: quatenus scil. *oleum scorpionum*, præsertim cum *oleo amygdal. amararum* factum, ratione caliditatis & tenuitatis suæ, penetrat & diureticum est.

Stranguria. Quamvis *Stranguria* videatur potissimùm provenire ab acrimonia urinæ, adeóque à causa calida; nihilominus sæpe cum ratione illam tollimus adhibitis calidis: ut *vino generoso*, vel *aromatibus*; rationem habendo, ut sæpe fit, non causæ, sive materiæ proximæ, sed remotæ & antecedentis: v. g. cùm *recens cerevisia Stillicidium urinæ* infert, nullâ alia ratione fit, quàm quatenus crassitie & frigiditate suâ meatûs urinarios obstruit, & sic secum acrimoniâ serum exacerbat. Tunc *vinum generosum*, respectu antecedentis causæ frigidæ, confert, & *nux moschata*; *sal* etiam *cerevisiæ injectus*. Causa verò proxima per se cedit, evacuatâ urinâ acri, si talis aliunde non ampliùs suggeritur. Vid. Horst. *Oper. Tom. 3. p. 88. Quæst. 6. Remedium* Stranguriæ, à *Cerevisia* contractæ, etiam est *sevum vaccinum umbilico illitum*. Hinc

(margin: Cerevisia recens. — Remedia.)

pota-

potatores Helvetii frustum candelæ, ex sevo tali factæ, ad manûs habent, ut sine noxa helluonum instar bibere possint: teste Guil. Fabric. *fol. 574.* ubi monet, non ineptè applicari diuretica umbilico, quasi per urachum adhuc patentem (ligamentum, quo vesica umbilico alligatur) ex Wieri sententia, vis eorum ad vesicam penetrare posset: contra eos, qui negant, urachum esse pervium. Idem rectè prohibet, *de lithotom. vesic. f. 759.* usum *cassiæ fist.* in stranguria & calculo, quia ardorem urinæ augeat: quam tamen Riverius, *in Praxi, f. 234.* hîc reliquis præferendam esse ait: licet Horst. quoque, *Oper. Tom. 2. pag. 223.* observaverit, ardorem urinæ ab ipsâ augeri. Idem Wierus, *Observ. f. 108.* animadvertere jubet Medicos, exigente necessitate, meatum urinarium, qui apud nonnullas mulieres statim sub nympha, in aliis paulò interiùs, inseritur, ita dilatari posse, ut digitum satis magnum non difficulter in vesicam usque admittat. Med. diuretica. Cassia fist.

P. A. Matthiolus, ubi de admirandâ plantarum virtute discurrit, in *Epist. nuncupatoria, paulò ante medium*, ait, *Stranguriam* cessare, si quis *Tamaricis lignum* ardens sua urinâ extinxerit: ap. Camerarium.

De *Cantharidibus* nonnulli affirmant, ut ex Langio, & Paschali, videre est, quòd, etiam corpori extra applicatæ, vesicæ noceant, & mictionem sanguinis, cum stranguriâ, excitent. Verùm etsi sexcenties vesicatorii loco iis usus fuerit Dan. Sennertus; nunquam tamen tale quid observare potuit: ut testatur Ipse, *L. 6 Pract. part. 8. c. 26. f. 550.* Mihi verò, præter Langium, Paschalem, & Riverium, *f. 658.* observare licuit tale quid in Generoso & Nobiliss Dn. Staindl, &c. qui, cùm ulcere sub mento, ex affluxu humorum, *supra* etiam descripto, periculosè decumberet, & vesicatorium ex cantharidibus, pro divertendo catarrho, ad nucham positum, per aliquot horas gestaret, subitò me vocavit, de urinæ ardore & stillicidio maximè conquestus; me quoque novitate symptomatis non parùm consternato. Cantharides.

to.

to. Neque enim ex tempore causam allegare, neque metastasin factam demonstrare, tam erat facilè; donec emplastri vesicatorii recordarer. Tunc haud falso augurio causam inopinati symptomatis in illud retuli: quod ab eventu confirmatum est. Accito enim Chirurgo, & emplastro remoto, apertâ pustulâ, & exhibitâ emulsione sem. 4. frig. ma. cum amygd, & aq. malvæ, malum eodem die remisit; quamvis & ante meum accessum, & pòst, spatio quatuor horarum circiter, sexagesies cum ardore & dolore guttatim minxerit. Idem planè expertus sum mense Januarii, currentis anni, in Cameræ Regiæ Satellite, Martino. Cur autem tot inter, quibus applicavi cantharides, præter Satellitem hunc, unicus mihi, & quidem vir Generosus iste, tantùm contigerit, tam molestè sentiens cantharides, ratio esse potest, quòd à natura valdè delicatus, & nervosum membranosumque genus debile, & tenerrimi sensûs nactus fuerit; ut ex symptomatibus variis, nonnunquam accidentibus, mihique, Medico ipsius Ordinario, probè cognitis & curatis, demonstrare possem. Idem esto de altero judicium. De similibus exemplis duobus vid. etiam Anton. Mizaldum, *Memorabil. Cent. 2. §. 27.* ex Bartholom. Montagnan.

Verùm Hier. Fabricius ab Aquapendente, *Operis sui Chirurg. de Operationibus Chirurg. fol. 77.* etiam *intra corpus* propinat, in *Ischuria, cantharides, ad summum num. 2. integras, cum alis & pedibus in pollinem redactas, cum milii Solis, & polii montani pulverif. ad* ℈ij. *& cum syrupo de duabus radicibus in bolum conformatas, superbibendo* ℥v. *lactis semin. melon: extracti cum aq. ex thecis fabarum*, ut erosio prohibeatur.

Cantharides & vesicator. ut applicanda. *In applicandis cantharidibus* etiam hoc notandum; locum non *aceto* fricandum, sed *spiritu vini*, vel *linteis siccis*, donec rubeat; multò minùs vesicatoriis *acetum* admiscendum. Acetum erodentia hebetat. Cantharidum enim, & similium erodentium vis aceto infringitur: quod inde fit, quia sal volatilis, à quo tota vis medicamenti pendet,

det, ab aceto figitur: ut rectè notat Sennert. *L. 1. Pract. fol. 98.* Propterea commodè utimur tali *Emplastro*, quod habet Horst. *Op. Tom. 2. p. 560.*

Empl. vesicat.

℞. *Cantharid.* ℥j.	*myrrhæ,*
terebinth. ℥ß.	*camphor.* ana ʒj.
thuris,	*ol. rosar,*
mastich,	*ceræ,* ana q. s. M. F. Empl.

Nota, ipsum omittere *acetum*, &, præter hoc, etiam *fermentum*, *sinapi, pyrethrum*, &c. quæ vulgus, & Medici Practici cantharidibus admiscent: sed malè: siquidem talia virtutem cantharidum obtundunt; quarum tamen operationem hîc maximè appetimus. Ac videntur tales nimis in corrigendis medicamentis solliciti; non secùs, ac, qui, quando per Vomitoria volunt evacuare, priùs ventriculum roborant, vel ipsa illum roborantia Vomitoriis admiscent: quod non immerito Practici prudentiores improbant: & ex iis Zwelferus, *Animadversion. in Pharmacop. Augustan. pag. 60.*

Si ex calculo, vel aliâ etiam causa, *Urina* omnino *supprimitur*, necessariò ad superiora regurgitat, & plerunque per *vomitum* excernitur: ita, ut totum illud serosum excrementum, à renibus & venis emulgentib9, per venam cavam magnam, ad hepar; ab hepate ad mesaraicas; ab his ad intestina; ab intestinis ad ventriculum transmittatur, & retrocedat, ordine inverso: cùm aliàs, si naturæ cursus rectus sit, per hæc membra ordine recto segregatio seri procedat. Vide Theod. Fettich, apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 257*, quamvis in *Potatoribus*, qui statim ab exhausto poculo ad mictionem urgentur, natura inveniat, nimium lacessita, breviorem viam. Ibi enim potus citissimè ad vesicam pervenit, & aliquando parum alteratus. Ob violentiam enim, & pondus, potus per vas breve, & vasa gastrica, ventriculo proximè adjacentia, derivatur; vel deprimitur ad lienem, & hinc per arterias, quæ in liene sunt copiosissimæ, ad arterias emul-

Urinæ retentio. Vomitus.

Potatores.

gentes; postea ad vesicam permeat. Hoc insinuat Sennert. *L.3. Pract. part. 1. cap. 15. f. 60.*

Ischuria. Remedia. Ad *totalem urinæ retentionem* Horst. *Oper. Tom. 3. p. 89.* inungit *Ol. scorp.* f. & *magn. Matth.* pubi, lumbis, renibus, & pudendis: vel exhibet *Pulverem sem. violarum purpur.* ex cujus *seminis* ʒß. cum *aq. veronicæ, Emulsionem* facit Crato, *Epist. Medicinal. f. 310.* illamque mirè prædicat.

Vin. alkeking. Riverius, ex Villa Novano, commendat *Vinum*, in quò *fructus alkekengi* fuerit infusus & colatus: Jonstonus *Lunam potabilem*, ad gutt. vj. & *spir. terræ sigill.*

De usu Asellorum, vel millepedum, ex Sennert. vid. *sup.* & Guilh. Fabric. *fol. 501.*

Sangvis leporis. Omnibonus Ferrarius, *de cur. infant. f. 256.* hic ℞. *Sangvinem unius leporis*, & cum ℥vij. *rad. saxifrag.* in olla rudi comburit; de cinere exhibet coch. medium, vel ʒß. Idem, *loc. cit.* facit

Motacilla. etiam mentionem illius aviculæ tam decantatæ, *Motacillæ*, sive *caudæ tremulæ*, generis vocabulo ita dictæ: Germanis dicitur **Bachstelts / Zaunschlüpfferle / Muckenstecher / Königlein**: est avicularum minima. Hanc, existimant, in *cinerem* combustam, urinam potenter movere, & calculum non solùm comminuere & expellere; sed hominem diutissimè à calculo immunem præservare.

Urinæ incontinentia. Appropriata in *Urinæ incontinentia* sunt, ex Gal. *cerebrum, & testiculi leporum combusti;* vel *cochlea* cum sua *testa combusta.* Recentiores *stercus leporis* præbent, *cinerem murium tost. ungulam apri torrefactam, cinerem ossium dactylorum, avellanas assas, pulverem corticum ovorum.* Præ cæteris laudatur *pulvis agrimoniæ,* & *tunica interior ventriculi gallinæ.* Solenander *guttur galli exiccatum* proponit; ut Riverius, *f. Prax. 220.* refert. Moneatur Æger, ut ante somnum urinam mittat: excitetur quoque mediâ nocte, & in aurora, ad mingendum. Id. *l. c.*

Urinæ acrimonia. River. *fol. 234.* in *urinæ acrimonia cassiam* reliquis præferendam

dam esse, ait: sed, si Gvil. Fabricii experientiam sciret, aliter loqueretur.

Conjungitur *Diabetes* cum siti immensa; cujus causam occultam, sine necessitate, statuit River. *cap. proprio*, quia apparet per se, nullam aliam sitis causam esse posse, quàm potûs, vel liquidi, citissimum transitum, unde partes exiccatæ, sitim molestè ferentes, sufficienter humectari non possunt. Unde autem proveniat tam subitaneus humidi secessus, difficile est explicare. Solus enim renum calor attractionis author esse non potest, quia sæpissime renes calidiores sunt, sine diabete. Si verò cæterorum viscerum intensum calorem adjeceris, necessariò etiam ipsorum siccitatem confiteri oportebit; & tunc scirrhus potiùs antecederet, vel diabêten comitaretur. At neque hoc animadvertitur. Ergo ad diabetis, non sitis immensæ, causam investigandam, licebit ad occultum quid, ob explicationis genuinæ difficultatem, recurrere. Diabetes.

Non semper lethales esse *urinas nigras*, rectè monet Joh. Garmers, *in scholiis sup. Histor. Med. Francisci Rubei, fol. 26.* & distinguit *urinam nigram* in *nigram & tenuem*, & *nigram cum crassitie.* Priorem putat rarò lethalem; posteriorem, quò est crassior, eò lethaliorem: quamvis in morbis melancholicis aliquando tales criticæ sint, nec minùs salutares. Propterea bene distingvendum. Si enim detur *decocti Epithymi* ℥j. vel ℥ß. melancholicis, vel lienosis, mingere *urinam nigram*, testatur Montagnana, ap. Schönborn. *in Manual. Pract. Med. fol. 163.* Urina nigra.

Cardanus quoque, *fol. 215.* Puerperis aliquando *urinas* esse, scribit, *nigras*, lividas, fœtidas, turbulentas, quas diceres perniciosissimas; & tamen evadere. Cave autem, ne nimium his urinis tribuas. Igitur in hujusmodi urinis convenit, suspendere judicium, &, præter reliqua, pensitare febris vehementiam, & symptomatum magnitudinem, & naturam pravam.

Urina confusa.

Urina *confusa* est ea, quæ tota sui est similis, nec quidquam hypostaseos obtinet. Hæc venarum affectûs, & propriè sanguinis & humorum, qui in venis majoribus sunt, confusionem, corruptionem & putredinem significat. Ideò in solis febribus, illisque continuis & malignis, deprehenditur.

Urina ponderosa.

Novator Helmontius docet, quòd urinæ *pondus* Medico sit considerandum necessariò. Hanc non inutilem esse considerationem, Joh. Dan. Horstius admittit quidem: *folio* tamen *189*, necessitatem illam suo relinquit Authori. Ego vanitatem credo. Consideramus quidem pondus aquarum, ut signa salubrioris potûs eliciamus: sed ad quid urinæ ponderatio; cùm in potum non cedat?

Urina furfuracea.

Urina furfuracea non semper provenit ex *scabie*, vel *ulcere*, *vesica*, juxta *aph.77.l.4. quibus in urina crassa, furfurea quadam simul exeunt, iis vesica scabie laborat*: sed nonnunqnam ob succos crudos peculiariter adustos, & in pollinem redactos, vi caloris extranei; juxta Horst. *Op.Tom.2.p.79.*

Urinæ Sedimentum.

In corpore sano vix unquam datur Urina *sine sedimento*. Est autem *Sedimentum* nihil aliud, quàm materia aliqua alimenti, quæ subterfugit coctionem: vel, ut loquitur Cardanus, *in prognost. fol.186.* naturæ operationem, & post tertiam concoctionem ad renes mittitur. Vix enim ullum corpus datur tam exactè sanum, quod non aliquid talis alimenti generet: & nullum alimentum reperitur, quod non tali excremento materiam possit præbere. Sennert. *in Epit.Instit.f.307.* ubi, *f.315.* hyeme ad optimum statum urinas propiùs, ait, accedere: quia ventres sunt calidiores: propterea meliores etiam concoctiones, & pauciora excrementa.

Idem Cardanus, *fol.seq.* videtur insinuare Medicis, urinam inspicientibus, aliquam cautelam, ne in Prognostico aberrent, ubi dicit: *Hypstasin* non esse materiam morbi in urina, quæ signi tantùm locum habet, nisi quando natura per crisin multum sedimen-

dimenti in urinam deponit. Tunc enim simul, etsi non totum, saltem partem materiæ morbificæ excerni, credendum esse. In cæteris casibus, sedimenti in ægris & sanis eadem est ratio & origo. Et quamvis, ut, *paulò infra*, discurrit, sedimenta urinæ in morbis varii sint coloris; tinguntur tamen ea non ab ipsa materia morbi, sed à materiæ tenuissima & levissima portione, vel saltem aliquâ fuligine.

Notandum autem, urinas nonnunquam *sedimentum* deponere *copiosum & rubrum, arenularum instar*; quod inadvertentem Medicum & Ægrum fallere potest. Si enim urinam per linteum separaveris, videbis, *sedimentum* non arenosum, sed vix palpabile, farinæ instar volatilis, esse. Tale autem provenit à resolutis viscerum obstructionibus, vel à medicamento, vel à natura, cum beneficio ægrotantis, commotis, & extra demùm, post frigus ambiens, separatis.

Si quis sanguinem aut pus meiat, renum aut vesicæ exulcerationem significat. Hipp. l. 4. aph. 75.

Quibus cum urina crassa, parvæ carunculæ, aut veluti capilli pariter exeunt, his à renibus excernuntur. l. 4. aph. 76.

Quibus, in urina crassa, furfurea quadam simul exeunt, iis vesica scabie laborat. l. 4. aph. 77.

Quicunque sponte sanguinem meiunt, his à renibus venulam ruptam esse, significat. l. 4. aph. 78.

Quibus in urina subsidunt arenosa, iis vesica calculo laborat. l. 4. aph. 79.

Si quis sanguinem & grumos meiat, & stranguriam habeat, & dolor in hypogastrium, pectinem, & perinæum incidat, loca ad vesicam laborant. l. 4. aph. 80.

Si quis sanguinem, & pus, & squamulas meiat, & gravis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat. l. 4. aph. 81.

Quibus in urinæ meatu nascitur tuberculum, iis, factâ suppuratione, & ruptione, contingit solutio. l. 4. aph. 82.

Mictio noctu plurima facta, parvam dejectionem significat. l. 4. aph. 83.

Difficultatem urinæ solvit venasectio. Sunt autem interiores secandæ. l. 6. aph. 36.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorem farinam referunt, diuturnum morbum significat. l. 7. aph. 31.

Quibus in urinis sedimenta biliosa, superiùs verò tenuia fuerint, morbum acutum significant. l. 7. aph. 32.

Quibus urinæ sunt differentes, iis vehemens est in corpore turbatio. l. 7. aph. 33.

Quibus in urinis bullæ innatant, renum morbum, eumq; longum fore, significant. l. 7. aph. 34.

Quibus urinæ summa pinguis est, & conferta, iis nephriticum, & quidem acutum, morbum significat. l. 7. aph. 35.

Si quibus verò nephriticis, præter supradicta signa, dolores etiam circa spinæ musculos fiant, siquidem ad exteriora sentiantur, abscessum extrinsecus futurum expecta; sin ad interiora magis vergant, abscessum intrinsecus futurum potiùs expecta. l. 7. aph. 36.

Ad intestini recti, & uteri, inflammationem, purulentosq; renes, stranguria supervenit. l. 5. aph. 58.

Quibus ex stranguria volvulus supervenit, intra septem dies moriuntur, nisi, febre superveniente, urina copiosa fluxerit. l. 6. aphor. 44.

Stranguriam & dysuriam vini meri potio, & vena sectio solvit. Incidendæ autem sunt interiores. l. 7. aph. 48.

Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides supervenientes, bonum. l. 6. aph. 11.

Renum & vesicæ vitia in senibus ægrè curantur. l. 6. aph. 6.

Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, an talia sint, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur his minime similia sunt, eò morbosiora; quæ verò sanis similia, minimè morbosa. l. 7. aph. 66.

Qualia,

Qualia, quæ per vesicam & alvum secedunt, & quæ per carnes, & sicubi aliàs corpus à natura recedat, spectare oportet. Si parum, parvus est morbus; si multum, magnus; si valde multum jam tale fuerit, perniciosum. l. 7. aph. 77.

Caput V.

De Intestinorum affectibus.

Consilium pro *Colica*, lectu dignum, invenies apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 169.* Colica.

Helmont. *mucaginem Ponticam accusat, intestinis nempe adhærentem.*

Riverius, *Prax. suæ fol. 634.* refert, præter reliquas *pituitosas* & *biliosas Colicas* esse aliam quoque speciem, quæ in *Paralysin* degeneret, Veteribus parum notam; quæ fit ab humore bilioso, non in colon intestinum, sed in abdominis membranas, repentè effuso, qui eò transfertur à cysti fellea, vel mesenterio, in crisi diuturnarum febrium, aut à vehementi iracundia, aliaque causa externa, quando, propter obstructiones, ad vias communes effundi non potest, sed, motu præpostero, ad prædictas abdominis membranas repentè excutitur. Hinc dolor exoritur crudelissimus, colicum imitatus, qui diuturnus est, ægrumque multis recidivis fatigat: & neque clysteribus, neque fomentis, neque aliis remediis, cedit: unde corpus contabescit, interdum febris, eaque sæpius continua ac lenta, interdum alicujus ex intermittentibus typum referens, molestat; cui tandem, doloribus remittentibus, *Paralysis* succedit, humore illo, per abdominis membranas, in spinam dorsi sensim irrepente. Esum *cucurbitæ* naturali quadam proprietate huic adversari, habet *Jonston. f. 563.* Colica Biliosa.

Colicam in *sinistro latere, sub costis nothis*, maximè urgere, observavit, præter Bauhinum, Guilh. Fabric. *fol. 48.* item *fol. 53.* quod fit propter angustiam coli, in eâ parte siti. Propterea, ubi Locus colici doloris.

majores

majores fecum globi illic coguntur transire, cum maximo dolore extendunt intestinum; ita quidem, ut dolorem hunc fixum nonnulli renibus; alii lieni, non sine fallaciâ, adscribant. Cur *colon* sæpius *doleat*, Laurentius, *in Anat. f. 227.* ait, hinc provenire, quòd flatuum sit receptaculum, & ab infernis partibus aërem excipiat.

In Colica. Alvi constipatio.

Plerunque in Colica *Alvus obstruitur*. I. propter bilis stimulantis translationem. II. propter fecum siccitatem. III. quòd sensus doloris ad affectam partem caloris influxum revocet, & hanc ob causam expultrix segnior fiat. IV. propter copiam crudorum humorum, quæ facultatem expultricem obruit atq; suffocat.

Paralysis spuria. Contractura.

Quòd Colicæ materia aliquando rapiatur ad *artûs*, idque, ut vocant, *Contracturas* faciat, *Paralysin* scil. *spuriam*; in Austria præsertim, & Moravia, vulgare est. Quare autem illa materia extrema occupet membra, & non potiùs ad propinquiora repat, causam refert Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 30.* I. quòd natura, adhuc fortis, sui ipsius solicita conservatrix, ad remotissima soleat noxium expellere. Unde qui, diuturnitate dolorum victi & exhausti, diu decumbunt, & musculosam substantiam habent debiliorem, antequam perfectam possint subire metastasin, moriuntur; materiâ nimirum illâ partes principes occupante: sicut contigit an. 1646. Viro Juveni, Quæstori Salinario in Gmünden, recenti conjugio imprimis fatigatò, & recidivam in colica bis passo. II. quia quælibet fere materia peccans ita constituta est, ut à proprietate quadam hanc vel illam corporis partem petat. Sic materia cancrosa mammas & faciem; sabulosa articulos & renes; leprosa cutem infestat. Videmus etiam, tartarum in renibus resolutum, apud *nephriticos*, sæpius rapi ad articulos, & tunc *arthritidem* causare; & contra. Materia arthritidis, humor scil. tartareus, quomodo communicetur articulis, pulchrè demonstratur ab Horstio,

ftio, *Oper. Tom. 3. Cent. Problem. Decad. 3. Quæst. 10. pag. 47. c. a.* Eandem quoque materiam tartaream, paulò magis tamen resolutam & attenuatam, crudelissimos inferre dolores *intestinis*, vel hinc patet, quòd, etsi Patientes sufficientissimè videantur purgati, dolores nihilominus remanere, observatum sit; ipsis attenuatis tartareis spiritibus, quasi tortoribus, inter unam & alteram intestinorum tunicam sese insinuantibus, ac tandem, irritâ naturâ, sursum, ad brachiorum musculos, levitate sua evolantibus, & carnem ipsorum flaccidam & impotentem reddentibus. Hinc nota, quod perpauci observarunt, eandem materiam (sive tartari resoluti nomine, sive alio vocabulo, eam, inexplicabilem fere, utcunque depinxeris) esse doloris Colici, Nephritici, & Arthritici; illósque tres affectûs, maxime dolorificos, loco magis differre, quàm causa materiali. Id quod probat etiam facilis de uno ad alium transitus. Testaturque Hipp. *6. Epid. 4. text. 3.* cui in dextrâ situm intestinum dolebat, oborto articulari morbo fuisse quietiorem; sed eo quiescente, rursus inde fuisse afflictiorem. Exemplum habemus in Illustriss. & Excell. Principe, Don Loys Gonzaga, Gubernatore Jaurinensi, qui anno 1659. Mense Januarii, bis Podagrâ correptus, illâ cessente, à torminibus ventris immanes sensit dolores. Quam veritatem, de facili transitu podagræ in colicam, & contra, etiam subsumere licet ex Celso, *libr. 2. cap. 8.* quando *Articulorum vitia*, ait, *ut podagræ chiragraq́, si juvenes tentarunt, neq́ callum induxerunt, solvi possunt, maximeq́ torminibus leniuntur, & ex quocunq́ modo venter fluit.*

Colica affectus reciprocus.

Nephritis, Arthritis, & Colica, materia non differunt, sed loco.

Signa verò futuræ *metastasis* enumerantur apud Horst. *loc. cit.* I. requiritur effœta musculorum constitutio; quæ aliquando nimio balneo & Venere contrahitur. II. urina repentè mutatur, &, quæ antea tenuis erat, tingitur, & subnigra apparet, ob materiæ adustionem, & turbelam humorum. III. conqueritur Æger de ascendente aura quadam frigida, in locis iis, ubi

Metastasis paralytica.

 vasa

vasa majora sunt. IV. in extremis partibus color fit ictericus, vel subfuscus.

Observatio metastas. colic.

Exemplum mirabilis *Metastasis* in *Colica* vidi, dum hæc ad prælum describerem, in fœmina Nobili, quadraginta sex annorum, evsarca, & præpingui. Hæc, in principio Novembris, an.1655. colicam gravem perpessa, ægrotavit, nihil proficientibus medicamentis, duobus mensibus. Pòst à me, tunc vocato, à doloribus, intra octiduum, liberata, quievit satis commodè integros quatuordecim dies, quasi jam jam restituta. Paulò pòst, materiâ colicæ residuâ (ut est affectus, si quisquam alius, ad recidivam pronus) denuò fermentante, & ad caput raptâ, ingens Ægram invasit *Cephalalgia;* cui statim successit delirium sine febre, in *Maniam* mutata, *Cæcitate* quoque ex obstructione vel compressione nervorum opticorum, oculis nihil de externo statu recedentibus, illatâ. Variis itaque tentatis remediis, purgationibus, venæsectionibus, vesicatoriis, fonticulis, sangvisugis post aures, masticatoriis, tantum effeci, ut ad se rediret, bene cibum sumeret, bene dormiret; & hoc aliquot septimanis continuaret, visu solùm desiderato. Tandem verò, Mense Majio, sequentis anni, post leve delirium, & convulsiones non vehementes, cæca vivere desiit. In eâdem muliere notatu dignum observavi, ipsam, longo tempore à facta metastasi, *potum difficulter deglutiisse*, & non sine interruptione & morâ bibere potuisse; *cibum* verò *solidiorem sine molestia* sumpsisse. Cujus rei ratio aliquà insinuata est *supra*. Sed non solùm glandulæ tumefactæ deglutitionem faciunt gravem; imò etiam œsophagus, imprimis hic, in colica scil. materiæ colicæ partem suscipiens, resolvitur, & sic in suis plicis potum detinet: hinc interruptè bibendum, & non sine suffocationis metu: solida autem plicas œsophagi nô intrant, sed eas inter deglutiendû præterlabuntur.

Cephalalgia. Mania. Cæcitas ex colicâ.

Deglutitionis difficultas ex colicâ.

Raucedo ex colicâ.

Ob eandem partis vicinæ, epiglottidis, & musculorum ejus, resolutionem, vox rauca efficitur, donec spuria illa paralysis vel artis operâ, vel naturæ beneficio, disparcat.

Cele-

Celebris Medicus Augustanus, D.D. Minderer, ad Thom. Mermannum scribit, se multis risui fuisse, quòd *Vino* colicâ laborantibus interdixerit; cùm tamen ipse expertus sit, omnes tales à *spuria Paralysi* ita immunes evasisse. Id quod ego in mea Praxi diligenter, & non sine magno fructu, observavi. Quia autem Ægri de ventriculi imbecillitate conqueruntur, & Medico nonnunquam importunè Vini potûs (præsertim in Austria) consvetudinem objiciunt; soleo ipsis Hispanicum, vel generosum aliud, præm. præm. concedere; non tamen pro potu ordinario, sed tantùm confortationis gratiâ. Idem concedit Horst. *Oper. Tom. 2. p. 173.* Nota, prædictum D. Mindererum à vino Rhenano, Neccarino &c. abstinuisse: quantò magis nos ab Austriaco; quod solum sufficit ad generandam colicam, vel saltem ad tartari illius delitescentis ebullitionem. Clyster ipsi in colica familiaris fuit, simplicissimus, ex *lacte*, *melle*, & *oleo*; eumque mirè commendat. Hunc & ego quoque commendatione dignum experior; & vivunt etiamnum aliquot, talibus clysteribus familiariter usi. Præterquam enim, quòd alvum subducunt, etiam dolorem leniunt, & intestina minimè offendunt. Vinum in Colica noxium. Clyster.

Crato tali utitur *Clystere, Consf. 169. f. 47.* ℞. *Veronicæ* (ad colicam appropriatæ) Miiij. *Coque cum jure galli; colati* ℥viij. adde *myrrhæ* ʒß. *vini Malvat.* ℥iiij. M. F. Clyster. Claud. Deodatus verò intolerabiles dolores à *flatu*, aut *vitreâ pituita*, excitatos, incantamenti instar, sanari, testatur *Clystere*, ex *vini Malvat. olei nucis*, ana ℥iij. *aquæ vitæ* ℥j. *ol. juniperi* & *rutae. dest.* à ʒij. parato, & calidissimè applicato. Si verò Clysteres dolores non solvant, prudenter admodum monet River. *fol. 640.* ex Sennert. *lib. 3. Pract. pag. 265.* clysteribus pertinaciter non esse insistendum, sed satius fore, levi aliquo medicamento uti. Compertum enim esse, cùm Æger quidam triginta clysteres sine fructu accepisset, alium Medicum *mannæ* ℥iß. cum *ol. amygd. d.* ℥ij. in *jusculo gallinæ pingvi* exhibuisse, & Ægrum à dolore liberasse.

Pil. de ladano. In mali declinatione, jam propinquâ paralysi, pro purgatione ego utor cum commodo *Pilulis de Ladano*, quas describit Horst. *Op. Tom. 2. p. 173. c. 4.*

℞. *Ladan. puri* ℥ß. *mastich.* ʒj. Dissolve in mortario calido, & adde *troch. alhand.* ʒiij. *elect. è succo rosar.* ℥ß. *syr. rosat. solut.* q. s. M. F. Mass. Dosis ℈ij. ʒj.

Colicæ & Nephritidis differentia. Balnea in colicâ. Diligenter distingvendum inter *Colicam* & *Nephritidem*; siquidem ipse Galenus, in dignoscendo utroque affectu se deceptum esse, fatetur. Iis, qui *colicâ* laborant, non facilè concedendum *Balneum*, uti quidem facit Riverius, *Prax. fol. 643.* ubi proponit *Balneum* tepidum sæpius repetitum. Plerunque enim in iis ex bile corrupta in intestinis, vitio caloris hepatis, viscera calidiora sunt; hinc magis calefiunt, & dolor augetur. In *nephritide* contrà, ubi patiens est obæsus, senex, & doloribus magnis urgetur, non sine magno commodo, ad vias urinarias relaxandas, præm. præm. *balneo* utimur. Hoc pulchrè demonstrat Guil. Fabric. *in Cent f. 322.* & *seqq.* Horstius, *Oper. Tom. 3. p. 3.* ubi quidem de febre ephemera loquitur, & ex Conciliatore tria perpendenda docet, priusquam Ægrum ad balneum ducamus. I. ut febris, si eâ laborat, absque horrore sit. II. ut nulla pars principalis imbecilla sit, ne humor, balneo resolutus, ab ea recipiatur. III. ut in primis viis *cruditas* omnis absit. Quæ conditio *colicâ* laborantibus balneum interdicit. Cruditatis verò *signum* commune dat vinum bibitum; quod in iis, qui colicos patiuntur dolores, statim acescit; & vel propterea est vitandum. Aliam rationem, *cur balnea in colica suspecta* sint, insinuat idem, *loc. cit. fol. 31.* ubi dicit, in affluxu illius materiæ, quæ priùs colicam generavit, antequam nervi afficiuntur, repleri priùs musculos, ita, ut animalem spiritum, motûs & sensûs opificem primarium, recipere nequeant; vel, si etiam recipiunt, officio tamen suo fungi non possint, ob effœtam & debilem constitutionem. Balnea autem carnem musculorum flacci-

dam & effœminatam reddunt; adeoque juvant ad deteriorem metastasin, juxta Hipp. *l. 5. aph. Calidum usu frequentiore carnis effœminationem invehit.* Si autem omnia tentata fuerint frustra, & dolor non cessaverit, nihil obstat, quin Ægrum in balneum insidere sinamus, & metastasin *studiò* concitemus. Quia sic licet materiam morbificam à partibus nobilioribus ad ignobiliores transferre: ubi locus non est evacuationi. Oportet nimirum morbum graviorem per mitiorem curare; hoc est, è duobus malis minus eligere. Paralysis enim illa spuria, successu temporis, per se evanescit; ut mihi, per Dei gratiam, mensis unius spatio, solâ *Diatâ* strictiore contento, contigit: vel idoneis *remediis* tandem pellitur: *Suffitibus*, *Thermis*, *Lavacris*, cum *Aq.* & *Spiritibus destill. anisi*, *serpilli*, *lavendulæ*, *Aq. arthritica*, &c. Paralysis studiò causata.

Mense *Martio* communis est *Balneorum* usus, sanitatis conservandæ gratiâ. Quia tunc, post purgatum corpus, aquæ dulces, exhalationibus plenæ, magis abstergunt, & poros cutis, hyeme occlusos, reserant: teste Horst. *Op. Tom. 3. p. 3.* Balnea Martia. Mertzen-Bad.

Idem, *Op. Tom. 2. f. 78.* singulariter commendat *destillatum galbani*, umbilico illitum, si metus est paralysis metastaticæ in colica. Id quod Crato etiam proponit, *in Consil. Medic. 172. pag. 483.* & *Epist. 237. p. 425.* item Harmannus componit, sub titulo, *Galbanetum.* Sennertus etiam, *in Institutionibus Medic. p. 1494. c. a.* describit *Balsamum galbani terebinthinat.* in doloribus colicis, cum *oleo Saponis Veneti* umbilico illitum, præsenti remedio. Galbanetum.

Ab Horst. *Op. Tom. 3. p. 67.* etiam probatur *Spir. Salis*: item *Balsam. mastichis Strobelbergeri*, intra & extra corpus. Fit autem ex *oleo mastich. dest.* & *oleo communi*, simul liquatis & mixtis. Sed hæc omnia præmissis universalibus. Balsam. mastich.

Crat. *Consil. Medic. 167. c. b.* urgentibus doloribus injicit Clysterem talem:

℞. H. Ve-

℞. *H. Veronicæ* Miij. *absinth.* p. ß.
flor. sambuc. Mj. Decoquantur vel in *lacte*, vel, quod melius est, *jure capi.*

℞. *Colra*℔iß. *aloës* ʒiß.
sacchar. ʒiij. *myrrhæ* ʒj.

Ebulliant rursus, & applicentur. Mirando effectu hîc proponit Riverius, in *Praxi, fol. 34. Clysterem* factum ex *infuso croci metallorum*, non semper filtrato.

Spir. Terebinth. Utimur etiam *Spiritu terebinthinæ*, duabus horis ante cibum, cum brodio carnis, in quo *rad. cichor.* coctæ sint. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 223. c. b.* exhibet cum *decocto liquirit. agrimon. veronic. & flor. 4. cordial.* Sic ventriculus corroboratur, ventositates solvuntur, obstructiones, aliàs hîc frequentes, præcaventur, & non finitur nova generari materia, recidivæ causa.

Balf. Sulph. Smalkald. Circumfertur hîc *Balsamus* quidam *Sulphuris*, antea *Smalcaldicus*, jam *Augustanorum* dictus: cujus efficacia ut in *colica*, & nephritide, ut & difficultate anhelitûs, non contemnenda; sic cætera de hoc prædicata nimis larga sunt.

Ol. Saponis. Sennert. in *Instit. f. 1372.* in Colicis doloribus utitur *Oleo Saponis*, inungendo sex vel septem gutt. umbilico cum gossypio; quod sic parat: ℞. *Saponis Hisp. part. 1. calcis vivæ part. 2. Destillentur per alembicum*, vel *retortam*: Oleum ab aqua separetur, pro usu.

à Flatibus. Remedia. In colica *à flatibus* remedium esto, quasi secretum, ex Craton. *Consil. 170 f. 480. ol. amygd. dulc.* cum *vino Malvat.* ℥ß. & ʒß. *spermat. Ceti* haustum; vel *extractum calam. aromat.* ad ℈j. Idem, incantamenti instar, colicam è flatibus curari, ait, si, ex Galeni præcepto, *cucurbitulam magnam, cum magna flammâ, ventri ad umbilicum* admoveamus: etiam suadente Frambesar. *in Cons. f. 356.* Idem, *ex eod.* commendat *intestinum lupi exsiccatum*, ad ʒj. cum *mulsa* sumptum. Jubet & injicere *Clysterem* ex *vin. Malvatic.* cum *ol. castor. rutæ*: &c. Similiter incantamenti instar cessare dolores

dolores hos injecto clystere, ex *vin. Malvatic.* ℔ß. *ol. nucis* ℥iß. *aq. vit.* ℥j. habet Ph. Jac. Sachs, *in suâ Ampelographiâ, fol. 330.*

Nota, *ad*, non *supra*, umbilicum debere cucurbitulam applicari umbilico, ne fortè syncope oriatur, propter commercium vasorum umbilicalium cum corde. Sicut homo necessariò interit, si circa umbilicum excoriatur: quamvis aliâs vivere possit, totus pelle privatus. Sic Ægyptii, ut diutiùs reos excrucient, cute detractâ, umbilicum ferro non attingunt: cùm autem volunt, ut moriantur, etiam cutem circa umbilicum detrahunt, ut, vasis & visceribus collapsis, homo suffocetur; propterea, quia ligamentum hepatis abscissum est; unde hepar diaphragma attrahit, &, impeditâ respiratione, cor suffocatur; juxta Laur. *in Anat. f. 223.* & *241.* Umbilicus.

Riverius, *f. 646. intestinum lupi, vino albo ablutum & exiccatum*, ad ℨj. cum *vino albo* exhibet. Idem quoque commendat *aquam simpl. bullientem*, addit. *ol. communis* quarta parte, & granis aliquot *piperis crassiusculè triti*: cujus *cochl.* iij. vel iiij. calidissimè propinat: &, in momento sedari dolorem, ait: quod & ego, statim prodesse, crediderim, si *ex flatibus* fiat colica. Item commendat *decoctum galli decrepiti* in Colicâ diuturnâ. Intestinũ lupi.

Appropriatum colicæ remedium exhibet Roderic. Fonseca, *Consult. 57.* scil. *Pulv. ex Equorum testiculis*, cum ℨß. *sem. anisi*: interim abstinente ægro ab omni cibo & potu, horis tribus. Item *decoctum chamameli, veronica*, & *rad. imperatoria.* Vid. Sennert. *libr. 3. Pract. pag. 260. 266. 287.* Pulv. è testiculi.

Iliacam passionem non provenire ab occlusione intestini Ilei, rectè docet Sennertus, *L. 3. part. 2. s. 2. c. 1. Pract. f. 246.* siquidè feces etiam intestini recti per vomitum secedunt: sed à motu intestinorum inverso: cujus causa triplex est: inflammatio intestinorum, fecum retentio, & exulceratio intestinorum. Vide *loc. cit.* Ubi rectè quoque monet, fibrarum inversum motum emendari non adstringentibus, sed emollientibus, per os exhibitis, Illiaca passio.

tis, juſculis, aliisque ſorbitionibus. Conf. Horſt. *Oper. Tom. 3. Quaeſt. 2. p. 68.*

Riverius, *f. 652.* hîc ſingulariter præcipit *Abſtinentiam*. Primis n. 4 vel 5 dieb, tria tantùm cochlearia juſculi concedit, ne chylus corrumpatur, & ſic materiam morbi augeat: Potum verò liberaliùs concedit, quia ejus materia poteſt inſtitui, ut morbo contrarietur. Paræus hîc utitur *hydrargyro* & illius ℔ij. cum *aq. ſimplici* propinat. Sed rectè à Riverio, *f. 653.* reprehenditur, qui ait, ſufficere, etiam ad Inteſtina convoluta iterum in ordinem redigenda, vel villorum inverſionem, motumque periſtalticum emendandum, *argenti vivi* ℥j. Hoc certâ experientiâ conſtat. Si enim per jocum alicui, cum potu vini vel cereviſiæ, quantitatem nucis moſchatæ, quæ æquabit pondus unciarum duarum, bibendam dederis, in momento deſcendet per alvum, & feces, ſi quas offendit, præter hominis voluntatem omnes ſecum rapiet.

Jonſtonus, *l. 10. fol. 516.* in Illiacâ paſſione *ſangvinem veſpertilionis hypochondriis illitum* mirificâ experientiâ valere, ſcribit. Hæc ideo annotavi, ut cuilibet morbo appropriata & ſpecifica remedia in promptu ſint: quæ tamen ſoli experientiæ adſcribenda.

Quibus ex ſtranguria volvulus ſupervenit, intra ſeptem dies moriuntur; niſi, febre ſuperveniente, urina copioſa fluxerit. Hipp. *l. 6. aph. 44.*

Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum. l. 7. aph. 10.

Diarrhœa, Dyſenteria, *Alvi conſtipatio*, *Hernia, &c.*

IN quolibet *Alvi fluxu* concoctio ventriculi, vel etiam retentrix facultas, non ſemper laborat: ſed fit aliquando, propter obſtructionem venarum meſaraicarum, à glandulis ſuperfluis:

quod

quod strumosis pueris evenit; qui, etiamsi multum comedant cum appetentia, cibum etiam in chylum convertant, quodopus est ventriculi: continuo tamen alvi fluxu, chylosæ quidem materiæ, laborant, emaciantur, & nihil nutriuntur: quod insinuat River. *fol. 661.* Contingit etiam infantibus non strumosis, ut idem, *fol. 664.* notat, ubi, ob quamcunque causam, mesaraicæ venæ obstructæ sunt: & tunc cura ad venarũ mesaraicarum obstructionem reserandam dirigenda; non autem chylosus fluxus adstringentibus cohibendus.

In diuturno *Alvi profluvio* ℞. *Alb. ovi conquass.* N. ij. *ponantur in cella, ut diffluant in aquam puram; cui tantundem aq. rosarum* (meliùs *aq. rubi Idæi*) *adde*, & exhibe Patienti. Obstetrix Gallic. *Libr. 4. fol. 43.* Alvi profluvium.

Riverius, *fol. 675.* proponit *Pulverem cicadarum*, cum *vino albo*, ad ʒj. ut et *decoctum granorum juniperi*, cum *vino rubro*: aitque, hæc conducere, quatenus materiam diarrhœæ derivent & evacuent per urinam. Sic quidem omnia diuretica essent utilia, quæ plerumque tamen acrimoniam habent, quâ possunt stimulare potiùs, quàm sistere alvum. Pulv. cicadar.

In choleræ symptomatibus, jàm fere vel per evacuantia, vel narcotica, sopitis, viribusque utrunque restauratis, fidendum tamen non esse, rectè suadet River. *f. 612.* Solet enim malum post biduum recrudescere, cum Ægri interitu. Propterea in *Analepticis* perseverandum, &, vel parum quiescente vomitu, si venæ turgent, vel oppressæ videntur, illæ, pro virium ratione, aperiendæ. Nullo modo autem sangvis mittendus durante vomitu.

In *fluxibus biliosis* utimur quidem *acetosis*, ad bilis ferociam compescendam. Sed, ut id moderatè fiat, prudenter admonet Jonstonus, ne intestina mordeant. *Syrupi* tamen *de ribib.* & *berberib.* concedi possunt. Sistit fluxum ferociorem bilis *spongia salicibus adnasci solita*, gr. iiij. *pondere* exhibita, cum *vino ru-*

bro : extra verò *spongia marina*, quæ in *aceto fortiter bullierit*, stomacho imposita : Jonst. *l. 10. fol. 507.*

Diarrhœa. Caseus pp. In *Diarrhœa biliosa* caseum proponit Sennertus, sic præpar. *L. 3. Pract. part. 2. s. 1. c. 6. f. 317.* ℞. *Caseum antiquum comminutum, & aq. aliquâ adstringente, vel vino rubro, sæpius lava, & tandem in sartagine exicca, sicq; à salsedine purga.* De hoc *Pulver.* exhibe ʒj. in liquore conven. Confirmat Gordonius, *in Lilio Medico, ab Uffenbachio publicato, f. 165.*

Cholera. Crystallus. Aliàs in *cholera humida* probatissimum, & præsentissimum est remedium *Crystallus*, cujus ʒß. datur per se, vel cum electuariis. Sennert. *L. 2. de Febrib. cap. 13. fol. 179.* ex Langio, *libr. 3. Ep. 1. cap. 4.* qui crystallum bilis porraceæ, & dysenteriæ, antidotum nominat.

River. in Praxi, *fol. 678.* ex Sennert. *Libr. 3. Pract. part. 2. sect. 2. cap. 7. Quæst. 1. ex professo*, copiosum illum *Mucum*, qui in dysentericis cum sangvine excernitur, aliunde haud provenire, ait, quam ab affluente alimento corrupto; nec, verum pus esse, putat. Sed quid obstat, verum esse pus, cùm ulcus intestinorum adsit: & quamvìs non sit carnosum, concoctio tamen ibidem manifestior & celerior est; adeoque ex ulcere minùs carnoso copiosior veri puris proventus. Aliter se res habet in Asthmate, ubi pulmones quidem exulcerati non sunt: plurima tamen materia, puri similis, aliquando excernitur. Tunc enim verum pus non est, quod absque ulcere non consistit, sed vel catarrhus, à capite descendens, vel vapores, ab inferioribus partibus ascendentes, coagulati, & in pituitam versi, vel affluentis nutrimenti, sanguinis scil. corruptela; quod River. putat, & rectè quidem.

Idem, *fol. 687.* ubi *intestina inflammata* sunt, & *febris* adest, præter *V. S* proponit *Clysterem* ex *aq. rosar.* & *sale Saturni*, quem Nos *Saccharum* dicimus: exhibet intrò etiam, cum *conserva rosar.* ad *gr. X.* sed licet etiam *XX. grana* dare. *Fol. 698. Opobalsami veri,*

veri, quod in præstantioribus Officinis jam habetur, ʒj. involutam nebulis mirè, ait, intestina consolidare. Platerus *sangvinem humanum*, vel *alterius animalis*, calidum injicit.

Dysenteriæ curandæ methodum percommodam videbis apud Horst. *Oper. Tom. 2. à p. 175. usq. ad 181.* item *Tom. 3. à pag. 223.* ubi notandum, ipsum in *Clysteribus* describendis *pingvia* omisisse; quia pingvia inflammationem augent; præterquàm circa finem, ubi consolidatione opus erat: tunc admiscuit *sevi cervini* ʒj. Dysenteria

Omnib. Ferrar. *de cura Infant. f. 226.* *Qui habet*, inquit, *dysenteriam, & apparet, post ejus aurem sinistram, veluti res nigra, similis orobo, cum vehementi siti, moritur in decimo, & non tardat, nec evadit.* Rationem verò nullam subjungit. Provenit autem talis *Macula*, vel potiùs *Turberculum*, ob singularem & malignam melancholici sangvinis corruptelam, quæ intestinorum consolidationem non admittit; ac prodit sese potissimùm post aures, ubi glandulæ ad recipiendum aptæ sunt; velut in Peste. Imò ex humore dysenterico maligno, in crus descendente, per mesaræum, quod à lumbis exoritur, *Gangranam* oriri posse, testatur Gvilh. Fabr. *f. 299.* ex *Paulo* Offredo. Tuberculum post aures. Gangræna.

Utimur in dysenteria *Potu chalybeato.* *Sed magnâ*, ait Döringius, apud Guil. Fabric. *f. 225. cautelâ opus est: illud enim decoctum, in quo chalybs recens* (ego intelligo talem, qui nunquam, post officinam primam, ignitus neque extinctus fuit) *ignitus extingvitur, alvum potiùs movet, quàm sistit.* Decoctum igitur primum chalybeatum abjiciendum est, &, si potenter velis alvum sistere, ad quadragesimam vicem oportebit chalybem ignitum in unum decoctum immittere. Idem confirmat Crato, *Consil. 202. fol. 583.* ubi *Clysterem* proponit ex *sero lactis chalybeato.* Si verò licet potenter astringere, exhibe ℈j. vel ʒß. *flor. ferri*, à Metalli-fossoribus petendi. Decoctum Chalybeatum. Flor. ferri

Emplastr. Pro alvo constringenda, & roborandis intestinis, imponi potest toti ventri *Emplastrum* 24. horis, calidè, quod ℞. *Mellis* cochl. ij. *pomor cydon. nuc. mosch.* an. num. j. Contusa cum melle calefacto M. & coque, tandem, addendo *ol. mastich. cydon. absynth.* ana ℥v. iterum coque ad justam consistentiam: ex Collectaneis Illustriss. Dnæ Vorgatschin.

Pulverem, pane tosto, aceto calido consperso, comprehensum, infimo ventri, corroborationis gratiâ sæpius appositum, vid. ap. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 177. c. a.* Vid. infr. *libr. 8. cap. 2.*

Convulsio, vomitus, singultus, & *conturbatio mentis*, post dysenteriam, sicut ab Ileo, Hippocrati; ita mortis indicia sunt etiam Omnibono Ferrario, *de cur. Inf. aph. 108.*

Jusculum anti-dysentericum. Mirum in modum dysentericos juvat *Jusculum* sæpius comestum, ex *carne castratorum*, & *lumbricis terrestribus puris*. Senn. *L. 3. Pract. part. 2 sect. 2. c. 7. f. 381.* ex Fabric. qui, *in Cent. f. 263.* in dysenteriâ (maligna proculdubio) feliciter *lapide Bezoar* utitur, & quidem, pro dosi, *granis quadraginta*.

Lapis Bezoar.

Alvi fluxus. In *alvi profluviis*, ubi, sine Ægri commodo, excernuntur, quæ retineri debent, ut fit in fluxibus symptomaticis, audacter suadet Frambes. *in Cons. f. 334. Venasectionem*, ut materia affluens divertatur, nisi vires, & ætas, contradicant. Alii timidiores Medici eam maximè forsitan improbarent, quasi afflicto corpori non esset addenda afflictio. Superiùs dictum, iis etiam, quibus membra abscissa sunt, sæpius venam aperiendam esse. Quod si negligatur, præter plures alios affectûs, etiam dysenteriâ interimi possunt Ægri; ut notat Gvilh. Fabric. *Tract. de Dysenter. pag. 667.* Quem consule. Vide *loc. cit.* lectu dignissimum, de evacuationibus symptomaticis & criticis.

Venæsectio in alvi fluxu.

Idem, & Schola Salernitan. *fol. 255.* pluribus in locis, monet Chirurgos, ut *in Venasectionibus amplum*, vel *angustum*, faciant *foramen*; quod paucissimi Medici observant. V. g. in *alvi*

pro-

profluviis, dictus Fabric. *f. 335.* ubi congrua est venæ S. facit *angustum* foramen, ut tardè profluat sanguis. Paucus enim sangvis, &, quasi per rivulos, tardè manans, inflammationem mitigat, & sangvinis (loquitur tunc de *Dysenteria* potissimum) ad intestina affluxum revellit, innatumque calorem sensim refrigerat, somnum autem magis, quàm animi deliquium (quod ab *ampliori* foramine, propter spiritûs confertim evacuatos, expectandum) inducit.

Est quippe optimum remedium, Dysentericis, *Somnus.* Ubi advertendum, à *Venæ sectione Somnum* non absolutè prohibendum, & sine discretione. *Quid* enim obest *Somnus*, quando Patiens vigiliis priùs fatigatus est, vel ob hæmorrhagiam vena aperitur, vel aliàs morbi remedium somnus, & æger ad somnum proclivis est, nec ab eo, sine virium jacturâ, abstrahi potest? Somnus humectat, quia attenuat perspirabile, & valde attenuatum per omnia membra dispensat, ait S. Sanctor. *libr. 4. aphor. 44.* Somnus à venæsectione.

Mense Martio collige *sangvinem leporis*, *& linteamina eo madefacta exicca.* De his *pulverisatis* exhibe dysenterico sæpius ℨj. V. A. E. F. Sangv. leporis.

Post alia remedia detur hoc *Emplasticum*: ℞. *Ceræ alb. tenuiss. incisæ*, & *gum. Arabic.* part. æq. de hoc *Pulvere* cum *pomo*, vel *pyro*, *asso*, detur sæpius ℨj. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 179.* & *Tom. 3. pag. 70.* Emplasticum.

Sistit fluxum sangvinis *Laudan. opiato*, Horst. *Oper. Tem. 2. p. 482.* ut et *Pilul. de cynoglossa*, quas Idem, *Tom. 2. p. 179.* ℈ß. pondere clysteribus addit. Per *Laudanum opiatum*, præmiss. præmitt. aliquot liberos Nobilis Dn. Schrenkii, Officii Salinarii Gmündnæ à Secretis, omnes simul dysenteriâ laborantes, etiam semestrem Infantulam, quondam feliciter me curasse, memini. Laud. opiat.

Fallitur aliquando Medicus in dignoscendo *fluxu Hæmorrhoidum.* Nam si post alvi excretionem succedit sangvis pu- Hæmorrhoides.

xus, is rarissimè provenit ab Hæmorrhoidibus, sed à venæ cavæ ramo in intestina desinente. Si enim hæmorrhoides fluunt, ante secessum potiùs, quàm pòst, fluerent: quia sunt venæ in ani circulum insertæ; ut præclarè demonstrat Gvilh. Roman. Med. Naumburg. apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 393.*

Hæmorrhoidum fluxus dolor.

Hæmorrhoidum fluxum, & *dolorem*, Helmont. deducit à dissensu Pylori & fellis, atque commendat *Amuleta*, forsitan *scrophulariæ radicem*, & *fructus cardui hæmorrhoidalis.*

Appropriatum, & ubique decantatum *Hæmorrhoidibus dolentibus* est remedium, *Ung. ex multiplici infusione Linariæ*, cum *axung. porcina* factum; non ex floribus, sed ex foliis & stipitibus, forte, ut magis virescat & adstringat: ut nostris Pharmacopœis placet. Mallem ego, confici è floribus tantùm: sic magis esset anodinum. Vid. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 242. a.* Hòc ego *hæmorrhoidibus dolentibus*, in momento quasi, medebar Excellentissimi, & Illustrissimi D. D. Werneri Tserclas, Comitis Tyllii, Superioris Austriæ Magnatis, Patroni mei meorumque singularissimi, p.m. cùm Styræ, præ dolore & tumore eorum, vix stare, nedum incedere, vel sedere posset: præter plures alios.

Ungi. de Linara.

Dolentes quoque *hæmorrhoides* curantur *oleo buxi*, si unâ & alterâ guttulâ inungantur; vel *oleo nucum expresso*, si *millepedes* in eo bullierint: ex Quercetano.

In *magnis inflammationibus* plurimum quoque præstat *pl. Saturni*, & *rosar.* partibus æqualibus in mortario plumbeo ductis ad nigredinem, & inunctis: Item *saccharum Saturni*, cum *aq. rosac.* pro *fotu* usurpatum. In compescendis *Hæmorrhoidibus nimiùm fluentibus* River. *fol. 732.* commendat *Pil. de Bdellio*, quas Augustani describunt: harum ℞. ʒj. *troch. de carab. de terra sigill.* an. ℈j, cum *mucilag. sem. cydon. aq. rosar. extracta. M. F. Massa*; de qua ℈j. detur singulis diebus, ante prandium & cœnam.

Hæmorhoid. nim.

De usu *crepitus lupi*, s. *spongiæ terrestris*, vid. Craton. *Consil. Medicinal. 206. pag. 590.*

Partu-

Parturientibus aliquando *intumescunt hæmorrhoides*, ob validum conatum, ad duarum juglandium magnitudinem. Tunc utimur eodem *Ung. de linaria, oleo ovorum, cydon.* & *mastich. spongiâ* item, mitioribus adstringentibus ebriâ. Horst. *Oper. Tom, 2. p. 279.* Crato commendat *oleum momordicæ.* Obstetrix Gall. *Part. 4. f. 34.* medetur *dolori* hæmorrhoidum, etiam gravidis & parturientibus molesto, hoc *Ungvento* : ℞. *Millepedum*, **Esels wûrm** *q. s. M. probè cum pulpa pomorum acidorum cocta* :. & applica cum linteo loco dolenti, aliquoties renovando. Si discutientia, & dolorem lenientia, tumorem non tollunt, commodè *aperiuntur* etiam *scalpello* & *hirudinibus*, ex Riverii sententia. *Exulceratis* optimè conducit *Bals. sulphuris.* Parturientium hæmorrhoi-det. Ol. Momord.

Sæpius *Ani procidentia* in pueris contingit, & delicatulis, rariùs in adultis. Ubi *inflammatum* jam est *intestinum rectum*, extra ventrem procumbens, mitiùs ab initio tractandum, & fovendum rebus calidis & humidis, emollientibus, per aliquot horas: deinde pulvis adstringens inspergendus, ac tandem suaviter illud reponendum. Vide Gvil. Fabric. *f. 258.* Aliàs, ubi malum est recens, & *nulla* est *inflammatio*, statim intestinum reponimus *linteo calfacto*, & ex *terebinthina*, carbonibus injecta, *Suffitum* per inferna facimus; ut in Tenesmo. Exemplum in Puella Nobili Boemica, ex Gynæcéo Excell. & Illustriss. Comitis Maximiliani de Wallenstein habui, &c. cui cùm, summa hyeme, an. 1654. ob Levcophlegmatiam, exhibuissem vinum laxativum, illa ad locum frigidissimum, dum purgaretur, secessit, & paulatim in hoc malum incidit: quod ex pudore subticuit, donec intestinum *inflammatum* non, nisi magno labore, fuerit repositum: ex integro tamen convaluit. Medicos itaque etiam in hoc cautos esse oportet, ut, dum pharmaca exhibent Patientibus, illos admoneant, ne aërem frigidum admittant: quamvis hoc ipsum munus sit ægrotantium & assistentium. *Oportet enim non solùm Medicum facere, quæ facto sunt opus; sed & ægros, & assi-*

Ani procidentia.

Aër frigidus vitandus Purgatis.

& assistentes: sintq; externa (qualia sunt locus secessus, &c.) *rectè comparata.* Hipp. *l. 1. aph. 1.*

Tenesmus. Tollitur *Tenesmus sacculis furfuribus triticeis* plenus, & in *aceto* coctis, super quos sedeat Æger. *Clysteres*, qui injiciuntur, sint parvæ quantitatis; *cannulaq;* modestè ingeratur. *Suppositoria* fiant ex *sevo hircino*, vel *cervino*, cum *sem. papav. alb. hyoscyami*, & *opio*. Ex River. *fol. 703.*

Alvi excrementa nimia. *Alvi excrementa* superant aliquandò ingestorum pondus: quod sæpissime hæc anno, in Castrensibus Ægris, contigit. Hoc autem maximâ ex parte provenit, quòd serum, quod halitûs formâ per ambitum dissipari poterat, frigore poros densante, ad intestina sit repulsum. Idem esto judicium de urinâ: quæ aliquando multum superat potum.

Excrementa nigra. Quibus *nigra* vel per alvum, vel per vomitum, in morbis gravibus secedunt, omnes moriuntur: juxta Gal. *l. de atra bile, cap. 3.* Summam enim significat humorum corruptionem, & naturalis caloris extinctionem. Cardanus tamen, *in Progn fol. 178.* contra Gal. se vidisse tales, ait, servatos, sed addit: si egestio concocta fuerit; hoc est, si dejectiones non fuerint conjunctæ cum morbis gravibus. Et tales dejectiones à summâ humorum corruptione, vel caloris nativi extinctione, non proveniunt, sed ob copiam humoris melancholici, qui ex bonitate naturæ, unde unde irritatæ, pro depuratione sangvinis secernitur. Quales dejectiones vidi in mulieribus aliquoties, sine interitu. Reliqui omnes perierunt. Exemplo mihi fuerunt plurimi.

Alvi excrementa. *Alvi excrementa* in homine magis *fœtent*, quàm in cæteris animalibus: quia hominis diæta varia est, & humidior; vita quoque minùs laboriosa, quàm cæterorum animalium. Quòd

Putredo. autem fœtent omnium animalium excrementa, causa est *putredo*. Objicies, naturaliter in animalibus nihil putrescere: sed respondetur, ex Andr. Laur. *in Anat. f. 233.* Dum fit in ventriculo chy-

lo chylus; nativus calor omnia intrat, omnia complectitur, & nihil finit putrescere; detruso autem chylo, & separatis partibus heterogeneis, quod bonum est, nativus calor comitatur ad hepar usque; contrà, inutile & excrementitium, tanquam brevî excernendum, & jam ad ignobiliora loca detrusum, deserit: tunc putrescit; hinc *Fœtor.* Non finit autem intestinum, ubi hæret, secum putrescere (nisi justo diutius hæreat) quia est in receptaculo proprio, & à natura destinato, ut feces ad tempus contineat.

Primirosius, *de Febrib. fol. 21.* quærit, cur non febres fiant, ob continuos vapores, qui ab excrementis fætentibus, adeóque putridis, exhalant? Respondet Mercurialis, intestina esse anfractuosa, & à corde multum dissita. Meliùs fortè diceret, quòd tanta corruptio excrementorum non fit, ut vapores inde exhalantes febrim inducere possint. Excrementa siquidem retinentur in conceptaculo proprio, & quotidie excernuntur.

Quòd aliquando *simile quid excernatur intestinis*, testatur J. D. Horstius, *fol. 201.* utique ex concreta pituita viscida, & formam ab intestinis mutuante, duabus historiis. Rectè quoq; putat Cardanus, ex Gal. doctrinâ, *in Progn. f. 175.* quòd alvus *spumosa* in acutis non proveniat à flatibus; quia dissiparentur summo calore febrili: neque ab agitatione corporis, ut spuma maris valde agitati: sed à puro & intenso calore solùm, ut bullæ in ebullitione aquæ ferventis. Ergo non statim pronunciandum, sive in urina, sive in fæcibus alvi, spumam videris, flatûs adesse: sed bene distingvendum. Minus enim periculi significat spuma è flatibus, aliqualis utique coctionis indicibus, quàm ex valde intensâ febri. Indicare autem alvum spumosam defluxionem à capite, & vermes in intestinis, Jonstonus tradit, *l. 2. f. 87.*

Excrementa aliena.

Alvus spumosa.

Summatim colligit Cardanus, *l. 3. prognost. fol. 337.* omnia excrementa, sive sputum, sive vomitum, sive alvum, sive urinam, consideraveris, meliora esse mista; optima magis & exactiùs

Excrementa quæ optima.

exactiùs permista; pessima verò quæ sincera sunt: Idque passim docente Hippocr. & *in Prognost.* & in *Aphorism.* ubi vide rationes, quare. Permistio quippe exacta à calore fit vehementi, cum humido mediocri: ubi autem calor est vehemens, putà naturalis, ibi facilis morbi victoria. Sinceræ autem dejectiones, exustum esse omne humidum innatum à calore febrili, demonstrant. Est etiam exactæ permistonis ratio, quòd sensim fiat, non coactâ natura: sicut videmus, meliùs misceri farinam, si aqua non confertim affundatur; adeoque & hâc ratione bonum est signum.

Alvi constipatio. Causa.

Constipatio alvi frequens est, & molesta quàmplurimis. *Causa* plerunque statuitur bilis stimulantis defectus, vel in alias partes perniciosa ablegatio, vel naturæ expultricis debilitas. Potest etiam alvus obstrui à seri, vel humidi, cum fecibus nullâ facta permistione. Quando scil. serum, ut in hypochondriacis, hydropicis etiam, ad alias partes, mesenterium, lienem, hepar, ventris cavitatem &c. secernitur & transmittitur. Sunt, qui *causam* constipationis referunt aliquando ad facultatem retentricem intestinorum nimis fortem. Sed errant, apud Andr. Laurent. *f. 230.* qui intestinis utramque facultatem naturalem, attractricem, & retentricem, omnino negat, & ex Galeno probat, *3. de causis sympt.* tardæ dejectionis causam nunc expultricis imbecillitatem; nunc hebetiorem intestinorum sensum; nunc ingestorum crassitiem, stipticitatem, paucitatem; nunc musculorum abdominis, quorum in excernendis fecibus mira est facultas, imbecillitatem esse: tacuisse autem omnino, ait, Galenum, de intestinorum retentrice. Neque enim credibile est, intestinorum retentricem ullâ ratione intendi posse; cùm naturæ hoc sit proprium, ad excernenda omnia inimica pronissimam esse.

Alvi obstruct. in puerperis.

Musculorum abdominis imbecillitatem accusat etiam Sennertus, *in Epit. Instit. f. 187.* Unde subsumendum, *Puerperas sæpius*

sepius alvum pigram habere, non tam quia, propter continuum decubitum, ut vulgus ait, alvum comburunt: haben einen verbrennten Stuhl/ quàm quòd, à partu præcedente, abdominis musculi adhuc sunt debiles. Ubi frustra adhibentur *laxantia medicamenta*, vel *cibi etiam tales*: quorum usum nimium aliâs rectè prohibet Crato, *Conf. 3. fol. 9. pruna* scil. *dulcia*, *passulas*, *spinachiam*, *betam*, *poma assa*, &c. quia hæc nimis lubricas faciunt ventriculi tunicas, & sic concoctiones vitiant; unde excrementa gignuntur, ad excernendum minùs proportionata. Propterea magis hisce convenire bolum ad quantitatem nucis moschatæ, de *Terebinthina*, nebulis involuta; vel *aloën*, vel *rhabarbarum*, quæ, præterquam quòd alvum stimulent, amicam etiam habent stipticitatem. Laxantia ventriculo nocent. Stimulantia alvum.

Ubi verò *excrementa* in aliquo intestino exsiccata, & *indurata* evacuationem prohibent, emolliri illa, & facultas expultrix stimulari postulat, ex Horstii consilio, *olei communis* haustu, cum *vino calido*, item *oleo amygd. dulc.* cum *vino Malvatico*: vel dissolve *vitellum ovi recens*, *non coctum*, cum *jusculo carnis*; vel *syr. dialth. Fernel.* vel *rosat. solutiv.* cum *brod. prunorum dulcium*, vel *jusculum carnis pingvis*, cùm M. 1. *Sacchari Canar.* Novi ego, propè Styram, ex familiâ Gsellhoferianorum, Seniorem Wolfg. Sebaldum, virum probum, & amicum meum, qui, *ovo sorbili recenti* comesto, quotiescunque voluit, alvum solutam cum evphoriâ sibi conciliare potuit. Optimum aliâs constipationi remedium est *Clyster*, qui vocatur *domesticus*, ex *jure carnis*, *sale*, *melle*, *vitello ovi*, *butyro*, vel *oleo communi*. Minsichtus, *Armament. fol. 459.* laudat sequentem *Injectionem*, præsertim ubi omnes Clysteres nihil effecêre: ℞. *Aquæ calidæ* ℔j. *salis communis* ℥iß. M. per *Clystere*. Ubi quadrat, loco *Aquæ*, accipit potest *vinum Malvaticum*. Hoc modo ego vidi, sæpius plus eductum esse fecum, quàm per acriores clysteres, ex electuariis, pulveribusque compositos; qualium usus nimis frequens nonnunquam inte- Excrementorum durities. Clyster domesticus.

ſtinorum facultatem mirum in modum lædit, calorem ipſorum deſtruit, & flatûs generat: teſte Cratone, *Conſil.121.pag.335.* & alibi ſæpius. Martinus Weinrichius quoq;, apud eundem, *f.121.* teſtatur, ſæpe Cratonem deteſtatum fuiſſe eorum inſcitiam, qui tot purgantia, ut *diacatholicum, agaricum, colocynthidem, confection. hamech*, &c. clyſteribus immiſcent; cùm inteſtinis tantus calor non ſit, ut ea in actum deducant; hiſque propterea detrimentum non exiguum accidit, dum calor ipſorum debilis vel omnino obtunditur, vel iis qualitas maligna & noxia communicatur, vel ſaltem in excernendo ea ſegniora fiunt. Vidi ego, dum hæc ad prælũ deſcribo, *tumorem*, poſt colicos & nephriticos dolores utcunque ſopitos, *ſupra ingven* dextrum, verſus umbilicum, ſummè dolentem & durum, in Cubiculario Excellentisſimi Generalis Hazfeldii, &c. non aliâ ratione, quâm uſu clyſteris acrioris, materiam ſubitò attrahentis, concitatum; quem tamen, præmiſſis univerſalibus, intra paucos dies, emollientibus & diſcutientibus fomentis & inunctionibus, extra adhibitis, feliciter curavi; imprimis non ſine metu futuri abſceſsûs. Conjunge, quæ ſupra, ex D. Minderero, notavimus.

Tumor ſupra ingven.

Modus applicandi.

Primiroſius, *fol.397.* improbat uſum *Clyſterum per veſicam*, & approbat eundem per *ſyringam*: quia ſic altiùs in inteſtina ſubeant.

Clyſter nocturnus.

Facit mentionem *Clyſterum nocturnorum* Gvilh. Roman. Med. apud. Horſt. *Op. Tom.2. p.395.* Quos ego arbitror eſſe tales, qui noctu injiciuntur, & ad alteram diem aſſervantur, ac tunc demum ejiciuntur. Nobis, quamvis inconſveti ſint, tamen non improbantur: per diuturnam enim moram excrementa rectè emolliuntur, &, ſi quis in inteſtinis dolor adeſt, iisdem demulcetur: quantumvis noſtri homines ad hanc rem nimis forent impatientes, perſvaſi, ſi eos oporteret clyſterem aliquem ſaltem per bihorium ſuſtinere, maximam vim inteſtinis illatum iri. Tales autem nocturni clyſteres, quantum auguror,

guror, ut per noctem retineri possint, non debent pondus ℥vij. excedere, & iis tantùm constare, quæ alvum simpliciter leniunt, & paucâ pinguedine; v. g. *jure carnis, lacte, vitellis ovorum, herbis emollientibus*, &c. non iis, quæ stimulant; ut sunt *electuaria, pulveres, sales, massa pilul.* &c. Si verò placuerit, in certis casibus, ubi opus est multâ attractione, *acriores* præscribere clysteres, non est nimis intendenda oleorum & pingvedinum dosis. Illa enim reliquorum purgantium vim unctuositate suâ infringunt, & obtundunt; ut rectè olim monuit Exc. D. Bettmannus, Cremsii Provinciæ Medicus percelebris. Meliùs quoque loco salis communis *sal gemmæ* additur. Acrior.

Rolfinccius, *de Febrib. fol. 309.* nulli dubitamus, ait, clysterum vim primam regionem transcendere, & ad totius corporis expurgationem facere. Atqui ego hoc nimis liberaliter dictum puto: siquidem non, nisi per accidens, humores ita commoventur. River. quoque, *fol. 98.* existimat, clysteres purgantes, si intestina penitius subierint, posse etiam venas mesaraicas evacuare: propterea eos in melanchol. hypochondriacâ commendat, iis præsertim, qui medicamenta respuunt. Respon. Negativè, quòd enemata ad ventriculum ferri nequeant ob valvulas, in extremo cœci intestini positas. Conf. Galen. de Clysteribus, interprete Fr. Raphelengio.

Andr. Laur. *in Anat.* agitat quæstionem, *utrum clyster nutrire possit*, & an intestinis vis aliqua concoctrix attribuenda sit? Contrà posse ad tempus nutriri hominem solis *clysteribus* & *lacte, jure carnis, vitellis ovorum*, &c. exemplum habet Guilh. Fabric. *f. 311.* in Matrona prægnante, per sex fere septimanas sic nutritâ. Ergo credendum experientiæ; cui ratio non contradicit; si intestinorum structuram, cum ventriculo connexionem, & vicinitatem perpendamus. Nutriem.

Solvitur alvus pertinax aliquando, si Æger nudis pedibus pavimentum frigidum inambulaverit: teste Sennerto, *Libr. 3. Pract. part. 2. sect. 2. cap. 4. f. 287.* Quod fit propter consensum, Alvi solutio.

 quem

quem plantæ pedum habent cum nervosis & membranosis partibus; quales sunt intestina; quæ, sic refrigerata, irritantur ad excernendum.

Ventriculus frigidus. Quin & *Ventriculus* eodem modo afficitur: hinc *absinthium viride* plantis pedum substratum, & gestatum, potest frigidam ventriculi intemperiem, per vomitum & nauseam, emendare. De hoc autem, utrum verum sit, interrogat Horstium, *Oper. Tom. 2. p. 334.* D. Hebenstreit. Horstius verò nihil respondet; & Hebenstreit de experientiâ dubitat.

Icterus. Eâdem sanè ratione *chelidonium* gestatum *Ictero* medetur: remedium etiam lippis & tonsoribus notum.

Purgatio peculiaris. Atque adeò, talem partium remotarum consensum considerans, non miror amplius, Medicum quendam Germano-Hispanum, Viennæ, Matronæ Illustrissimæ à Kroneck, annis ab hinc viginti prope, delicatæ, & medicamentorum sumptionem per os omnino aversatæ, *massam pilularum* ipsis *plantæ pedibus supposuisse;* ut sic purgaretur per alvum: quod nonnullis ridiculum videretur.

Hernia. Gvil. Fabric. *in Cent. f. 443. Herniarum intestinalium* unicam Panacéam esse, ait, quietem, & decubitum in dorso: addo ego & subligaculum. *Fol. 338.* quia scrotum, aquâ, vel alia re turgens

Dignotio. herniam præ se fert, ante sectioné candelam applicandam esse, svadet, ut appareat, quid in scroto tumorem faciat: sic tutiorem futuram sectionem. Vide Auctorem ipsum, ubi, *Cent. 6. obs. 69. & seq.* pulchrè de Hernia discurrit.

Curatio. Senn. *L. 3. Pract. part. 2. f. 1. c. 6. f. 228.* hanc, ut certissimam, Herniæ *curam*, nec sine ratione, commendat; *℞. Rad. cichor. flore albo* (circa festum Jacobi effodi volunt) *partes tres, pulsatillæ partes duas, sem. perfol. part. 1. F. Pulvis;* de quo in prandio & cœna, quantum tribus digitis primoribus capi potest, in jure carnis capiat Æger, usquedum integrè restituatur. Mulier quædam Lyncensis summoperè commendavit *Unguentum*, per modum emplastri herniæ imponendum, & singulis 12. horis renovandum: quod

quod ℞. *Musci quercini exiccati, & minutissimè pulverisati*, cum *terebinthina calefacta* q.sufficit. Vid. Obstetric. Gallic. *lib.4.f.41.* de *Sacculis ex avena.* Fuit in Sup. Austria Sartor, qui *Hernias*, paucarum septimanarum spatio, feliciter curavit appositione alicujus *mucilaginis extra*: *intra* corpus verò exhibebat aliquem *Pulvisculum*, & *vinculo*, quod Hispanicū vocabat, locum diligenter custodiebat, tanquam causâ sine qua non. Sic certo experimento & adultos & pueros restituit; indeq; magnū sibi lucrum comparavit. Mucilagiuis autem, & Pulvisculi, compositionem, & cætera ad curam requisita, mihi ab Amico, cui Sartor secretum hoc aliquot aureorum pretio revelavit, singularis benevolentiæ gratiâ, communicata, hîc pro tempore subticeo, in alium locum illud reservaturus.

In alvi profluviis, exerementorum mutationes juvant, nisi in prava commutentur. Hipp. l.2. aph.14.

Longâ diarrhœa laboranti, sponte superveniens vomitus, diarrhœam solvit. l.6. aph.15.

Pleuritide & peripneumoniâ detento, superveniens diarrhœa, malum. l.6. aph.16.

Ophthalmiâ laborantem diarrhœâ corripi, bonum. l.6. aph.17.

Balbi diarrhœâ longâ maximè corripiuntur. l.6. aph.32.

Si, leucophlegmatiâ detento, fortis diarrhœa supervenit, morbum solvit l.7. aph.29.

Quibus per diarrhœam spumosa sunt alvi excrementa, iis à capite fit defluxio. l.7. aph.3.

In alvi perturbationibus & vomitionibus, quæ sponte fiunt, si, qualia purgare oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt: sin minùs, contrarium. Sic & vasorum evacuationes, si, qualis fieri debet, fiat, confert, & facilè ferunt: sin minùs, contrariū. Proinde & regionis, & temporis, & ætatis, & morborū, ratio habenda, in quibꝰ conveniat, nec ne. l.1. aph.2.

Quibus in juventute alvus est humida, his senescentibus exiccatur: quibus verò, juvenibus adhuc, alvus est sicca, his senescentibus humectatur. l.2. aph.20.

Quicun-

Quicunque habent alvum humidam, ij juvenes quidem meliùs degunt, quàm qui siccas habent; in senectute verò pejùs degunt. Nam ipsis senescentibus resiccantur utplurimùm. l. 2. aph. 53.

Dejectiones nigræ, qualis est sangvis niger, sponte prodeuntes, & cum febre, & sine febre, pessimæ. Et quantò plures earum colores pejores fuerint, tantò pejus. A medicamento verò meliùs, & quantò plures colores non pravi. l. 4. aph. 21.

In quovis morbo partes ad umbilicum & imum ventrem attinentes crassiores esse præstat: plurimùm verò extenuari & contabescere, pravum. Sed ad inferiores quoque purgationes idem tutum non est. l. 2. aph. 35.

Diuturnas curanti hæmorrhoidas, nisi servetur una quæpiam aperta, periculum est, hydropem, aut phthisin, succedere. l. 6. aph. 12.

Dysenteria, si ab atra bile inceperit, lethalis. l. 4. aph. 24.

Si, dysenteriâ laboranti, velut carunculæ dejiciantur, lethale. l. 4. aph. 26.

In longis dysenteriis cibi fastidium, malum, &, cum febre, pejus. l. 6. aph. 4.

Lienosis dysenteriâ correptis, post longam dysenteriam succedentem, hydrops aut lienteria advenit, & moriuntur. l. 6. aph. 43.

Lienosis dysenteria superveniens, bonum. l. 6. aph. 48.

A furore, dysenteria, aut hydrops, aut vehemens mentis emotio, bonum. l. 7. aph. 5.

A sincerera dejectione dysenteria, malum. l 7. aph. 23.

A diarrhœa, dysenteria. l. 7. aph. 73.

A dysenteria, lienteria. l. 7. aph. 74.

Quibus alvi intestinorum lævitate laborant, hyeme sursum purgare, malum. l. 4. aph. 12.

In diuturnis lienteriis, siructus acidus, qui priùs non extiterit, supervenerit, bonum est signum. l. 6. aph. 1.

Si gravida tenesmus supervenerit, abortit. l. 7. aph. 27.

CAP.

Caput VI.

De Penis, & Testium, Affectibus.

CArdanus, *Comm. 2. prognost. f. 333.* in fine, motum distingvit in imaginarium, & voluntarium, & ait, nullum motum, qui voluntati paret, imaginando fieri; & contrà. Sunt autem motûs imaginarii, non voluntarii, vomitus, fletus, risus verus, virgæ erectio, oscitatio, titillatio, pandiculatio, rigor &c. qui proveniunt à subitâ commotione spirituum, dirigente imaginatione. In virgæ inprimis erectione mirabile institutum naturæ spectare licet, quo ipsi virgæ voluntariam erectionem justè denegavit. Adolescentes enim omnes, & juvenum plerique, si hic motus à voluntate penderet, à re Venereâ absumerentur.

Paraphimosis dicitur affectus, quo præputium *retrotractum* cernitur, cum inflammatione glandis tali, ut in locum suum redire non possit. *Phimosis* verò, quando præputium ita arctè *clauditur*, ut glans omnino non videri, atque ita nec semen, nec urina liberè transire queat. Quomodo utrumque malum curetur, vide apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 257. & 261.* item Gvilh. Fabric. *fol. 444.* Præputium retractum. Paraphimosis. Clausum: Phimosis.

Idem *Testibus*, & *Scroto contuso*, ut appropriatum remedium, adhibet *agrimoniam*, contusam & appositam, *f. 261.* Testium contusio.

Hanc sequitur plerumque *Hernia carnosa:* quando scil. nutrimentum affluens apponi non potest, vel alii etjam excrementitii humores affluunt, & transsudant; accrescit testibus caro flaccida, haud secus, ac in fonticulis accidit. Hernia.

Illos, qui coëunt, & sperma studiò non emittunt, in *tumorem testiculorum* facile incidere, Sanct. Sanctor. *sect. 6. aph. 17.* testatur; eò, quod sperma sit imperspirabile. Et sanè debet esse imperspirabile, quia, ob copiosos spiritûs, quos in se continet, facilè dissiparetur, & evanesceret, vel inutile redderetur. *Reme-* Testium inflammatio tumor.

dium esto in tali tumore, coitus concessus & repetitus; nisi febris adsit; tunc refrigerantia admove foris: intus sudorifera.

Penis ulcus. In *Penis ulceribus* difficilibus glutinatu utere hoc *Unguento* consolidante, post mundificationem, aliquando etiam bene

Curatio. per *oleum Antimonii* factam. ℞. *Fol. sabinæ pulv.* ʒiiß. *croci metall.* ʒj. *butyri rec.* cum *aq. rosarum* multoties loti, q. s. ducantur in mortario plumbeo, & F. *Linim.* quod non tam consolidat, quàm mundificat. Postea adde linteolum humectatum *sacchato Saturni*, cum *decocto ligni*, & *corticum ejus*, addito interdum *Ung. aureo*. *Densensivum* esto *Empl. de spermat. ranarum*. Horst. *Op. Tom. 2. p. 257. c. a.*

Gonorrhœa. Pollutio nocturna. *Gonorrhœa* non semper est morbosa, sed aliquando provenit ex nimia bene elaborati seminis copiâ; ut in *Pollutione nocturna*, animæ citiùs, quàm corpori, perniciosa. Quale hîc Monacho cuidam dederit consilium Frambesarius, vide, & nota, apud ipsum, *f. 398.* Optimum sanè remedium est honestum conjugium; vel, si, ob votum, non licet, abstinentia à cibo, potu, otio nimio: & utere (quod sine valetudinis jactura fieri potest) hac *Aquâ*, à Minsichto descriptâ, *in Armament. Medico, f. 316.*

Aq. castitatis.

℞. *Terræ sigillatæ* ℥iij.
sem. agni casti ℥iß.
rutæ,
lactucæ,
acetos.
portulac.
endiviæ,
milii Solis,
papav. alb.
ameos,
cannab.
coriandr. pp. ana ʒvj.
rad. dictam. alb.
rad. cynogloss.
bistortæ,
ireos Flor. ana ℥ß.
santalor. omnium,
magisterii Saturni,
camphor. ana ʒiij.
herb. absinth. Pont.
menthæ crispæ,
bursæ pastoris,
taraxaci,
verbenæ,
fol. salicis, ana ʒij.

Incis.

Incil. & cont. infunde in *vini rubri* ℔x. Stent in digestione per octiduum: postea destillentur. De hoc sume ℥iij. cum *julapio rosato, violato*: vel, si placet, ex his simplicibus fac *Electuaria, Pulveres, Pilulas*, &c.

Gonorrhœa morbosa medetur *Pulvis* apud Crat. *L. Epist. 61. fol. 92.* Gonorrhœa morbosa.

℞. *Gum. Arab.*	*mumiæ,*
tragacanth.	*bol. Armen.*
succini,	*mandibul. lucii*, ana q. vis.

Sume ʒß. quotidie, vel, cum *syr. è rosis siccis*, fac *pilulas* pondere ℈j. Sumantur primâ vice pilul. iij. deinde pil. j. per plur. dies. *Magisterium ossis sepiæ* ab Hartmanno etiam commendatur.

Ad læsam *feminis generationem* selectissima vid. ap. Sennert. *Lib. 3. Pract. pag. 943. & seqq.*

Minsicht. *loc cit. fol. 479.* præter alia plura, proponit talem *Balsamum* in *tarditate ad Venerem*:

℞. *Rad. pyrethri,*	Coq. in *vini Malvatici* ℔ij.
euphorb. ana ℥j.	ad medietat. Colat. adde
cantharid. ℥ß.	*ol. olivar.* ℥iiij.

Impotentia.

Denuo coq. ad consumption. humiditatis; postea adde

ol. n. m. ℥j.	*ol. caryophyll.*
formic. nostr. ℥ß.	*macis,*
de nuce Indica,	*spicæ*, ana ʒj.
castorei, ana ʒiß.	*Zibeth. opt.*
moschel.	*moschi*, aná ℈j.

M. & cum *ol. n. m.* & *cer. alb.* q. s. F. Balsamus, membris genitalibus inungendus. Optimum hîc remedium, nisi senectus contradicat, diæta frugalis, mens tranquilla, Venus concessa rarior. Potest tamen Senectus (nisi extrema sit) languida exsuscitari nonnullorum appropriatorum usu: qualis est *Essentia satyrionis*, & quidquid ex *amygdalis, nucibus pineis, pistaciis*, cum *moscho* Senectus impotens.

Caro Viperina. *moscho* & *ambra* conficitur. *Caro* etiam *viperina* Venerem non parum stimulat: de qua olim mihi communicatum Consilium, pro Magno aliquo Heroe conscriptum, hoc habe, &, si placet, imitare:

Consilium.

De usu carnis Viperinæ in Senio.

OMne agens agendo repatitur. Sic sentiunt Naturales omnes. Agit à primo ortu, usque ad interitum, commune animæ instrumentum, nativus, inquam, calor, pro sui & animati conservatione, in alimentum, unicum producendæ vitæ remedium, animato tantùm potentiâ simile, & non, nisi à calore, ad similitudinis actum reducibile: hujus enim ope dissimilitudinem exuit, & animati formam nutriendo induit. Innato quippe calido, non tantùm mixti conservationem, sed & in extrinseca actionem, natura commisit: ita, ut dixerit Aristoteles, in lib. de juventute: animantia agere omnia igne. Trinas enim in homine coctiones solus instrumentaliter perficit: cibum in stomacho concoquit; ab intestinis excreta depellit; chylum ad hepar reducit; ipsum in sangvinem convertit; bilem in cysti fellea, melancholiam in liene, claudit; chyli vehiculum per ureteres & vesicam secernit; sangvinem, ut Medici volunt, in rorem, gluten, cambium, partesq; ipsas nutriendas, transmutat; generativæ, semen concoquendo, providet; sensitivæ, motivæ, rationaliq; etiam potentiæ inservit, curasq; tam de individuo, quàm de specie, nunquam otiosus (calor nativus) *gerit: in hisq; dum defatigatur operibus, repassus & defessus, in humido manens (misera hominis conditio!) se ipsum consumit; moritur, dumoritur; perimit, quem genuit, hominemq; ad senium, & inde ad necessarium interitum, deducit. Hinc mensurarunt Medici ætates: hincq; varia agnoverunt ætatum temperamenta: pueritiam, calidam & humidam; calidam & siccam, juventutem; magis siccam, consistentem; frigidam & siccam, senectutem. Sic Hippocrates,*

tes, l.1. aph. 14. his verbis admonens, scriptum reliquit: qui crescunt, plurimum calidi innati habent, plurimóq; egent alimento; alioquin corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati inest: paucis igitur fomitibus indigent, quia à multis extinguuntur, &c. *Frigidi itaq; cùm sint, & sicci, senes, neque ita, ut patet ex dictis, calore, ad opera vitæ, polleant, ut juvenes, nutriri tamen debeant, si vivere debent (cóusq; enim vivimus, quóusq; nutrimur) &, si nutriri, etiam concoquere, aliaq; supra recitata munera obire teneantur; necessarium est, ut ab imbecilli igne imbecilles quoque, & imperfectæ etiam, prodeant coctiones, excrementaq; succrescant, & coacerventur; quæ, in viventibus, senioq; confectis partibus fere omnibus præter naturam retenta, imbecillem earundem calorem adhuc magis opprimant, ac, sub excrementorum multitudine, quasi suffocatum detineant: hinc catarrhosos, raucos, humidosq; non rarò conspicimus Senes, ad motum, ac exercitia alia, quæ quotidiana excrementorum dissipatio requireret, inhabiles, tremulos, & impotentes. Quibus tamen succurri, eorumq; dierum productio juvari posse putatur, si talia excogitentur media, quæ nativum calorem, non purgando, sudando, exercendo, vel alio modo naturam debilitando, sed confortando & roborando, ab onerosis præfatis excrementis liberent atque deonerent: ita, ut per hæc, exsufflatis excrementorum cineribus, vegetior redditus calor, animæ promptiùs obediat, suaq; munera expeditiùs obeat. Talia autem media, rectâ victus ratione præmissa, à nullo alio magis opportunè desumi mihi posse videntur, quàm à* Viperina carne, *in cibariis, ut dicetur, exhibenda: corpus enim totum coctæ ac præparatæ* Viperæ, *si expertissimo Galeno nostro credere fas est, excalfaciunt & desiccant, ac per cutem totam evacuant, & roborant opera in senio non minùs utilia, quàm necessaria. Historias in horum probationem recitat Galenus, de simpl. Med. facult. lib. 11. de leprosis, putridisq; excrementis scatentibus, sanitati per* Viperas *restitutis: habet enim ibi loci: Nam* Viperarum carnes *palam videre est excalfacientes & desiccantes, &c. Quòd autem totum corpus per cutem evacuent, discere tibi liceat ex historiis,* Viperarum vires.

quas narrabo, &c. & paulò infra ait: conveniens est autem, generalis facultatis meminisse, carnem Viperinam *dicendo exiccatoriam, & valenter digerentem, mediocriter verò calefacientem: properat autem, ut videtur, vis ejus ad cutem; per eam videlicet, quæ in corpore sunt, recrementa exigens, &c. Verùm, quia rarò lex est sine exceptione, in sene sexagenario, temperamenti calidi & sicci, habitûs gracilis, ad motum adhuc valentis, ne sicca senectus adhuc magis exiccaretur, sitisq;, quæ ab importuno Viperarum usu succrescere solet, excitaretur, per pullos, Viperina carne saginatos (ne hoc insigni medio prorsus destitueremur) cum gallorum testiculis multum nutrientibus, Viperinam carnem porrigendam suaderem: licèt enim nutritio sit quasi generatio, & generatio utiq; mutatio sit totius in totum, &c. aliquid tamen in nutritis pullis adhuc manebit, si non quoad primam suam existentiam, saltem quoad essentiam, quod Viperarum vi operari poterit. Ita, ut hoc modo faciliùs & tutiùs, expeditâ excrementorum dissipatione, per confortantia & nutrientia media repassus nativus calor sit resurrecturus. Et sic vigorabitur, melior sequetur nutritio, tabes, ut Matthiolo & Dioscoridi placet, reparabitur, & per consequens Senis diuturnior conservatio, ac speciei productio: quam Deus concedat Optimus Max.*

Antonius Colle, ex Comitibus Cæsanæ, &c. &c. 20. Nov. Anno 1635.

Quibus naturâ humidiores sunt nares, & genitura humidior, ii morbosiore sunt valetudine; & quibus sunt contraria, salubriores. Hipp. l. 6. aph. 2.

Simili se ratione res habet in Maribus. Aut enim, ob corporis raritatem, spiritus foràs dissipatur, ne transmittat semen; aut, propter densitatem, humor non egreditur foràs; aut, propter frigiditatem, non incalescit, ut eò loci coacervari possit; aut ob caliditatem hoc ipsum accidit l. 5. aph. 63.

Quibus in urinæ meatu nascitur tuberculum, ubi suppuraverit, & eruperit, fit solutio. l. 7. aph. 57.

LIBER



LIBER IV.

De iis, quæ Artûs concernunt.

CAPUT I.

De Arthritide.

SUnt, qui *Arthriticos* non aliter fugiunt, quàm pestiferos, propter contagii metum: ita, ut nec pocula, nec vestes, nec reliquam supellectilem, ad sua servitia admittant, quibus arthritici priùs usi fuerunt: & afferunt contagii exempla, de servis, qui à suorum dominorum vestimentis, quæ, dono accepta, induebant, eodem malo inficebantur: sed res fidem vix meretur. Novimus enim, quamplurimos actu Podagricos, etiam à conjugali lecto minimè separatos, nullo tamen contagio consortes afflixisse. Sed dices, requiri singularem subjecti recipientis dispositionem: nam quodlibet non agere in quodlibet. Ad hoc respondeo: si certa aliqua dispositio requiritur, quid opus est contagio? Potest enim absque hoc, jam dispositionem habens, Podagricus fieri. Neque etiam, si quod esset miasma arthriticum, in corpus vicinum transportaretur: quia, etsi materia podagrica affluens, ex qua communicari aliquid posset, subtilissima est; efficaciam tamen suam statim perdere, postquam exhalare incipit, planè mihi persvadeo.

An Arthritis contagiosa?

Miasmatis proprietates.

Senner-

Miasmatis conditiones.

Sennertus, *Lib. 6. Prax. part. 3. c. 3.* de *Miasmate*, morbum contagiosum faciente, differens, ait, duas requiri in illo proprietates, I. ut sit illud contagiosum corpus exactæ mistionis. II. ut in parvâ mole magnam vim habeat; & hinc operetur non primis vel manifestis, sed occultis qualitatibus. Hinc subsumo, *Arthritidem*, quæ à plerisque Medicis per qualitates manifestas definitur, *contagiosam non esse*. Id. *l. 4. de febr. c. 3. fol 395.* In morbis quibusdam non malignis majus effluvium esse, ait, quàm in quibusdam malignis. Tales autem ideo contagiosas non esse, quia illud; quod effluit, vel citissimè resolvitur & evanescit, vel perexiguam agendi vim habet. Id quod iterum confirmat meam, de *Arthritide*, sententiam. *Arthritidem porrò non esse contagiosam*, etiam ex Sanctorio Sanctor. *de Med. Staticâ, Sect. 1. aph. 75. & 77.* arguitur, ubi ait, perspirabile duplex esse: leve, & ponderosum: ex ponderoso fieri animalia, cimices, pediculos &c. illudque adhærere, adeoque contagiosas affectiones provenire: leve verò evolare. Subsumo itaque: perspirabile arthriticorum est levissimum; ideo nihil adhæret, quod contagium efficere possit, sed evolat. Levissimum autem esse, vel hinc constat, quòd materia podagrica, quamvis crudelissimè afflixerit, sensim tamen, sine evacuatione manifestâ, exhalet. Et quamvis tumor, sat magnus, materiæ copiam & crassitiem, vel lentorem, arguere videatur; illa ipsa tamen materia aliunde, ob præcedentem dolorem, attracta est, &, juxta Sennertum, cum arthritico humore commercium nullum habet. Nota, Sanctorium addidisse, fieri contagiones unâ cubantium à materia ponderosiore àdhærente: hinc enim non excludit contagium à parte etiam levissimâ; sed hæc pars lævis, quæ exhalat, maligna esse debet, & per minimam molem maximum effectum facere; ut in peste, lue Venerea, elephantia, scorbuto, phthisi, dysenteria: ubi latens malignitas etiam in minimo consistendi, & per occultissima penetrandi, habet

habet potentiam : hic autem nulla propriè dicta malignitas. Sennertus certè, *d. l. c. 4.* ubi contagiosos morbos enumerat, arthritidem omittit. *Libro* autem *4. de Febb. cap. 3. f 394.* ubi de contagio diligenter, & ex instituto, scribit, non quodlibet corpus morbosum etiam contagiosum esse, ait, statimque subjungit: *neque, qui arthritide laborat, eam alteri per contagium communicare potest.* Unde colligitur, tam certò statuisse mecum Sennertum, *Arthritidem non esse contagiosam*, ut nec Quæstionem de eo moverit in doctissimo suo Tractatu *de Arthritide*: sicut nec apud alios Auctores, tractatam hanc quæstionem, me legisse memini.

Pro *externa & antecedente causa* Arthritidis, &, in his Partibus, & Provinciis Austriacis quidem potissimâ, rectè allegantur à Dan. Sennert. *de Arthrit. f. 11.* & *19.* *Vina* tartaro & sale abundantia: qualis materia per tophos Podagricorum erumpit. Esse autē vix aliquam plantam, quæ plus salis, & tartari terrestris, pro nutrimento attrahat, quàm *Vitem*, & *Triticum*. Propterea non malè de Pane, & Zytho quoque, in Ungariâ & Moravia, locisq; vicinioribus creditur, etiam utrumque Arthritidem posse inducere. Vitis certè in solo, reliquis ferè omnibus plantis inimico, maximè crescit, arenoso scil. saxeo, argilloso; ubi salem tartareum copiosum habet, quem ad se trahat. Causa antecedens. Vinum.

Fernelius *articulorum debilitatem* statuit causam sine qua non. Rectiùs tamen Joh. Wernerus, *in Therapevtic. sect. 4. fol 20.* eam pro adjuvante habet: siquidem experientia docet, plurimos factos esse arthriticos, sine prægressa causa, quæ faceret priùs articulorum imbecillitatem. Veritatem hujus experientiæ confirmat etiam hoc, quòd plurimi paulò post absolutum paroxysmum podagricum perfectè, & sine notabili articulorum debilitate, ambulant: ut mihi sæpius jam contigit. Articulorum debilitas.

Riverius, *Prax. cap. proprio*, in alleganda causâ proximâ & immediatâ, subsistit in solâ *humoris serosi generatione*, quantita-

te vel acrimoniâ peccante: quod veritati non videtur consentaneum. Debet enim huic seroso humori, præter quantum & acorem, aliquid peculiare inesse, eò; quòd ad articulos potissimum ruat, & ibi in minimâ quantitate intensissimos pariat dolores, subitò cessantes, & ex improviso redeuntes. Quoad acrimoniam verò, tanta illa, & simplex esse non potest; siquidem intra venas & arterias commota, & ad articulos tendens, etsi alia membra præterlabatur, dolores tamen nullos infert. Quo ipso opinionem Fernelii, quâ causam à capite sumit & derivat, convellere licet. Neque enim is rationem dare potest, quare, præterlabendo membra reliqua, nihil afficiat, sed demum ad extremum pedis pollicem molestiam inferat. Propterea, cum Sennerto, concludo de Arthritide, qui peculiarem vim & occultam, adeoq; inexplicabilem, ipsi, defectu clarioris explicationis, huic materiæ adscribit. Hinc collige, frustra sese illos torquere, qui Arthritidem statuunt sangvineam, melancholicam, biliosam, pituitosam, & simpliciter serosam. Nihil enim ad curam facit inutilis hæc distinctio, sed peculiaris requiritur respectus materiæ priùs adumbratæ. Interim non negamus, similes humores pro prædominii ratione ad partem affectam posse affluere; sed hi causam materialem minimè constituunt: quod Sennertus quoq; *l. cit. fol. 83.* bene docet, asserens, *humorem illum*, qui, ad articulos fluens, *Tumorem* facit, quo facto, dolor intensus mitigatur, non esse *præcipuam* Arthritidis *causam*; cùm dolor maximus præcedat tumorem: qui dolor utique ab humore jam antea præsente tenui, acri, mordaci, oritur. Reliqui autem humores, tumorem facientes, rapiuntur tantùm, cum illo tenui, ad partem aliàs dolentem. Propterea si initio paroxysmi Podagrici statim purgaveris, videbis, huncce tumorem, post dolores, ut absque prægressa purgatione, non tam grandem futurum, & paroxysmum mitiùs afflicturum, citiusque finiturum; parte scil. materiæ ad alvum derivatâ.

Tumor Podagricus.

Purgatio juvat.

Idem,

Idem, *loc. cit. fol. 94.* scribit, multos Podagrâ laborantes se consolari *Erysipelatis* opinione; sed falsâ. Licet enim Erysipelas, & Arthritis, plerunque habeant conjunctam febrim synocham, & in hoc conveniant: discrepant tamen in illo, quòd in Erysipelate sanguinis subtilior pars, puta serosa & acris, ad cutim feratur; in Podagra autem ad articulos; & quidem magis mordax, subtilis, tartarea, & sangvini non mixta, sed omnino separata; propterea crudelior & pertinacior. Ad hos articulorum tumores Jul. Cæsar Arantius, apud Craton. *Consil. Medic. 297. pag. 851.* habet Cataplasma: quod vid. *ibid.* Differt ab Erysipelate.

De *via, per quas* fluit humor ad articulos, iterum magna oritur controversia. Riverius, *fol. 449.* ut se per compendium extricaret, generali stipatus corporis diarrhopia, omnes vias satis liberaliter concedit, & sic quidem suum, quem sæpissime sequitur, & non libenter deserit, Fernelium rettinet: sed quo fundamento, viderit ipse. Et, ut probaret suam generalem sententiam, præsupponit singularem articulorum debilitatem: quam ego quidem, ut causam adjuvantem, agnosco, sed, perpetuo non requiri, ajo: siquidem quàmplurimi podagrici, extra paroxysmum, tam firmos habent articulos, ut exercitia ambulandò, curando, laborando, tam bene perficiant, atq; alii. Exemplum in me ipso habeo, qui possem, extra paroxysmum, qualem sæpius satis gravem experior, septem miliaria Germanica unâ die perficere. Via per quam.

Ergo *Arthritidem non provenire*, juxta falsam Fernelii opinionem, *à capitis fluxione*, sed *originem* sumere in membris nutritioni dicatis, & per venas articulis communicari, jam pridem prudentissimè sensit Julius Cæsar Arantius, Med. Bononiensis, *in Crat. Cons. 297. f. 849. & seq.* Consentit, & clarè id explicat, Sennertus, *loc.* jam aliquoties *cit.* Pars mittens.

Liberatus quoque de Liberatis lepidè sententiam suam, de *parte mittente* Podagræ profert, *in Podagra sua Politica*, ubi effu-

 gere

gere vult sententiam Fernelii, ne à quocunque argui possit. Humores quandoque (intelligit utique Podagricos, aliàs nihil doceret) ait, è visceribus per venas & arterias, quandoque à capite, per nervos ferri, certò credendum, sicut & per spatia carnis & summæ cutis; addo etiam, per vias latentes, & meatûs sensibus inconspicuos. Sic consentit Hipp. omne corpus humanum esse diarrhopon: & sic nihil omnino determinat de parte mittente. De cætero podagram aliter non tractat, quàm bonus vir, Aulæ Medicus, DD. Teuber, *in suo Tractatu*, ubi miserè se torquet, dividendo podagram secundum quatuor humores, & secundum eosdem curam instituendo: at quâ curâ neminem Podagricorum unquam curatum esse, tam certum est, quàm quod certissimum. Meus autem Liberatus, cap. XI. libr. 1. postquá, *præcedente capite*, signa secundum 4. humores inquirit, serosique humoris nec mentionem quidem facit, caput pro præcipuâ parte mittente allegat, & signa patientis capitis omnia ferè falsa proponit. In fine *c. 12.* ridiculam ponit rationem, quare scrotum longius efficiatur: quæ ratio nostræ opinioni, cur Podagrici proclives ad Venerem sint, omnino contrariatur. Quid, quòd illum Arthriticum, de quo Autor, *in Podagr. Politic. sub fin. per Consilium*, loquitur, ego planè judicem, potiùs lue Venereâ laborasse.

Urina copiosa quale signum.

Podagrici meliùs vivunt, si *Urinam* mittunt *copiosam*: sed tunc alvum adstrictiorem habent; juxta Hipp. *l. 4. aph. 83. Mictio, noctu plurima facta, parvam dejectionem significat.* Idque non curandum, modò urina fluat satis largè. Non est enim præstantius remedium in Podagra, quàm quod urinam movet, & sudorem: siquidem sublatis humoribus serosis, reliqui, ad articulos ut fluant, inepti redduntur. Crat. *Cons. fol. 651.* & *655.* Propterea idem suadet, *Cons. 710. f. 731.* continuum usum *Cornu Cer.* cujus *rasuram*, in petia ligatam, ordinario *Potui* addit; non tam pro urina promovenda, quàm sero exiccando; & fortè etiam

am *appropriato* remedio ; propter ſubſtantiæ ſimilitudinem, quam cum articulis habet: ſicut Pulmo vulpis, phthiſi ; interiores Pelliculæ ſtomachi gallinæ, imbecillitati ventriculi humani medentur, &c. Gvil. Fabric. *f. 533.* ſvadet frequentem uſum *betonicæ*, in formâ *Aquæ, Syrup. Pulver. Conſervæ*, &c.

Podagrici, præſertim inveterati, plerunque malè ferunt *Purgationes* & *Venæ S.* quæ ipſis paroxyſmos aliquando graviſſimos concitant : quia humores commoti conſvetas potiùs ad partes imbecilliores, quàm alias derivationum & revulſionum vias, affectare ſolent. Crat. *Conſ. f. 607.* Horſt. *Op. Tom. 2. f. l. 157.* Si itaque, ut ſæpius neceſſe eſt, Podagricos *purgare* volueris, vide, quæ membra potiſſimùm, & priùs, podagrâ afficiantur. Ea proinde oportet ante, & inter, purgandum defendere, eorúmque ſingularem habere rationem & curam : ſvadente Sennert. *loc. cit. f. 31.* V. g. ſi cui, ut communiter fit, paroxyſmus Podagricus incipit in pollice pedis ſiniſtri, vel ejusdem lateris genu, tunc applica ſupra partem affectam *defendens Cataplaſma*, vel *Aquam* decoctam, cum faſciis, ut intercipiatur humor affluens, & ad inteſtina retrahatur, ex *bolo Armena, roſis, balauſt. biſtort. tormentill. conſol. ma. malicorio*, addendo parum *ung. Comit. ſ.* vel *olei adſtringentis*, ne induretur cataplaſma, & ſic dolorem pariat : idque permaneat in loco, donec purgatio fuerit peracta ; quæ ipſa ſit ſatis fortis, ne materia agitetur tantùm, ſed & ſimul etiam abſtrahatur : aliàs paroxyſmus certus & diturnus cauſabitur. Aliter ſe res habet, ubi membra ſuperiora laborant, brachia, manus, humeri, &c. Tunc enim, ſine membrorum defenſione, audaciùs licebit purgationem inſtituere : quia revulſio fit per inferiora, ſimul & evacuatio. Et quicquid hic de Venæſ. & Purgatione ſcriptum eſt ex Sennerto, confirmatur etiam à Riverio, *fol. 495.* ex Solenandro. *Quantum* v. *purgandum* ſit, inquit Jonſton. *l. 4. f. 199.* indicat locus materiæ peccantis. Partes enim in regione alvinâ, lenientia ; in venoſâ, mediocri-

Podagrici evacuati offenduntur.

Defenſivæ Cataplaſm. Aqua.

Purgatio ſit fortior.

diocriter purgantia; in habitu corporis, vehementia exposcunt. Ergo Arthritici vehementer purgandi. Distingue tamen, si materia jam in motu est ad articulos; tunc bene: si verò omnino consistit, & æger sine paroxysmo est, tunc mediocriter. Idem, *ibid.* qui longas, ait, habent tibias, facillimè purgantur. Vult, ni fallor, insinuare proceres & biliosos. In præcautione verò commodissimè instituitur purgatio paulò ante æquinoctia, ubi aliàs humores moveri solent; juxta Sennertum, *Tr. de Arthr. c. 7. p. 56.*

Intemperantiæ incommoda: Causa Podagræ.

Intemperantia quòd sit Medicorum nutrix, experiuntur Medici in pluribus locis: ubi, si homines abstraherentur à jentaculis, & merendis, multi exularent Medici, & solum verterent. Illa, inquam, *intemperantia*, præter mille sanitatis incommoda, etiam Podagram facit; quæ solâ victûs ratione parcissimâ aliquando curatur: ut refert Crato, *Conf. 240. fol. 710.* de Franc. quodam Pechio, quinquagenario, Podagrico, qui, turri inclusus, annis viginti pane & aquâ nutritus est, & dein' liber, nullos ampliùs sensit dolores. Sed quòd inordinata diæta Podagræ sit nutrix, rarum quidem & recens non est. An non

Ennius ipse Pater, dum pocula siccat iniqua,
hoc vitio tales fertur meruisse dolores?

Hipp. excusatus.

Cœlius, apud Querceian. *in Diætet. cap. 3. fol. 231.* Propterea meritò excusatur Hippocrates à Senecâ, quòd non falsè suo tempore dixerit, evnuchos, mulieres, & pueros, *Podagrâ* non laborare. Siquidem *intemperantia*, jam Senecæ tempore introducta, hebetavit Hippocratis sententiam, nullo ejus dedecore; qui de temperatè viventibus, non de helluonibus, loquebatur. Interim *intemperans Æger crudelem Medicum facit:* ut scribit Lipsius, *in Politic. fol. 157. & Publio.*

Pil. anti-Podagr.

Pilulas antipodagricas, à Viro religioso mihi communicatas, & à me sæpius benè expertas tales habeo; ℞. *Extr. cochiarum* (vel *cephalici* Minsichti, quod fortius est)

Troch.

troch. alband. *extr. sem. pæon.* an. gr. vj.
diagryd. pp. an. ℈j. gr. ij. *tartar. vitriol.* gr. v.
extr. turbith. gr. xv. *ol. nuc. moschat.*
hermodact. *rutæ,*
hellebor. nigr. an. ℈ß. *salviæ,*
ligni aloes, *anisi,* ana gutt. ij.
liliar. convall. Cum *aq. Langii* f. Pilul. N. xxx. vel, si videbuntur nimis magnæ, f. lx. Dosis pilularum minorum N. xiij. unâ vice, vel tertia pars, tribus diebus continuis, ante Novilunium.

De Pilulis aliis, *Antipodagricæ D. Döringii* dictis: earumque descriptionem, vid. ap. Horst. *Op. Tom. 2. p. 403. c. b.*

Thomas Meermannus, ap. Minderer. *in Aloedario, fol. 95.* omnibus immunitatem ab arthritide pollicetur, quicunque *aloës* usum sibi familiarem faciunt. Aloë.

Sunt, qui in dubium vocant usum *Hermodactylorum*, in Arthritide: quos inter etiam est Frambesarius, *in Cons. fol. 444.* Ille ipse tamen improbare eos non videtur, in his præsertim subjectis, quæ obeundarum actionum necessitatem habent; ubi scil. subitaneo auxilio opus est. *Etenim,* inquit, *intra biduum obeundis muniis idoneos faciunt* Hermodactyli, potissimum nimirum ingrediens *Electuarii Caryocostini,* à Petro Bayro, *Pract. libr. 18. cap. 1.* inventi, & in tantum commendati. Idem intellige de quovis *fortiori purgante*, observatis *suprà* dictis. Similiratione commendatur à Gvil. Fabric. *in Epist. cent. f. 959. Extractum corticum esulæ* fideliter paratum, cum *decocto betonicæ, salviæ, rorismarini,* &c. Hermodactyli.

Idem Frambes. *loc. cit. f. seq.* Arthriticos in ipsis etiam doloribus *Venerem* appetere, ait: quia internus ardor, quo æstuant, haud equidem in spiritûs & auras digerit, vel agit, ut calor febrilis, sed fundit liquatque seminalem humorem, qui, ad genitalia descendens, ea inflat. Arthritici cur Venerem appetant.

Idem,

Cura per Balnea ex L. juniperi: Vinaceis: Formicarũ: Omeiß-hauffen. Waldrauch.

Idem, *fol. 468. Balneum* commendat ex *ligno juniperi* copioso. Vid. Crat. *Consil. f. 744.* & *761.* Idem, *Conf. 731. f. 738.* & *754.* proponit *Balneum ex vinaceis*, vulgare Austriacis remedium. In hydrope & Podagra laudat *Balneum ex ovis Formicarum*: Epist. *Medicinal. 146. p. 251.* Obstetrix Gallica idem *Balneum, part. 4. f. 48.* componit ex *integro formicarum sylvestrium majorum globo*, unâ cum *ovis, parte terra, gummi*, & *bitumine*, ab ipsis collecto (quod Waldrauch vocant) & *segmentis*, quibus inhabitant, facto: ita, ut hæc omnia, sacco inclusa, aquâ fervente calefiant, & æger insidendo tam diu duret, dum vires ferunt: imponendo saccum nunc brachiis, nunc pedibus, nunc coxendici. Sennertus, *de Arthrit. fol. 35.* ex Adrian. Spigelio, commendat *Ulmaria* totius *aquam destillatam*, Moravis & Silesis consvetam.

Aq. Ulmar. Anodina. Ol. Corylinum; Verbasci.

Idem, *fol. 36.* ex gemmis *Coryli*, exprimit *oleum*, ut ex sem. lini, corpus remanens comburit, salem cum aq. pluvia extrahit, & cum oleo permiscet, simul transfundendo per vasculum ligneum, in Sole; sicut pictores ol. lini clarificant: & sic componit præstans, ad dolores leniendos, medicamentum. Idem, *ibid.* & *f. 39.* proponit *Oleum Verbasci* tale: Flores in ampullam vitream, bene clausam, ponit ad Solem: sic in liquorem pinguem diffluent, eritque liquor loco Anodini.

Schönbornius, *in Manuali, fol. 241. liquorem*, arte Chymica, ex *Pisce*, quem ille Peißkern / nos *Biscurn* vocamus, elicit, eoque pro externo remedio, ad dolores leniendos, utitur. Quidam verò, ait idem, *l. c.* sumunt *rasuram C. C.* & cum *aceto rosaceo*, vel *flor. sambuci*, coquunt, donec inspissetur, illudque applicant. Alii sumunt *idem acetum tepidum* cum *theriaca*, & cum linteo applicant, cum magna artis gloria. Crato, *Conf. fol. 610.* & ex eo River. *in Prax. fol. 467. Oleum ex ossibus humanis* profert; quod fit, ut oleum è ligno juniperi, inter duas ollas.

Ex ossibus hum. Med. externa in Podagra.

Eodem loco Cratonis plurima videbis *Externa* remedia, quæ omnia vel ad articulos roborandos, vel ad dolorem leniendum,

dum, faciunt; causam autem antecedentem, & alio paroxysmo influentem, minimè præcavent: priora ut extra paroxysmum non improbo, sic posteriora omnia suspecta habeo. Experientiâ enim constat, plurima, quæ antea semel atque iterum profuerunt, pòst applicata nocuisse. Tanta scil. est humoris podagrici pernicies & versipellitas. Propterea rectè quidem monet Sennertus, tentanda esse varia, &, quæ bene serviunt, continuanda, si maximus urgeat dolor. *Omnia scil. probate, quod bonum est, tenete.*

Sed fortis hîc Patientia, & membri dolentis *in Calido* conservatio, à me omnibus externis præponitur. Quid de *frigidis, extrà applicatis*, Hipp. *in Aph.* sentiat, notum est: an verò podagricis talia conveniant, tractatur à Liberato de Liberatis, *in Pod. Pol. f. 253.* Hîc recordor cujusdam militis Locumtenentis, N.N. qui, etiamnum podagricus, æstate & hyeme applicat *glaciem* membris dolentibus, & sic dolorem lenit. Utrum autem calorem nativum non sit aliquando suffocaturus, & sic gangrænâ moriturus, ipsi quotidie metuendum; nobis expectandum erit. Hæc enim, & alia, qualia qualia sint, applicata, plerunq; paroxysmos prolongant, & materiam podagræ in pertinaces tophos indurant, & sic membra reddunt præmaturè inutilia. Novi ego complures, quos facti hujus pœnitet; quibus Diæta frugalis, vinum moderatum, salubre; abstinentia à quibusdam cibis, v.g. caseo, lacticiniis, extremis & intestinis animalium, carne suilla, anserina, &c. inter pisces, barbo & carpione; inter fructûs, nuce juglande, pomo, castaneis, &c. ab immoderata ira & Venere, longam vitam, & diuturniorem membrorum usum præstitisset. Verùm hi omnes, sanitatis nimis cupidi, & plerunq; ab Agyrtarum pollicitationibus vanissimis decepti, externis & ineptissimis, & periculosis medicamentis id effecerunt, ut vel præmaturè mori, vel, lecto affixi, tophorumq; tartareorum acrimoniâ exossati, in aliorum commiserationem, & propriàm calamitatem, decumbere coacti fuerint.

Patientia. Caliditas.

Diæta.

Ll Elegan-

Tophi. Eleganter, inquit Joh. Dan. Horstius, *Manuduct. fol. 109.* Elegantissimus noster Lindenus nodosæ Podagræ *Tophos* fieri docet à pituita, cum cremore chyli, per vasa illa lactea, ad cor abeunte: sed mallem ego, explicasset, quomodo à corde pituita illa ad articulos derivaretur; aliàs subolet grandem stultitiam. Confirmat tamen meam opinionem, chylo scilicet cor posse refici.

Tophorum Cura. *Emolliuntur* autem *Tophi* Podagricorum inunctione *casei veteris*, cum *pulv. lapidis molaris*, & *decocto crurum suillorum*, ex Crat. *Consil. fol. 746.* Idem, *alibi*, *vitellos ovi* coctos, cum *croco* mistos, etiam inungit.

Ol. saponis. Horst. *Op. Tom. 2. p. 559.* commendat in doloribus Podagricis *Oleum Saponis*; quod olim à Doct. Lucerna, Judæo, Viennæ, magno pretio venditum ac deprædicatum est.

Vide Horst. *Op. Tom. 3. p. 46.* ubi pulchrè demonstrat, quomodo materia Arthritidis articulis communicetur.

Vinum: Acetum: Vitanda: Consvetudo. Barth. Turriano, *Jatrob. l. 3. f. 98.* hîc suspectum est *Vinum*, & Acetum, Dandum autem est aliquid *consvetudini*, præsertim in Austria. Multi enim sunt, qui, etsi gravissimâ arthritide vexentur, aquæ tamen potum perferre non possunt. Et in talibus timenda sunt majora mala, si coctiones, per Vini abstinentiam nimis religiosam, interturbemus, quàm si ejus necessarium usum moderatè concedamus: quod & Trincavellius, *lib. 3. consf. 69.* suadet. Vinum, quantum intra corpus nervis ac juncturis nocet, tantum in Balneo iisdem prodesse, habet Jul. Cæs. Claudinus, *ap. Schönborn in Manuali, fol. 245.* Unde plurimis bene facit lotio frequens manuum cum vino.

Dolorem etiam intolerabilem *lenit* Crato, *Conf. fol. 745.* hoc *Balsamo*:

℞. *Mastich.*

℞. *Mastich.*	*mumia*, ana ℥ij.	Balsam. anodinus.
thuris,	*vitrioli*,	
myrrha,	*mellis*, ana ℔ij.	
ammoniac.	*tartari* ℥iß.	
opopan.	*spir. vin.* ℔iiij.	
bdellii,	F. Destillatio s. a: & prodibit	

Oleum, sive *Balsamus*, quo membra affecta inunguntur. Vel inunge *ol. rorismarini*. Aquas antipodagricas, extra applicandas, vid. aq. Quercet. *Pharmac. Dogmatic. restitut. pag. 72. 73.* Empirici *aq. è radicib. helen. destillat.* alii *aq. betonic.* cum linteis in eâ madefactis, apprimè calidam impositam laudant.

Ad *confirmandos articulos*, post exantlatum arthriticum paroxysmum, River. *fol. 479.* commendat, ex Solenandro, *Emplastrum diapalma* continuò gestatum: quod equidem approbare non possum. Sic enim pori obstruuntur, & transpiratio impeditur. Placent, corroborationis gratiâ, adhibita lavacra ex *majorana*, *betonica*, *roremar. rosis*, *herb. paralysis*, *paeoniâ*, *lilio convall. serpillo*, *salviâ*, *origano*, *chamapythi*, *calendulâ*, *chamomillâ*, &c. Dein si placet, inunge quod — Articulorum roboratio.

℞. *Salis marini, in furno exiccati, & tosti*, ℥iß.	*ol. costini*,
	nardi, ana ʒii.ß.
ol. lumbric. terrestr. ℥ij.	*rorismar. dest.* ʒj.
adip. hominis ℥j.	*salv.* ℈ß.

M. s. a. pro *Balsamo* articulorum.

Solent Podagrici certis anni temporibus, communiter in puncto Novilunii, *cucurbitulas* cum *scarificatione* pedibus, ut membris præcipuè affectis, applicare, plerunque à Balneatoribus decepti: qui, si venæsectiones, & scarificationes, & dentium evulsiones, exceperis, consilii ferè erunt inopes. De hoc autem medicationis genere quid Crato sentiat, *Epist. Medicinal. 152. pag. 256.* reperire est. *Scio*, inquit, *quosdam existimasse, se juvamentum sensisse, si aliquoties in anno, non tamen doloribus affecti, venam* — Scarificatio.

 secarent

secarent in pede, vel cucurbitulas adhiberent: verùm, quàm facti sint miseri, memini. Etsi enim materia, quæ affluxit, residua, sic evacuari posse videatur; affluens tamen, ut *supra* dictum, non præcavetur; sed potiùs, ita debilitatis articulis, violentior fiet novi humoris receptio, &, per consequens, vehementior paroxysmus.

Vulnus articuli Podagrici.

Vulnerare autem *articulum actu podagricum*, omnino periculosum est. Exemplum fuit in Tubicine quodam Cæsareo, qui annis ab hinc aliquot, à Chirurgo improvido, nimis præcipitanter accurrente, & ulcus ad maturitatem tendens existimante, in pollice alterutrius pedis lanceta vulneratus est, aquâ paucâ cruentâ effluente. Hinc ingens causatus dolor, ulcus gangrænosum, & secessus ossis ejusdem articuli; tandem verò, medii anni spatio, pollice semi-deperdito, æger convaluit quidem, podagrâ tamen nihilominus statis temporibus redeunte. Similem ferè historiam narrat D. Michael Döringius, Guilh. Fabricio, *in Epist. Centuria f. 1017.* ubi quidem mors consecuta est.

Decoct. ligni.

Sennert. *de Arth. f. 65.* postquam discurrit de erysipelatis, & Podagræ, materia & convenientia, *decocto Ligni*, ait, in podagra fidendum non esse; cùm, præter insignem calorem, impensè exiccet, & humidum radicale imminuat. Propterea podagricorum viscera, aliàs ficcioris temperamenti, omnino, & adhuc magis, destruit; quæ tamen modis omnibus essent corroboranda. Conf. Crat. *Epist. Medicinal. 125. pag. 223.* Vid. & *Epist. 234. pap. 403.* Liber. de Liberatis, *in l. de Podagrâ Politica, fol. 202.* præfert *Decoctum Ligni lentiscini*, quod ob temperatas suas activas qualitates, & facultates roborantes, cuique complexionum generi, & enervi cuique homini non minus tutum, quàm salutare deprædicat.

Ischiadica passio.

De specie Arthritidis, *Ischias* os occupante, vide Sennert. *loc. cit. f. 46.* & seq. ubi pulchrè distinguit inter dolorem Ischiadicum, verè arthriticum; qui causam cum podagra communem

nem habet: & alium dolorem, circa illas partes, ab affluxu & cumulatione humorum acrium, inter cutem, à capite defluentium, juxta Fernelium; qui perperàm omnem Arthritidem sic fieri statuit.

In hoc Ischiadico affectu Ægrotantes non semper *claudicant*, ob luxationem ossis; sed aliquando sine ea. Rationem habet Frambes. *in Cons. f. 437.* quia humor, qui pro nutritione illûc confluit, calore & otio induratur, &, affluentibus simul humoribus excrementitiis mixtus, libertatem motûs impedit. Exemplum in Excellentissimo Heroe, Comite Tillio &c. de quo *supra.* Is postquam supinus in plano cecidit, sine luxatione (ut Chirurgi, quantum judico, rectè arbitrabantur) cùm ad lectum deportaretur, diu decubuit sine exercitio, nihilominus diætam ordinariam, & paulò pleniorem quidem, observavit, medicamenta autem omnia; præsertim evacuantia, omnino respuit, & sic rem eò redegit, ut, finito mense altero, cachecticus, non sine dolore totius Provinciæ, obierit. Post mortem autem, luxationis instar, in coxendice (de cujus dolore statim à casu ad mortem usque conquerebatur) tumor, pes autem lateris affecti longè brevior, deprehensus fuit: non, quòd luxatio vera præcesserit; sed ob cumulationem humorum pravorum, ad locum dolentem confluentium. Luxationis autem veritatem prodidisset Anatomia; sed illa etiam hîc, more solito, omissa. Claudicatio.

In Ischiadico dolore tunditur commodè *Vena malleoli*, vel *exterioris*, vel *interioris*: die Gichts-Ader. Et sic aliquando malum statim tollitur: teste Sennert. *de Artb. f. 29.* Venæsectio in Ischiade.

Riverius, *fol 483.* scribit, se contumacem Ischiaticum dolorem una die curasse solo *oleo de lateribus*, post sex cucurbitulas parti dolenti admotas, inuncto, locoque calidis linteis tecto. Convenit quoque *oleum ranarum* inunctum: quod vide ap. Crat. *Cons. f. 708.* item *axungia ardeæ.* Præstant autem pinguibus *spirituosa*, Oleosa.

gere vult sententiam Fernelii, ne à quocunque argui possit. Humores quandoque (intelligit utique Podagricos, aliàs nihil doceret) ait, è visceribus per venas & arterias, quandoque à capite, per nervos ferri, certò credendum, sicut & per spatia carnis & summæ cutis; addo etiam, per vias latentes, & meatûs sensibus inconspicuos. Sic consentit Hipp. omne corpus humanum esse diarrhopon: & sic nihil omnino determinat de parte mittente. De cætero podagram aliter non tractat, quàm bonus vir, Aulæ Medicus, DD. Teuber, *in suo Tractatu*, ubi miserè se torquet, dividendo podagram secundum quatuor humores, & secundum eosdem curam instituendo: at quâ curâ neminem Podagricorum unquam curatum esse, tam certum est, quàm quod certissimum. Meus autem Liberatus, cap. XI. libr. 1. postquá, *præcedente capite*, signa secundum 4. humores inquirit, serosique humoris nec mentionem quidem facit, caput pro præcipuâ parte mittente allegat, & signa patientis capitis omnia ferè falsa proponit. In fine *c. 12.* ridiculam ponit rationem, quare scrotum longius efficiatur: quæ ratio nostræ opinioni, cur Podagrici proclives ad Venerem sint, omnino contrariatur. Quid, quòd illum Arthriticum, de quo Autor, *in Podagr. Politic. sub fin. per Consilium*, loquitur, ego planè judicem, potius lue Venereâ laborasse.

Urina copiosa quale signum.

Podagrici meliùs vivunt, si *Urinam* mittunt *copiosam*: sed tunc alvum adstrictiorem habent; juxta Hipp. *l. 4. aph. 83. Mictio, noctu plurima facta, parvam dejectionem significat.* Idque non curandum, modò urina fluat satis largè. Non est enim præstantius remedium in Podagra, quàm quod urinam movet, & sudorem: siquidem sublatis humoribus serosis, reliqui, ad articulos ut fluant, inepti redduntur. Crat. *Consf. fol. 651.* & *655.* Propterea idem suadet, *Consf. 710. f. 731.* continuum usum *Cornu Cer.* cujus *rasuram*, in petia ligatam, ordinario *Potui* addit; non tam pro urina promovenda, quàm sero exiccando; & fortè eti-

am

am *appropriato* remedio ; propter ſubſtantiæ ſimilitudinem, quam cum articulis habet : ſicut Pulmo vulpis, phthiſi ; interiores Pelliculæ ſtomachi gallinæ, imbecillitati ventriculi humani medentur, &c. Gvil. Fabric. *f. 533.* ſvadet frequentem uſum *betonicæ*, in formâ *Aquæ, Syrup. Pulver. Conſervæ*, &c.

Podagrici, præſertim inveterati, plerunque malè ferunt *Purgationes* & *Venæ S.* quæ ipſis paroxyſmos aliquando graviſſimos concitant : quia humores commoti conſvetas potiùs ad partes imbecilliores, quàm alias derivationum & revulſionum vias, affectare ſolent. Crat. *Conſ. f. 607.* Horſt. *Op. Tom. 2. f. l. 157.* Si itaque, ut ſæpius neceſſe eſt, Podagricos *purgare* volueris, vide, quæ membra potiſſimùm, & priùs, podagrâ afficiantur. Ea proinde oportet ante, & inter, purgandum defendere, eorúmque ſingularem habere rationem & curam ; ſvadente Sennert. *loc. cit. f. 31.* V. g. ſi cui, ut communiter fit, paroxyſmus Podagricus incipit in pollice pedis ſiniſtri, vel ejusdem lateris genu, tunc applica ſupra partem affectam *defendens Cataplaſma*, vel *Aquam* decoctam, cum faſciis, ut intercipiatur humor affluens, & ad inteſtina retrahatur, ex *bolo Armena, roſis, balauſt. biſtort. tormentill. conſol. ma. malicorio*, addendo parum *ung. Comitiſſ.* vel *olei adſtringentis*, ne induretur cataplaſma, & ſic dolorem pariat : idque permaneat in loco, donec purgatio fuerit peracta : quæ ipſa ſit ſatis fortis, ne materia agitetur tantùm, ſed & ſimul etiam abſtrahatur : aliàs paroxyſmus certus & diuturnus cauſabitur. Aliter ſe res habet, ubi membra ſuperiora laborant, brachia, manus, humeri, &c. Tunc enim, ſine membrorum defenſione, audaciùs licebit purgationem inſtituere : quia revulſio fit per inferiora, ſimul & evacuatio. Et quicquid hic de Venæſ. & Purgatione ſcriptum eſt ex Sennerto, confirmatur etiam à Riverio, *fol. 495.* ex Solenandro. *Quantum v. purgandum* ſit, inquit Jonſton. *l. 4. f. 199.* indicat locus materiæ peccantis. Partes enim in regione alvinâ, lenientia ; in venoſâ, mediocri-

Podagrici evacuati offenduntur.

Defenſivum Cataplaſm. Aqua.

Purgatio ſit fortior.

diocriter purgantia; in habitu corporis, vehementia expofcunt. Ergo Arthritici vehementer purgandi. Diſtingue tamen, ſi materia jam in motu eſt ad articulos; tunc bene: ſi verò omnino conſiſtit,& æger ſine paroxyſmo eſt,tunc mediocriter. Idem, *ibid.* qui longas, ait, habent tibias, facillimè purgantur. Vult, ni fallor, inſinuare proceres & bilioſos. In præcautione verò commodiſſimè inſtituitur purgatio paulò ante æquinoctia, ubi aliàs humores moveri ſolent; juxta Sennertum, *Tr. de Arthr. c.7.p.56.*

Intemperantiæ incommoda: Cauſa Podagræ.

Intemperantia quòd ſit Medicorum nutrix, experiuntur Medici in pluribus locis: ubi, ſi homines abſtraherentur à jentaculis, & merendis, multi exularent Medici, & ſolum verterent. Illa, inquam, *intemperantia*, præter mille ſanitatis incommoda, etiam Podagram facit; quæ ſolâ victûs ratione parciſſimâ aliquando curatur: ut refert Crato, *Conſ. 240. fol. 710.* de Franc. quodam Pechio, quinquagenario, Podagrico; qui, turri incluſus, annis viginti pane & aquâ nutritus eſt, & dein' liber, nullos ampliùs ſenſit dolores. Sed quòd inordinata diæta Podagræ ſit nutrix, rarum quidem & recens non eſt. An non

Ennius ipſe Pater, dum pocula ſiccat iniqua,
hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores?

Hipp. excuſatus.

Cœlius, apud Quercetan. *in Diætet. cap. 3. fol. 231.* Propterea meritò excuſatur Hippocrates à Seneca, quòd non falsè ſuo tempore dixerit, evnuchos, mulieres, & pueros, *Podagrâ* non laborare. Siquidem *intemperantia*, jam Senecæ tempore introducta, hebetavit Hippocratis ſententiam, nullo ejus dedecore; qui de temperatè viventibus, non de helluonibus, loquebatur. Interim *intemperans Æger crudelem Medicum facit*: ut ſcribit Lipſius, *in Politic. fol. 157. & Publio.*

Pil. anti-Podagr.

Pilulas antipodagricas, à Viro religioſo mihi communicatas, & à me ſæpius bene expertas tales habeo; ℞. *Extr. cochiarum* (vel *cephalici* Minſichti, quod fortius eſt)

Troch.

troch. alhand.	*extr. sem. pæon.* an. gr. vj.
diagryd. pp. an. ℈j. gr. ij.	*tartar. vitriol.* gr. v.
extr. turbith. gr. xv.	*ol. nuc. moschat.*
hermodact.	*rutæ,*
hellebor. nigr. an. ℈ß.	*salviæ,*
ligni aloes,	*anisi,* ana gutt. ij.
lilior. convall.	Cum *aq. Langii* f. Pilul. N. xxx. vel,

si videbuntur nimis magnæ, f. LX. Dosis pilularum minorum N. xiij. unâ vice, vel tertia pars, tribus diebus continuis, ante Novilunium.

De Pilulis aliis, *Antipodagricæ D. Dôringii* dictis: earumque descriptionem, vid. ap. Horst. *Op. Tom. 2. p. 403. c. b.*

Thomas Meermannus, ap. Minderer. *in Aloedario, fol. 95.* omnibus immunitatem ab arthritide pollicetur, quicunque *aloës* usum sibi familiarem faciunt. Aloë.

Sunt, qui in dubium vocant usum *Hermodactylorum*, in Arthritide: quos inter etiam est Frambesarius, *in Cons. fol. 444.* Ille ipse tamen improbare eos non videtur, in his præsertim subjectis, quæ obeundarum actionum necessitatem habent; ubi scil. subitaneo auxilio opus est. *Etenim*, inquit, *intra biduum obeundis muniis idoneos faciunt* Hermodactyli, potissimum nimirum ingrediens *Electuarii Caryocostini*, â Petro Bayro, *Pract. libr. 18. cap. 1.* inventi, & in tantum commendati. Idem intellige de quovis *fortiori purgante*, observatis *suprà* dictis. Simili ratione commendatur à Gvil. Fabric. *in Epist. cent. f. 959. Extractum corticum esulæ* fideliter paratum, cum *decocto betonicæ, salviæ, rorismarini*, &c. Hermodactyli.

Idem Frambes. *loc. cit. f. seq.* Arthriticos in ipsis etiam doloribus *Venerem* appetere, ait: quia internus ardor, quo æstuant, haud equidem in spiritûs & auras digerit, vel agit, ut calor febrilis, sed fundit liquatque seminalem humorem, qui, ad genitalia descendens, ea inflat. Arthritici cur Venerem appetant.

Idem,

Cura per Balnea ex L. juniperi: Vinaceis: Formicarū: Omeiß-hauffen. Walorauch.

Idem, *fol. 468. Balneum* commendat ex *ligno juniperi* copioso. Vid. Crat. *Consil. f. 744.* & *761.* Idem, *Conf. 731. f. 738.* & *754.* proponit *Balneum ex vinaceis*, vulgare Austriacis remedium. In hydrope & Podagra laudat *Balneum ex ovis Formicarum*: Epist. *Medicinal. 146. p. 251.* Obstetrix Gallica idem *Balneum, part. 4. f. 48.* componit ex *integro formicarum sylvestrium majorum globo*, unâ cum *ovis, parte terræ, gummi*, & *bitumine*, ab ipsis collecto (quod Waldrauch vocant) & *segmentis*, quibus inhabitant, facto: ita, ut hæc omnia, sacco inclusa, aquâ fervente calefiant, & æger insidendo tam diu duret, dum vires ferunt: imponendo saccum nunc brachiis, nunc pedibus, nunc coxendici, Sennertus, *de Arthrit. fol. 35.* ex Adrian. Spigelio, commendat

Aq. Ulmar. Anodina. Ol. Coryli; *Ulmariæ* totius *aquam destillatam*, Moravis & Silesis consvetam.

Idem, *fol. 36.* ex gemmis *Coryli*, exprimit *oleum*, ut ex sem. lini, corpus remanens comburit, salem cum aq. pluvia extrahit, & cum oleo permiscet, simul transfundendo per vasculum ligneum, in Sole; sicut pictores ol. lini clarificant: & sic componit præstans, ad dolores leniendos, medicamentum. Idem,

Verbasci. *ibid.* & *f. 39.* proponit *Oleum Verbasci* tale: Flores in ampullam vitream, bene clausam, ponit ad Solem: sic in liquorem pingvem diffluent, eritque liquor loco Anodini.

Schönbornius, *in Manuali, fol. 241. liquorem*, arte Chymica, ex *Pisce*, quem ille Peißkern / nos *Biscurn* vocamus, elicit, eoque pro externo remedio, ad dolores leniendos, utitur. Quidam verò, ait idem, *l. c.* sumunt *rasuram C. C.* & cum *aceto rosaceo*, vel *fl. r. sambuci*, coquunt, donec inspissetur, illudque applicant. Alii sumunt *idem acetum tepidum* cum *theriaca*, & cum linteo applicant, cum magna artis gloria. Crato, *Conf. fol. 610.* & ex eo

Ex ossibus hum. River. *in Prax. fol. 467. Oleum ex ossibus humanis* profert; quod fit, ut oleum è ligno juniperi, inter duas ollas.

Med. externa in Podagra. Eodem loco Cratonis plurima videbis *Externa* remedia, quæ omnia vel ad articulos roborandos, vel ad dolorem leniendum,

dum, faciunt; causam autem antecedentem, & alio paroxysmo influentem, minimè præcavent: priora ut extra paroxysmum non improbo, sic posteriora omnia suspecta habeo. Experientiâ enim constat, plurima, quæ antea semel atque iterum profuerunt, pòst applicata nocuisse. Tanta scil. est humoris podagrici pernicies & versipellitas. Propterea rectè quidem monet Sennertus, tentanda esse varia, &, quæ bene serviunt, continuanda, si maximus urgeat dolor. *Omnia scil. probate, quod bonum est, tenete.*

Sed fortis hîc Patientia, & membri dolentis *in Calido* conservatio, à me omnibus externis præponitur. Quid de *frigidis, extrà applicatis*, Hipp. *in Aph.* sentiat, notum est: an verò podagricis talia conveniant, tractatur à Liberato de Liberatis, *in Pod. Pol. f. 253.* Hîc recordor cujusdam militis Locum tenentis, N.N. qui, etiamnum podagricus, æstate & hyeme applicat *glaciem* membris dolentibus, & sic dolorem lenit. Utrum autem calorem nativum non sit aliquando suffocaturus, & sic gangrænâ moriturus, ipsi quotidie metuendum; nobis expectandum erit. Hæc enim, & alia, qualia qualia sint, applicata, plerunq; paroxysmos prolongant, & materiam podagræ in pertinaces tophos indurant, & sic membra reddunt præmaturè inutilia. Novi ego complures, quos facti hujus pœnitet; quibus Diæta frugalis, vinum moderatum, salubre; abstinentia à quibusdam cibis, v.g. caseo, lacticiniis, extremis & intestinis animalium, carne suilla, anserina, &c. inter pisces, barbo & carpione; inter fructûs, nuce juglande, pomo, castaneis, &c. ab immoderata ira & Venere, longam vitam, & diuturniorem membrorum usum præstitisset. Verùm hi omnes, sanitatis nimis cupidi, & plerunq; ab Agyrtarum pollicitationibus vanissimis decepti, externis & ineptissimis, & periculosis medicamentis id effecerunt, ut vel præmaturè mori, vel, lecto affixi, tophorumq; tartareorum acrimoniâ exossati, in aliorum commiserationem, & propriam calamitatem, decumbere coacti fuerint.

Patientia. Caliditas. Diæta.

Tophi. Eleganter, inquit Joh. Dan. Horstius, *Manuduct. fol. 109.* Elegantissimus noster Lindenus nodosæ Podagræ *Tophos* fieri docet à pituita, cum cremore chyli, per vasa illa lactea, ad cor abeunte: sed mallem ego, explicasset, quomodo à corde pituita illa ad articulos derivaretur; aliàs subolet grandem stultitiam. Confirmat tamen meam opinionem, chylo scilicet cor posse refici.

Tophorum Cura. *Emolliuntur* autem *Tophi* Podagricorum inunctione *casei veteris*, cum *pulv. lapidis molaris*, & *decocto crurum suillorum*, ex Crat. *Consil. fol. 746.* Idem, *alibi*, *vitellos ovi* coctos, cum *croco* mistos, etiam inungit.

Ol. saponis. Horst. *Op. Tom. 2. p. 559.* commendat in doloribus Podagricis *Oleum Saponis*; quod olim à Doct. Lucerna, Judæo, Viennæ, magno pretio venditum ac deprædicatum est.

Vide Horst. *Op. Tom. 3. p. 46.* ubi pulchrè demonstrat, quomodo materia Arthritidis articulis communicetur.

Vinum: Acetum: Vitanda: Consvetudo. Barth. Turriano, *Jatrob. l. 3. f. 98.* hîc suspectum est *Vinum*, & Acetum, Dandum autem est aliquid *consvetudini*, præsertim in Austria. Multi enim sunt, qui, etsi gravissimâ arthritide vexentur, aquæ tamen potum perferre non possunt. Et in talibus timenda sunt majora mala, si coctiones, per Vini abstinentiam nimis religiosam, interturbemus, quàm si ejus necessarium usum moderatè concedamus: quod & Trincavellius, *lib. 3. consf. 69.* suadet. Vinum, quantum intra corpus nervis ac juncturis nocet, tantum in Balneo iisdem prodesse, habet Jul. Cæs. Claudinus, *ap. Schönborn in Manuali, fol. 245.* Unde plurimis bene facit lotio frequens manuum cum vino.

Dolorem etiam intolerabilem *lenit* Crato, *Cons. fol. 745.* hoc *Balsamo*:

℞. *Mastich.*

℞. *Mastich.*	*mumiæ*, ana ℥ij.	Balsam. anodinus.
thuris,	*vitrioli*,	
myrrhæ,	*mellis*, ana ℔ij.	
ammoniac.	*tartari* ℥iß.	
opopan.	*spir. vin.* ℔iiij.	
bdellii,		

F. Destillatio s. a. & prodibit *Oleum*, sive *Balsamus*, quo membra affecta inungantur. Vel inunge *ol. rorismarini*. Aquas antipodagricas, extra applicandas, vid. aq. Quercet. *Pharmac. Dogmatic. restitut. pag. 72. 73.* Empirici *aq. è radicib. helen. destillat.* alii *aq. betonic.* cum linteis in eâ madefactis, apprimè calidam impositam laudant.

Ad *confirmandos articulos*, post exantlatum arthriticum paroxysmum, River. *fol. 479.* commendat, ex Solenandro, *Emplastrum diapalma* continuò gestatum: quod equidem approbare non possum. Sic enim pori obstruuntur, & transpiratio impeditur. Placent, corroborationis gratiâ, adhibita lavacra ex *majorana*, *betonica*, *roremar. rosis*, *herb. paralysis*, *paoniâ*, *lilio convall. serpillo*, *salviâ*, *origano*, *chamæpythi*, *calendulâ*, *chamomillâ*, &c. Dein si placet, inunge quod — Articulorum roboratio.

℞. *Salis marini, in furno exiccati, & tosti*, ℥iß.	*ol. costini*,
ol. lumbric. terrestr. ℥ij.	*nardi*, ana ʒii.ß.
adip. hominis ℥j.	*rorismar. dest.* ʒj.
	salv. ℈ß.

M. f. a. pro *Balsamo* articulorum.

Solent Podagrici certis anni temporibus, communiter in puncto Novilunii, *cucurbitulas* cum *scarificatione* pedibus, ut membris præcipuè affectis, applicare, plerunque à Balneatoribus decepti: qui, si venæsectiones, & scarificationes, & dentium evulsiones, exceperis, consilii ferè erunt inopes. De hoc autem medicationis genere quid Crato sentiat, *Epist. Medicinal. 152. pag. 256.* reperire est. *Scio*, inquit, *quosdam existimasse, se juvamentum sensisse, si aliquoties in anno, non tamen doloribus affecti, venam* — Scarificatio.

nem habet: & alium dolorem, circa illas partes, ab affluxu & cumulatione humorum acrium, inter cutem, à capite defluentium, juxta Fernelium; qui perperàm omnem Arthritidem sic fieri statuit.

In hoc Ischiadico affectu Ægrotantes non semper *claudicant*, ob luxationem ossis; sed aliquando sine ea. Rationem habet Frambes. *in Cons. f. 437.* quia humor, qui pro nutritione illûc confluit, calore & otio induratur, &, affluentibus simul humoribus excrementitiis mixtus, libertatem motûs impedit. Exemplum in Excellentissimo Heroe, Comite Tillio &c. de quo *supra.* Is postquam supinus in plano cecidit, sine luxatione (ut Chirurgi, quantum judico, rectè arbitrabantur) cùm ad lectum deportaretur, diu decubuit sine exercitio, nihilominus diætam ordinariam, & paulò pleniorem quidem, observavit, medicamenta autem omnia, præsertim evacuantia, omnino respuit, & sic rem eò redegit, ut, finito mense altero, cachecticus, non sine dolore totius Provinciæ, obierit. Post mortem autem, luxationis instar, in coxendice (de cujus dolore statim à casu ad mortem usque conquerebatur) tumor, pes autem lateris affecti longè brevior, deprehensus fuit: non, quòd luxatio vera præcesserit; sed ob cumulationem humorum pravorum, ad locum dolentem confluentium. Luxationis autem veritatem prodidisset Anatomia; sed illa etiam hîc, more solito, omissa. Claudicatio.

In Ischiadico dolore tunditur commodè *Vena malleoli*, vel *exterioris*, vel *interioris*: die Gichts-Ader. Et sic aliquando malum statim tollitur: teste Sennert. *de Arth. f. 29.* Venæsectio in Ischiade.

Riverius, *fol 483.* scribit, se contumacem Ischiaticum dolorem una die curasse solo *oleo de lateribus*, post sex cucurbitulas parti dolenti admotas, inuncto, locoque calidis linteis tecto. Convenit quoque *oleum ranarum* inunctum: quod vide ap. Crat. *Cons. f. 708.* item *axungia ardeæ.* Præstant autem pinguibus *spirituosa*, Oleosa.

Spirituosa. rituosa, summè penetrantia, ut *spir. lavendulæ, juniperi*, &c. Imponitur & *pellis cati sylvestris*: item *avena calefacta*. Quin & *Vesicatoria* loco affecto apponimus, & *Cucurbitulas* & *Fonticulos*. Quæ enim semel magnam illam occupavit articulationem, materia, crudeliter affligit, & vel ideo magis est molesta, quia non finit Ægrum loco moveri, vel situm mutare; & tardè etiam resol-

Emplastr. vitur. Idem, *alibi*, *Emplastrum* ex *terebinthina*, cui aspersus fuerit *pulvis Hermodactylorũ*, appponit. Vid. etiam *Consf. 238. p. 701.* Experientiam alicujus Matronæ, Medicatricis nõ contemnen-

Sinapismus. dæ, certum, sumitur ab *Urtica*; si eâ locus affectus in Ischiade ad rubedinem usque ceditur, & *spiritu vini* abluitur.

Arthritis evanescens. Solent aliquando, in inveteratâ præsertim arthritide, *dolores* ad inconsuetam longitudinem *sopiri*: id quod plerunque malum præcedit eventum: ubi scil. natura exhausta insufficiens est, ad materiam resoluti tartari ad extremas partes ablegandam, in senibus imprimis; unde postmodum omnium facultatum languor, & ipsius etiam respirationis difficultas. Qua ratione quoque Guilh. Fabric. Senex, insignis ille Germaniæ Chirurgus, an. 1634. obiit, referente Horst. *Op. Tom. 2. p. 548.*

Prognost. ex Podagra. Quòd Podagra *subitò recedens* plerunq; fit magni morbi, imò ipsius mortis, causa, docet etiam aliàs quotidiana experientia. Exemplum fuit in Reverendissimo DD. Kisseke Canonico: aliud in Principe nostro, & Gubernatore Don Loys Gonzaga. Prior evasit per subsequentem fluxum dysentericum: posterior mortuus est.

Quòd humor arthriticus, præsertim in consummatis, alios etiam efficere & mentiri possit morbos, vix unquam vulgaribus Medicinis curabiles, sed qui vel evacuantibus deturbari, vel aliâs naturæ beneficio segregari & dispergi debeant, à Riverio quoque confirmatur, *fol. 447.* ubi dicit, humores arthriticos in alia etiam membra & viscera influere posse, variosque ibidem dolores causare. Quando ergo Podagrici consummati de aliis affecti-

affectibus, v. g. de Colica, Asthmate, Palpitatione Cordis, Inflatione Ventriculi, Pleuritide, &c. conqueruntur, nolim, Medicum hæc aliò referre, quàm ad ipsam materiã Podagricam, sic abundantem, ut articulos solùm afficere ampliùs non possit: ubi imprimis accedit expultricis debilitas. Confirmatur hæc opinio à posteriori, hinc, quia medicamenta, hisce affectibus aliàs proficua, adhibita, plerunque nihil, vel parum, juvant. Cessant autem cruciatûs tales, quando tartarus Podagricus ebulliens per se quiescit, vel ad articulos iterum derivatur; naturâ monstrante viam. Exemplum videsis *supra, libr. 3. c. 5.*

Est doloris species, Arthritidem *Vagam* mentiens, German. das kalte Vergicht. Hæc brachia & crura subitò occupat, & ad os Ischias usque nonnunquam penetrat, cum singulari molestia; & difficulter curatur. Provenit aliquando à flatibus, plerumque à materia subtilissima, acri, vitio concoctionis secundæ & tertiæ; aliquando, ut in lue Ven. malignitatem induit. Insinuat se autem ipsis periostiis, jam in loco permanens, jam hinc inde divagans, nullo sui vestigio extra demonstrato. Utimur variis remediis, præm. universalibus; frictionibus, sudoriferis, inunctionibus, fomentis; sed nonnunquam omnibus incassum. Dolor Vagus. Kalt Vergicht.

Riverius, *c. de Rhevmatismo, fol. 487.* curam hujus absolvit multoties repetita *venæsectione*, singulis fere diebus interjectis *Clysteribus* evacuantibus & attrahentibus; quin & *aquam benedictam Rulandi* ipsis addendo: in principio, augmento, statu, ait, purgationes & sudorifera potiùs nocere: prodesse tamen in declinatione. Sed morbi tempora nominat quidem, non autem definit.

Quidam Posoniensis, in Ungaria, tales curat *Ungvento* illito, quod ex *Equi Pingvedine, supra collum collectâ*, componit, von einem Speckhalsigem Pferd: locum dein' post inunctionem abluit *spiritu vini*, cum *herbis* destillato: quo, arbitror, ipsum pluraefficere, quàm cum pingvedine equi. Unguentũ de Kamspeck.

Articu-

Articulorum tumores, & dolores, absque ulcere, & podagricos & convulsiones, magnâ ex parte, frigida largè affusa levat & extenuat, solvitq́; dolorem. Nam modicus torpor doloris solvendi vim habet. Hipp. l. 5. aph. 25.

Evnuchi neq; podagrâ laborant, neq; calvi fiunt. l. 6. aph. 28.

Mulier podagrâ non laborat, nisi ipsam menstrua defecerint. l. 6. aph. 29.

Puer non laborat podagrâ, ante Veneris usum. l. 6. aph. 30. (Hunc aphorismum falsum esse, contendit Gvilh. Fabrici9, *fol. 354.* ubi mentionem facit pueri quinquennis, articulorum doloribus, malo hæreditario acquisitis, vexati: & probat etiam experientia Practicorum.)

Morbi podagrici, inflammatione sedatâ, diebus quadraginta conquiescunt. l. 6. aph. 49.

Podagrici dolores vere & autumno moventur. l. 6. aph. 55.

Quibus, diuturno coxendicum dolore vexatis, coxa excidit, & rursus incidit, iis mucores innascuntur. l. 6. aph. 59.

Quibus, diuturno coxendicum dolore vexatis, coxa excidit, iis femur contabescit, & claudicant, nisi urantur. l. 6. aph. 60.

Siccitatibus arthritides. l. 3. aph. 16.

Vere articulorum dolores. l. 3. aph. 20.

Autumno coxendicum dolores. l. 3. aph. 23.

CAPUT II.
De reliquis Articulorum vitiis.

Vulnera Articulorum. Gliedwasser.

PUlcherrimè discurrit Frambesarius, *in Cons. f. 581.* de *Articulorum Vulneribus* malè tractatis, vel per se mali moris: ubi effluit liquor ille, German. ineptissimo vocabulo das Gliedwasser/ quem *humiditatem glareosam* vocat; curationem is valde reddit difficilem. Provenit autem à superfluo nutrimento, quod natura ossibus destinavit. Hoc proinde fortiter exiccandum, ne pu-

ne putredinem vicinis partibus, ossibus verò cariem, & teredinem inducat. Idem liquor in fractis ossibus materiam præbet *Callo*.

Guilh. Fabric. *fol.886.* vult, nunquam apparere fluxum illius aquæ, nisi vel Chirurgus, vel Patiens, erraverit. Propterea credibile est, non semper provenire à superfluo alimento, quatenus tali, vel sibi relicto; sed ab humore corrosivo acri, seroso, & ichoroso, in quem transiit etiam nutrimentum parti læsæ destinatum. Ubi retardatur quidem consolidatio; non autem ideo, quia effluit id, quod intùs manere deberet, alimentum scil. sed quia aqua illa præterfluens partes circumjacentes, & ipsum etiam lentorem, qui in articulis naturaliter inest, corrodit & exulcerat. Ubi itaque talem humorem in *Articulorum vulneribus* deprehendimus, eum modis omnibus avertere studebimus, corpus purgando, venam secando, diætam optimam instituendo: quod multi negligunt Chirurgi. Vide Fabric. Hildan. *de Ichore & Meliceria*, *fol. 872*. Sennert. quoque, *L.3. Pract. part. 2. sect. 2. cap. 7. Quæst. 1. pag. 383.* & *Libr. 5. part. 4. cap. 15. p. 471.* Theophrastus inepto vocabulo, ut aliâs sæpissime solet, humorem istum *aquam Sinoviam* vocat. Vide etiam Crat. *l.3. Epist. f. 399.* Unde. Aq. Sinovia.

Gvilh. Fabric. aquam hanc plerunque, ait, *ibid.* antecedere *Articulorum Fungos*; qui eodem loco methodicè curantur. Paulò pòst ascribit non solùm cerebro, & articulis, sed & ossibus, suos *fungos*; qui nihil aliud sunt, quàm excrescentiæ, vel extuberantiæ, ossium, aliquando solidæ, aliquando spongiosæ. *Curantur* vel omnino non, vel emollientibus, ut callus in fracturis supra modum auctus. German. dicitur Beinwax oder Uberbein. Vid. Crat. *in Epist. Medicinal.* Fungi. Glied-schwamm. Beinwax Uberbein.

Indurantur nonnunquam *extremitates tendinum*; & similes tumores præ se ferunt molestiæ aliquid, damni vel impedimenti nihil. Tales sæpe observavi in externa parte manûs, & superiore parte pedis extimi, post spuriam Paralysin à colica, ma-

teriâ scilicet in musculos translatâ, ibi tandem desinente & induratâ.

Fissuræ manuum & pedum. *Fissuræ Manuum*, & *Pedum*, incurabiles habitæ, *sanantur succo tanaceti.* Sennert. *l. 6. Pract. part. 4. cap. 23. f. 214.*

Verrucæ. Wärtzen: Clavi. *Verrucæ Manuum*, Germ. Wärtzen/ *Pedumq; Clavi*, German. Hüneraugen/ *emolliuntur*, ut vel omnino decidant, vel sine molestia gestentur multis septimanis, si post lavacrum imposueris *Emplastrum ex ammoniaco*, cum *acet.* dissol. 10. vel 12. diebus gestando, &, si opus, repetendo. Novi nonnullos ab hisce tumoribus omnino liberatos, qui, propter aliam quamcunque causam, diutius *Thermis Badensibus*, prope Viennam, usi sunt. Efficacissimum ad *verrucas* & *clavos in pedibus* scribit Sennert. *Libr. 5. Pract. part. 1. c. 37. pag. 163.* hoc *Emplastrum:*

℞. *Picis naval.* ℥j.	*sal ammoniac.* ℈j.
galban. acet. dissol. ʒß.	*empl. diachyl. magn.* ʒiß.

M. F. Emplastr. Idem fere vid. ap. Minsicht. *Thesaur. sect. 36. pag. 508.* item *pag. 510.* Item ap. Phil. Grüling. *Centur. Obs. Med. 1. Cur. 16.* qui, *ibid. Cur. 8.* mirificum & singulare dicit, si ℞. *Stercor. ovill.* ℥j. & contund. cum *acet. acerr.* s. q. ut F. Empl. & imponatur loco circumdefenso *emplastro citrin.* vel *diachyl.* Vide & Schröder. *Pharmac. Med. Chym. libr. 5. pag. 284. c. b.* de remedio ex *rubris limacibus*, in hunc usum.

Verrucas exterminat quoque inspersa *sabina*, vel contusa *portulaca*. Hieron. Fabric. ab Aquapendent. *Oper. Chir. fol. 49.* Guil. Fabric. *f. 606.* curat *verrucas* appositione *caustici*, sed purgato corpore, simul prospiciendo, ne causticum ulterius profluat. Illud præcavetur superposito vasculo argenteo, vel potius cereo (wie ein Fingerhut) Id. *ib.* filum *arsenico* imbutum applicat verrucæ, ipsumque constringit indies magis, donec decidat: sed utrumque cautè tentandum, ob symptomata sequi solita. Memini enim, an. 1637. Frisingæ, R. D. Ferdinando Weigl, Canonico ad S. Andr. Agnato meo honorato & Bal-

neato-

nectorem, præter meam voluntatem, apposito corrosivo, ulcus supra pedis digitum concitasse, post semestre demùm consolidatum: dum interim claudicando Æger incessit.

Pedum fœtor, symptoma mutatæ qualitatis, & patienti & astantibus molestum, *emendatur*, p. p. aspersione *pulveris tutiæ, pumicis, cineris cupri*, sive *Martis*, quem fabri Cuprarii colligunt, *scoria ferri, ejusdemq́, rasur. Excellent. D. D. Joannes Fischer, Sup. Austr. Ill. Stat. Medicus.* Habet & Minderer. *in Medicin. militar.* Pedum fœtor.

Quòd *Lassitudines spontaneæ* morbos denuncient, testatur Hipp. *l. 2. aph. 5.* Causa est sanguis crudus, cum sero copioso, spatia musculorum infarciens, eosdemque ad motum ineptos efficiens. Vid. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 171. c. a.* Lassitudo spontanea.

Præter lassitudinem spotaneam, morbum etiam brevi futurum indicat symptoma illud, quod German. vocatur *fliegende Hitz*: quando vapores calidi in *faciem* ascendunt subitò, iterumque disparent. Fliegende Hitz.

Quamvis *sudor* sit res p. n. & è corpore potiùs expelli, quàm coërceri debeat: ap. Gynæcéum tamen, laboribus delicatis ex auro, argento, serico occupatum, consuetum est, ne fabricæ muliebres conspurcentur, *sudorem*, *in manibus* præsertim, cohibere. In hunc finem manûs in die sæpius *aceto frigido* immergunt. Dioscorid. autem *de med. materia, l. 1. c. 113. Pastillos* describit ex *rosis, nardo Indica, myrrha, costo, iride Illyrica*: & ex his format monilia, pro collo mulierum, ad cohibendum sudorem, tanquam indecorum quid. Possunt & talia, meo quidem judicio, in aceto dissolvi, & quibuslibet inungi membris, veluti pedum digitis & plantis; ubi consultum videbitur, sudorem reprimere.

Quin & *totum corpus*, sine prævia commotione, udo sudore nonnunquam madefit, & hoc quoque est momentaneum. *Causam* Horst. *Oper. Tom. 2. p. 159.* hujus caloris, & sudoris momentanei, esse, ait, ubi calor nativus à copia humorum cru- Sudor totius.

dorum premitur, qui si alternatim eum humorum aggreditur, exprimit quasi aliquem calorem; & liquorem, in superficiem corporis.

Contusio articulorum.

Admonet sapienter Fabricius, *in Cent. f. 186.* incautiores Chirurgos, ne in *Contusionibus articulorum*, **in verruckt / oder verzuckten Gliedern** / ubi non manifesta luxatio apparet, temerè membrum hinc inde torqueant, & non dislocatum conentur reponere. Nam tales ineptas operationes sequuntur facilè magnæ inflammationes, dolores, ulcera, ossium caries, & mors.

Luxatio.

Quin & non satis tutum est, *membrum* certò *luxatum* reponere, cùm jam præsens est inflammatio. Tunc præstat præparare corpus, victu uti parciore, venam aperire, extra repellentia mitiora adhibere; & ita cum repositione expectare, donec maxima inflammationis pars evanuerit.

Sangvinem sistentia.

In *abscindendis Membris* commodiùs *sangvis sisti* non potest, quàm si *ferrò candente* venæ & arteriæ adurantur. Guil. Fabricius tamen, *in Cent. f. 369.* *novaculam candentem* sumit, quâ circumcidit ligatam carnem ad os usque, & sic, existimat, sangvinem simul sisti. Equidem dubitarem, utrum non per carnis humiditatem, & mox erumpentem sangvinem, efficacia ferri candentis priùs obtunderetur; quàm vasa adurendo contraherentur. Ubi itaque nullus est metus hæmorrhagiæ, idem Fabric. altero statim die renovat ligaturas: aliâs præstat expectare tertium, & interim per *laudanum opiatum* fervorem sanguinis sistere. Sic plurimos milites, in præliis vulneratos, & malè ab initio tractatos, pedibus brachiisque, ut vita ipsis conservaretur, truncare oportuit Ingolstadii, an. 1631. & seq. administrante tales operationes, in Nosocomio bellico, exercitato Chirurgo, Magistro Casparo Stahel, præsente & jubente Patre meo, ad id singulari Salario à Serenissimo Elect. Bavariæ conducto. Ubi & mihi plurima in Chirurgicis rara observare licuit.

Sed

Sed Quæstio sanè est, annon, ad gangrænam membri talis læsi, magna aperiatur fenestra, iteratâ laudani opiati, ad fervorem sangvinis sistendum, exhibitione: quòd eâ spiritûs non possint non nimis ligari, & quasi sufflaminari, eorúmque influxûs ad vegetandum membrum læsum inhiberi: unde necessariò mortificatio sequitur.

Quando *Ulcus* diuturnum circa *articulos* hæret, ossa fiunt cariosa, & ipsorum extremitates cartilagineæ absumuntur: unde necesse est, ut ossa coalescant, articulatione & motione deperditâ, & membro manente rigido. Quòd si hoc prævideatur, & aliâ ratione curari non possit, figura articulo maturè talis danda est, quæ naturalibus actionibus, & decori maximè videtur congrua. Ita prudenter digitum alicujus Rustici minimum incurvavit Gvilh. Fabric. *fol. 305.* ne indecorè maneret articulatio recta & inutilis. Articulorũ ulcera.

Non semper *Ossa denudata* fiunt cariosa, vel corrumpuntur, propter ambientem aërem, ut indigeant scalpelli rasione; quemadmodum nimis superstitiosè credunt Chirurgi. Si itaq; os nudum *conservatum* velis, inter deligandum (quod *supra* etiam, *in Vulneribus Capitis*, observatum est) *ferream laminam*, vel *sartaginem*, calefactam applica. Cave etiam, ne digestivum, vel aliud pingue, ossi imponas; sed siccatantùm, & rasa filamenta. Sic successu temporis supra ipsum os apparebunt maculæ rubræ, exudantis sanguinis instar; è quibus generatur caro, ossium tegumentum. Idem, *fol. 373.* Si verò os jam fuerit *corruptum*, & *cariosum*, tunc totum spatium impleatur *euphorbio* subtilissimè pulverisato: ubi cavendum, ne Pharmacopœus, ad faciliorem triturationem, mortario pingue aliquid inungat; quod ossibus adversissimum est. *Euphorbium*, sic ossi inspersum, vicinis partibus nihil prorsus nocet, sed, quod impurum est in osse, consumit & exiccat, ulterioremque ossis corruptelam præcavet. Debet autem reliquum ulcus impleri filamentis Ossa nuda cariosa, corrupta. Euphorbium.

 siccis,

ſiccis, & tegi *empl. diapalma*, & ſic per noctem integram relinqui, ſine omni metu corroſionis, vel inflammationis: quod alii timidiores non crederent. Fabricius autem illud mirè prædicat; ubi præſertim actuale cauterium vel ob horrorem non admittitur, vel aliàs locum non habet. Vide Auctorem cit. *fol. 304. & 501.*

Oſſa emollita. Fernelius, *de abdit. rerum cauſ. l. 2. c. 9.* ut probaret, dari morbos ad materiam ſolùm ſpectantes, adducit hiſtoriam ex Ruellio, de Milite quodam, cui oſſa ita mollita fuerant, ut, quò quis voluerit, ceræ inſtar, flecti potuerint; quæ tandem uſu balnei naturalis aluminoſi iterum ad antiquam duritiem rediere. Et hoc vitium materiæ adſcribit: ſicut & nervorum illam reſolutionem & emollitionem, quæ contingit iis, qui Mercurium incautiùs tractant.

Fractura oſſium. In *deligationibus Fracturarum* monet idem, *fol. 189.* ultra diem tertium expectandum non eſſe: & demonſtrat aliquot exemplis, propter diuturnam moram ſubſequi dolorem ingentem, inflammationem, pruritum, puſtulas, ipſam denique gangrænam.

Tibiæ. In *Tibia fractura*, quod nonnulli ſanctè præcipiunt, ut pes continuò talo incliner, erectis in altum pedem digitis, illud idem, *fol. 72.* ſapienter prohibet, & ait, multa inde ſequi incommoda, dum doloris materia deſcendat ad nervos & tendines ibi deſinentes &c. Meliùs autem eſſe, benè cuſtodito pede, ut modò in hoc, modò in illud latus inclinet Æger. In *talibus Fracturis* etiamſi nullum vulnus, vel manifeſta contuſio adſit, Ichor ſangvineus. transſudat tamen nonnunquam *Ichor ſangvineus*, ut linteamina tali colore tingantur: cujus cauſa in perſpirabilitate corporis conſiſtit. Horſt. *Oper. Tom. 3. p. 151. & ſeqq. Lapidem oſteocollam* ʒj. pondere ſumptum quotidie; cum *aq. ſymphyti*, & emplaſtris etiam extra additum, ſingulariter commendat Fabric. *in Cent. Obſ. 90. fol. 275. in fracturis oſſium*; cum hac cautela tamen, ne eo abutamur;

mur; aliâs callum generaturo superfluum, difficillimo labore resolubilem. Is autem lapis, qui hîc expetitur, effoditur in campo quodam arenoso, prope Darmstadium: eligitur, qui sub terra reperitur: extra terram prominens est invalidus; subterraneus est fuscus, gravis, lentus, pinguedine glutinosâ oblitus.

In iisdem *Fracturis*, vel *Luxationibus*, non tutò semper utimur *emplastro oxycroceo*, ut vulgus Chirurgorum solet: est enim nimis calidum, & ita facile inflammationes facit & auget. Circa finem verò, vel declinationem morbi usum ipsius Gvilh. Fabric. non reprobat, *f. 377.* Empl. oxycroc.

Solent Itali eos, qui *Vulnerati* sunt, vel *os Fractum* habent, alere alimentis, sanguinem, ut putant, glutinosum facientibus, ut citiùs convalescant; v. g. *extremitatibus* & *intestinis animalium, carne suillâ, limacibus, gammaris*, &c. Sed malè sic nutriri hominem imprimis Germanum, frigidioris ventriculi, nullius exercitii, voracem, benè sentit Fabric. *fol. 255.* Concedit robusto, sano, juveni, assueto, calidioris stomachi, &c. Talium Ægrorum cibus.

In *Ulceribus Pedum*, quæ vulgo dicuntur offene Schäden / non statim ad sanationem, sive consolidationem, veniendum est; præsertim quando Æger ad graviores morbos inclinat. Timendum enim, ne fluxus, bonitate naturæ concitatus, per præmaturam occlusionem ulceris, impediatur, & recurrat ad partes internas nobiles, ibique majora excitet incommoda. Si itaq; *pedum ulcera* nimis videntur molesta, purgato corpore, venâ apertâ, meliori institutâ diæta, utrique pedi *Fonticulos* inure, & tunc consolida ulcus. Vide Horst. *Oper. Tom. 2. p. 515.* Pedum ulcera. Offene Schäden.

In *Ulceribus cacoëthicis pedum*, post combustionem contractis, etiam puellæ sedecim annor. præter alia, circumcirca inspersо *Mercurio præcip.* labiis induratis, apposuit *Emplastrum* Gvilh. Fabric. *fol. 470.* quod Ulcus malimoris.

℞. Empl.

℞. *Empl. de mucilag.* ℥iiij. *croci* ʒß.
gumm. ammon. ʒß, *argenti vivi extincti* ℥iiß.
ceræ ℥j. M. F. Ceratum, ſupra alutam extendendum. Hîc nota, emplaſtro aliquandiu geſtato, puſtulas in cute erumpere; tunc per aliquod tempus illud amovendum, & puſtulæ per *Ungvent. de ceruſſa* exiccandæ, ac tandem repetendum emplaſtrum, quo modo, quod induruit, emollitur & evacuatur ſimul.. Ulceribus malignis etiam medetur *plumbi lamina, hydrargyro* illita, loco affecto impoſita. Id. *loc. cit.*

Ulcera incurabilia. rationem reddit, quare *Ulcera* aliquando *non poſſint conſolidari*: quia nimirum circumjacens cutis, à pinguedine & panniculo carnoſo ſeparata, ad recipiendum nutrimentum facta fuit inepta, propter eroſas venas capillares, nutrimentum deferentes; unde ad conſolidandum apponi nihil poteſt, & cutis, ut fiat livida, neceſſe eſt. Separabis itaque illam circumcirca, & vel cauſtico, vel ferro, abſumes, vel abſcindes. Hæc ſtudiosè notanda, ne fruſtra cônſumat tempus Chirurgus in ſanando ulcere, ubi

Os carioſum. tale impedimentum adeſt. Idem fit, ubi *Os* ſubeſt *carioſum*, vel *particula Oſſis ſemi-ſeparata*, ſtylo exploranda, quæ omnem conſolidationem reſpuit, & aliquando difficulter cognoſcitur; præſertim à timidioribus Chirurgis, & Ægris impatientibus, qui explorationem per ſtylum non admittunt.

Membri abſciſſio. An. 1649. Styræ, Sup. Auſtriæ, Miles quidam advena, propter ulcus cruris diuturnum, in Noſocomium diverſus, decubuit: cui cùm Balneatores, magnum ſcil. opus moliturі, pro *Pede abſcindendo* jamjam arma pararent, opportunè vocatus aſtiti, &, quis auctor eſſet hujus tam perniculoſæ operationis, interrogavi. Reſponſum accepi, ipſum Ægrum tantopere urgere negotium, partim doloris gravitate commotum; partim ideo, ut truncatus uno pede, inter mendicandum homines in ſui commiſerationem violentiùs traheret: quo audito, exprobravi nequiſſimam intentionem militi, & juſſi ulcus detegere. Vidi

Vidi illud quidem latum & profundum, carnem circumsitam multis in locis laceram & putridam, vasa prominentia, à carne partim separata, & os denudatum; minimè tamen rem ita constitutam (nulla enim aderant vel gangrænæ, vel tabis, & atrophiæ, vel ossis corrupti, vestigia) ut tam periculosâ indigeret Chirurgia: quin &, manu sedulâ Chirurgi posse ulcus hoc sanari, circumstantes admonui, & à Senatu Civico consensum & media necessaria impetravi. Sed nequam Miles, ante inceptam curam, insalutato hospite, cum uxore indignabundus discessit, aliumque locum, ubi fortè incautiores artifices intentioni malevolæ satisfacerent, quæsivit. Atque hoc ideo annotare placuit, ut, ad tales operationos vocati Medici, non sine singulari circumspectione judicent, de membro abscindendo, vel conservando, cogitentque, verum esse illud Germanorum: **Menschen Arm/ und Bein/ wachsen nicht wiederum/ wie die Krebsscheren.**

Fœdissima cruris ulcera curavit Illustrissima D. D. Comitissa de Magni &c. in Moravia, cum *decocto fol. quercus*, cui addidit parum de *alumine*, *myrrha*, & *thure*; quo decocto eluit ulcus, folia verò decocta calidè, *emplastri* loco, applicavit, ter in die renovando: & *fœda ulcera folia Persicariæ*, *aquâ pluviali* madefacta & imposita sanare, est in *Epist. Med.* Scholz. *59. pag. 87. c. 4.* Sic levissima subinde, & quæ vulgaria videntur, plurimum juvant. Fœda crurum.

Asphacelo, abscessus ossis. Hipp. l. 7. aph. 75.

Si citra febrim tormina adsint, & genuum gravitas, & lumborum dolor, per inferiora purgandum esse, significat. l. 4. aph. 20.

In osse ægrotante, caro livida, malum. l. 7. aph. 2.

Ab ossis dissectione, si in vacuum usque penetraverit, delirium. l. 7. aph. 24.


Ab ossis nudatione, erysipelas, malum. l. 7. aph. 19.

Ubi in corpore calor, aut frigus, ibi morbus. l. 4. aph. 39.

Et ubi in toto corpore mutationes, ut si corpus refrigeretur, aut rursus calefiat, vel color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem significat. l. 4. aph. 40.



LIBER



Liber V.

De Affectibus Cutaneis, & Externis.

Caput I.

De Erysipelate, Membris Contusis, Ambustis, Refrigeratis &c.

De *Curatione* & *Præservatione Erysipelatis* lege Dan. Sennert. *L.2. de febr. cap.16. f.213.* & *seqq.* Prohibetur hîc *usus Humidorum*: Man soll das Rothlauff nicht netzen. Nam humida promptè refrigerantur actu, quamvis potentiâ possint calefacere; atque ideo repellendi vim nanciscuntur; quod utique noxium est: præstant itaque *fomentationes Siccæ*, digerentes. Hinc fit, quòd, si fortè, per incuriam, Ægri, in principio Erysipelatis morbum non cognoscentes, locum affectum lavent, ille summè exacerbatur, & in tumorem attollitur, dolorque geminatur. Erysipelas. Med. humida.

Exemplum fuit in ancilla juvene Nosocomii Civici Viennæ, quæ, cùm nesciret, se hoc affectu detineri, caput lixivio lavit; unde illi tam horrendè tota facies intumuit, & *Herpete miliari* exasperatata est, ut loco oculorum & narium nihil, præter quatuor parva foramina; loco oris nihil, præter rimam videre esset. Hanc ego, Medicus eo loci constitutus, An. 1639. Herpes miliaris.

 feliciter

feliciter, D.G. restitui, inunctione *nidi hirundinis* pulverisat. & cum *melle* subacti, *Linimenti* instar. Est remedium Aetii, apud Hier. Fabric. ab Aquapendent. *L. 1. cap. 8. f. 634.* Exsiccat enim hoc medicamentum, nec repellit; adeoque est tutissimum. Debet autem non in principio adhiberi, sed in statu & declinatione. Aliàs pr. pr. inspergimus pulverem *glycyrrhizæ, interioris corticis sambuci, farinam secalinam parum tostam, & iterum refrigeratam*, ut humiditas absumatur, cum *pulv. sabinæ, flor. chamamel.* & aliis digerentibus. Minderer. commendat inunction. *Ungventi de Liquirit.* licet Autori suspecta sint pingvia. Madefiunt etiam Linteamina *spermate ranarum, sangvine leporino in Martio collecto*, vel *lixivio cinerum fagi*, cum *alb. ovi, camphorâ, croco*, & *aq. rosarum*: vel

℞. *Olibani*,	*croci* ʒß.
myrrhæ, an. ʒß.	*aceti*,
camphor. ʒij.	*vini*, ana ℔j.

Coq. parum, & immitte linteum. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 422.* Possunt autem talia linteamina sæpius intingi & exiccari, ac denuò expressa, & parum adhuc humentia, calida tamen, membro affecto imponi. Et quamvis, ut *supra* dictum, actu humida hîc suspecta sint; nihilominus legitur apud Horst. *ibid. p. 489.* *Thermarum* applicationem nihil nocere. Loquitur autem tunc de *Thermis Bollensibus*, in Ducatu Wirtenbergico, quæ utique attrahendi & digerendi vim magis, quàm repellendi, habent. Et ipse dictus H. Fabr. ab Aquapend. *Libr. 1. part. 2. cap. 28. f. 730.* *herpetem miliarem exedentem* feliciter se curare asserit *solis aquis Thermarum*: &, in defectu harum, substituit *aquam marinam*, vel *aquam simplicem* cum *sale, sulphure*, & *alumine*. Thermæ Bollens.

Idem Horst. *d. l. pag. 106.* Ancillæ sangvineæ, *Erysipelate* totius capitis, cum inflammatione illius, febre continua, delirio, insomniâ, laboranti, venæsectionis ferociam non coercere ausus, illius temperandi gratiâ, præscripsit *Emulsiones refrigerantes*,

vantes, *syr. acetos. citri*, cum *spir. vitriol.* Abstinuit autem à *vena sectione*, quia tunc Menses patiebatur; sed valdè parcos. Sennertus autem, ut *supra* dictum, in pleuritide, mensib. etiam fluentibus, venam brachii aperuit. Et ego hîc non video, cur non potius naturæ cursus segnis fuisset adjuvandus, apertione saphenæ unius & alterius pedis: ita simul facta fuisset à capite revulsio, & ebullientis sanguinis impetus sublatus. Vena quando secanda.

Suggillatio, sive *sanguinis sub cutem effusio*, pari ferè modò tollitur. Neque enim hûc etiam quadrant repellentia; sed digerentia, resolventia, dissipantia; & ea quidem sicca. V.g. impone *Sacculum* cum *farina secalina*, *pulv. sabina*, *flor. chamamel. melilot* &c. Suggillatio.

Balneatores *Contusionibus membrorum* applicant medicamenti genus, quod medium est inter emplastrum & cataplasma. Componitur ex iis, quæ adstringunt, consumunt, exiccant, tendines & nervos confortant: v.g. ex *farina fabarum*, *far. molarum volatili*, *bolo Armena*, *symphyto major.* cum *alb. ovi* subactis: Horst. *l. 3. Epist. f. 284.* non absurdum esse, ait, in principio *contusi* membri, etiam articulatione carentis, talia applicare; cùm materia scil. adhuc affluit. Tunc enim potentiùs illa affluens exiccando absumitur, & repellendo impeditur. Si verò *Ungventa*, vel *Olea*, adhibemus, obturatur cutis, & pori, quò minùs id, quod exhalare debet, possit. Hinc nota, non approbari Balneatorum *Emplastrum* vulgare, quod vocant Dörrbandt / quod communiter cum *pingvibus* componitur. Aliàs, si levior est contusio, & in principio statim vocatus fueris, nihil præstantius reperies, ad leviter repellendum & discutiendum, quàm *Linteum* madefactum cum *aq. rosarum*, & *alb. ovi* conquass. & calidè applicatum. Vel, si cutis sola compressa est, inunge, statim à facta contusione, *medullam cruris suilli*, & sanabitur citò, sine macula: experimento Nobilissimæ cujusdam Virginis, Durelitiæ, in Gravenegg. Contusio. Medicam. Pingvia in contusionib. Dörrbandt.

Membrum ambustum. In *membris ambustis*, *vesica & pustula* si eleventur, & malum non fuerit gravius, eæ non statim aperiendæ. Nam sic, ob cutem denudatam, dolor augetur, curatioque tardior efficitur: sed tertio demum die, ubi cuticula jam generari incipit; nec diutius retardanda, ne humor contentus acrimoniam induat. Sic Sennertus discurrit, *L. 5. Prax. part. 2. c. 18.* Sanantur v. membra ambusta inunctione hujus *Ungventi*, quod Horst. *Op. Tom. 1. p. 388.* ex Gvil. Fabric. describit:

℞. *Capa cruda* ℥iß. *saponis Venet.* ana ℥ß.
salis, Cum *ol. rosar.* & *amygd. amar.* F. Ungv.

Cunctis etiam indicationibus satisfacere, in membris *Ambustis*, dicitur, mox ab initio adhibitum *Ungvent.* ex *mucilagine sem. cydon.* cum *aq. rosar. extr.* & cum *ol. sem. lini* subacta. Id. *ib.* Al. ℞. *Ol. commun.* ℥iij. *succ. semperviv.* ℥j. *cera* q. s. M. liquefiant, immisso linteamine; quod extractum per modum Sparadrappi imponatur.

Facies. Quando *Facies* ambusta est, utere modo sanationis optimo & compendioso, quem describit Omn. Ferrarius, *de Inf. morb. f. 276.* ℞. *Alb. ovor.* N. ij. *ol. rosac.* ℥ij. *aq. rosar.* ℥j. M. & conquassa probè; postea intinge panniculum album, levem, vel sericum, in hoc liquore, & superpone faciei: ubi oculi, nares, & os, prominere debent, fac foramina in tegumento: & maneat facies sic tecta continuò, ita, ut quotidie bis terve cum penna liquor iste extrà linteolo inungatur. Transacto verò principio, quod erit ad diem ambustionis quartum, loco albuminis ovorum, ℞. vitellos, & cum reliquis misce, & inunge ut *supra*, donec videatur cutis generatio nova. Tunc verò forfice paulatim, de die in diem, ubi nova cutis apparuerit, linteolum incidere debemus, adeò, ut totum paulatim aufferatur: quo ablato, videbitur locus affectus sine cicatrice curatus.

Membra refriger. Solent membra nimio *Frigore* ita aliquando congelari, & emori, ut caro ab ossibus, gangrænæ instar, decidat, imò & ossa

ſa ipſa à compagibus ſuis ſeparentur. Antequam autem ſuprema hæc corruptio accidat, *inungatur*, quod ℞. *Rapam excavatam*: imple *oleo roſaceo*, claude foramen, operculo priùs abſciſſo, & involve *rapam lino madido*: coq. in cineribus, donec aſſata ſit tota maſſa: & expreſſum ſuccum parti affectæ applica illinendo. Obſervamus etiam, iis, qui ſemel frigore ſic deſtruxerunt membra, malum quotannis, hyeme præſertim, recrudeſcere, cum dolore, rubore, & tumore partium. Tunc eandem *Mixturam* licebit membris inungere, & frigus omni modo arcere. Vel impone *rapas aquæ frigida*, donec congelatæ fuerint, dein' miſce cum *butyro recenti*, & *inunge*. *Ungvent. de Rapis* in hunc uſum vide ap. Minſicht, *Theſ. ſect. 35. pag. 491.* Tumores hinc excitati *Perniones* vocantur à Jonſton. *Idea Med. lib. 6. fol. 271.* Recrudeſcentia membror. refrigeratorum. Perniones.

Multum faceſſit negotii Medicis *Atrophia partium*, quæ nonnunquam magnis ulceribus, luxationibus, fracturis, vulneribus, tumoribus, contuſionibus, ſuccedit, nec non paralyſi quoque: ubi ſcil. nutrimento affluenti aditus intercluditur. *Vulgus* plurimis in hoc malo utitur *ſuperſtitionibus*: *Balneatores* quidam feliciter hîc curant. Gvil. Fabric. *fol. 59.* præm. purgationibus & diætâ, brachium, atrophiâ omnino exſuccum, & ſine motu pendulum, bis terve in die, decocto *capitis*, *pedum*, & *inteſtinorum vel vituli*, vel *vervecis*, cum *lumbricis* ſimul *coctis*, fovere juſſit, quoad pars inciperet rubeſcere: tum præſtò fuit famulus, qui parvo quodam inſtrumento corneo, ſupra anguſto, infra lato, præcipua brachii vaſa ſugeret. Ita attracto nutrimento brachium in antiquam formam rediit: cujus inſtrumenti vices ſupplebunt cucurbitulæ ſiccæ. Vel Atrophia. Das Schwinden.

℞. *Sevi bovini recentis* ℔j. *lumbricor. terreſt.* ℥vij.
limacum ℔ß. Contunde & M. ſimul, ac ſuppone fimo, donec putrefacta albeſcant. Tunc coquantur ad liquoris ſeroſi conſ. *Oleum*, quod reſtabit, *inunge* loco affecto.

Quo-

Quomodo *Atrophia* curetur, post vulnus malè tractatum, vide apud Joan. Agricolam, **in der neuen Feldscherer Kunst/** *fol. 114.*

Gangræna. Quomodo *Gangræna* ex incognita causa oriri, & occultum longè antea dolorem, acutissimum quidem & igneum, internis partibus inferre possit, exteriùs nihilominus nullo apparente tumore, vel calore, habetur lectu digna Observatio apud Guil. Fabric. *fol. 278.* Colligitur aliquando, propter qualemqualem causam, una vel altera guttula materiæ cujusdam, magnum tandem malum inferentis, in extremam corporis partem, quâ deprehensa & ablata, illicò cessat morbus. Exemplum habetur apud eundem, *f. 282.* ubi *plantæ pedis*, atrocissimè dolenti, applicatus *fonticulus* evacuavit aliquot tantùm guttulas ichoris purulenti, & statim medebaur dolori. Alii, nisi manifestam rubedinem, mollémve vel acutum tumorem, *puris* substrati *signa*, deprehendissent, fortè non fuissent ausi fonticulum ponere. Sed nota ex eodem: ubi cutis densa est, ut in plantis pedum, & sedes doloris certa & stabilis, non semper expectanda manifesta signa præsentis puris, sed audacter incidendus locus. **Man muß nicht allzeit warten/ biß es ein Aeuglin gibt/ oder eine Röhte; oder selbst aufbrechen will.** Si hoc observatum fuisset Waidhovii ad Ybsam, in Perillustri quodam viro, non os brachii, valde carnosi & tumidi, post erysipelas, antequam locus aperiretur, ubi maximus erat dolor, & pus, ob loci crassitudinem, se non prodebat, *Sphacelo* corruptum fuisset, cum interitu Patientis. Sphacelatum autem os tandem, sed serò nimis, patefecit tumoris incisio, & puris nigri, atramenti instar, paulò ante mortem, eruptio.

Planta pedis. Fonticulus. Puris signa. Sphacelus.

Gangræna pedum. Quomodo per violentam Purgationem *Pedibus*, antehac frigore debilitatis, *Gangræna* fuerit inducta, vide apud Horst. *Op. Tom: 2. p. 453.* Agitata nimirum violenter materia detrusa & commota est ad partem debiliorem, per metastasin: adeóque

Agyrta

Agyrta ille, medicamentum exhibens, excusare se non potuit, quasi pedes non attigisset; vel ideo puniendus, quòd artem purgandi & medicandi exercuerit, quam nunquam didicit. Quod enim quisque didicit, in eo se exerceat. Et sanè dolendum, quamplurimos Ægros, vel curiositate propriâ, vel alienâ, persvasos, ab eruditis quandoque Medicis, ad nequissimum hominum genus, Agyrtas, Seplasiarios, Rusticos, Anûs, Mendicos, Carnifices &c. declinare; à quibus sæpissime decepti, & vitæ & fortunæ jacturam patiuntur. Sic non ita pridem hîc observavi, nequam mulierem Mendicam ad Phthisicum desperatum, & primâ statim visitatione à me prognostico relictum, accessisse, ipsique restitutionem integram paucarum septimanarum spatio promisisse; modò decem aureos, & de his medietatem statim, ille numeraret: cui vitæ cupidus pauperculus assensit, & alieno ære conquisitam pecuniam dare jussit. Sed cura, per decoctum nescio quarum herbarum inchoata, quatuordecim diebus, juxta meum Prognosticum, cum morte Ægri transiit, & mulier quinque aureis onusta discessit; multum indignante Minervâ. Si enim, qui ædificium parat, varii generis fabros, non sutores, non sartores &c. in consilium trahit & adhibet; cur is, qui sanitatem perditam reparare cupit, à Deo vocatos & constitutos Artifices negligit, & his ineptissimos sceleratissimosque mortalium anteponit? Tanta scil. jam est morum corruptio & fatuitas, ut, in componendis artificiosè lignis & lapidibus, plus curæ nobis fit, quàm in valetudine nostra sartâ tectâ conservanda. Ubi Magistratuum incuria, vel inscitia, vel malevolentia, meritò abroganda esset; quâ impunè licet talibus perditis hominibus quidvis audere, etiamsi à Medicis eorum errores detegantur & demonstrentur. Sed hæc ferè præter institutum.

Pseudo-Medici.

Phthisicus nefariè curatus.

Invectiva Autoris in Pseudo-Medicos.

Primirosius, *L. 1. de Febr. f. 37.* puris generationem his insinuat verbis: In tumoribus p.n. *inquit*, promovemus suppuratio- *Med. Emplastica.*

nem emplasticis, quibus effluvium caloris naturalis retinetur. Ergo emplastica ad emollitionem & doloris lenitionem directè non applicamus, nec ad discussionem : sed ob allegatam potissimum causam.

Med. digestiva.

Medicamenta, *Digestiva* dicta, sunt ea, quæ in ulceribus adhibentur, puris generandi gratiâ. *Componuntur* è variis, additis plerunque *pingvibus*. Sed cave, ne tale quid in ullâ *Gangrænâ* adhibeas; quia ibi modis omnibus studendum, ut puri resistatur & putredini, non ut pus generetur. Hoc diligenter admonet Fabricius Hild multis in locis, quamvis ipse à *Digestivo* suo *ungvento*, quod cum *oleo rosarum* componit in Gangræna (quod valde miror) celeberrimè totum corpus pervadente, non abstinuerit; ut videre est apud Horst. *Op. Tom. 3. p. 122.*

in Gangræna quæ medicamenta vitanda.

Apposito parti sanæ *Defensivo*, ex Hier. Fabr. ab Aquapendent. *libr. 1. cap. 27. fol. 724.* præmissâ etiam affectæ partis gangrænosæ scarificatione, apertâ, si adest, pustulâ, & extracto expressóve sanguine ichoroso, & factâ ablutione cum *decoct. salis, aceti*, & *aq. vitæ*, superaddatur tandem cum petiis *Ung. Ægyptiacum Magistrale*, quod carnem mortuam à viva separabit, per circulum aliquem rubeo-candicantem. Sic autem illud describit Guil Fabric. cujus inventum experimentumque præstantissimum est, in *Cent. f. 789.* sine ullâ pingvedine:

Ung. Ægypt. Mag.

℞. *Æruginis* ℥ij.
mellis cum decoct. absinth. & scordii despumati ℥viij.
aceti scillit. ℥iij.
aluminis,
salis ammoniaci, an. ℥ß.
succi rutæ,
scordii,
succ. alliariæ, anā ℥iß.
Coq. ad spiss. mellis: dein' admisce
Theriac. opt.
Mithridatii, an. ʒij.
camphor. ʒß.
M. F. s. a. Unguentum.

Joann. Agricola, Med. D. *in Institution. Chirurg. German. Tract. 3. fol. 140.*

℞. *Calcis*

℞. *Calcis non lotæ* ℥iij. *flor. lact.* anâ ℥iß.
mell. despumat. M. pro Ungvento, & applicat
parti affectæ: potu cum *salepetra* mixto.

Aliter quoque tractandus *Cancer*, quàm Gangræna, vel ulcera simplicia; tantò periculosior, quantò, si mammas, quod plerumque fit, occupat, cordi vicinior. Cujus *signa diagnostica* bene tradit idem, *f. 547.* In *cura* autem, *f. 521.* periculosum esse, ait, topicis aggredi *tumores* & *duritiès cancrosas Mammarum*; additque modum curandi alium: optimam scil. victus rationem, purgationes per intervalla, venæ sectiones &c. ut diminuatur modò tumor, vel saltem in eodem statu permaneat. Verus enim est *aph. 38. sect. 5.* si de topicis intelligatur: cùm universalia non excludat; quia ipse morbus per universi sanguinis specificam corruptionem provenit. Tandem tamen, ad dolorem leniendum, addit Ungventum, quod pro secreto observandum svadet. Barth. Turrianus, *in Iatr. f. 222.* postquam pulchrè discurrit de *Cancri* generatione, ejus symptomatum cognitione & curatione; tandem subjungit, omnibus topicis præponendum *oleum*, vel *aquam, ex cancris fluviatilibus*, tanquam appropriatum remedium. Cancer Mammar. Signa. Cura.

Si nimium *depascere* & *serpere* videatur *Cancer*, præm. præm. cohiberi poterit tali *Cataplasmate*, quod habet Guil. Fabr. *fol. 264.* ℞. *Sacch. cand. flor. sulph. Theriac.* an. q. placet, & m. cum *ol. lign. Heraclini*, id est *corylin.* de quo *supra*. Idem, *fol. 267.* cavendum esse monet, in cancro curando, ne *Ungvent. Ægyptiaco* utamur. Nam etsi caro in cancro exulcerato continuè præter modum excrescat; talibus tamen corrodentibus absumi non velle, sed mitiùs tractari, quàm commune aliquod ulcus: *f. 69.* exacerbari, ait, cancrosos & scirhosos tumores emollientibus: & *Obs. Chir. Cent. 6. f. 608.* summè improbat hîc *Arsenicum*, quoquo modo præparatum. Sennertus contra, *L. 1. Pract. fol. 933.* per *liquorem Arsenici dictum*, & Crato, *Epist. 61. f. 92.* illud admittit. Cancer serpens.

Ego verò Fabricio, in hisce Chirurgicis exercitatissimo, libenter subscribo. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 433.* ex Libavio *oleum* quoque *Arsenici* proponit, item *oleum*, & *butyrum, antimonii, hydrargyrum*, cum *spir. vitriol.* mortificatum: sed hæc omnia cautè adhibenda. His enim, & similibus, remediis Illustrissima quædam Matrona Infer. Austriæ, ante septendecim annos, præter plures alias, etsi sumptûs fecerit triginta millium florenorum, curari tamen non potuit; sed maturiùs fortè, ex Hippocratis sententia, mortua est, quàm si curam non sustinuisset. Habuit autem ille Cancer *causam externam* non aliam, quàm per Illustrissimum Maritum joco in mammis factam compressionem, vel, ut alii hic volunt, seriam contusionem. Vide Hieron. Fabr. ab Aq. *in Opere Chir. part. 2. libr. 1. cap. 22. fol. 206. veter. Edition. Nova v. fol. 739.* Remedium singulare vide apud Sennert. *L. 4. Pract. part. 3. sect. 1. cap. 7. f. 509.* ex aliquo Antonio Fuchsio, qui cum suo hoc pharmaco magnam coëgit pecuniæ summam: & idem est cum eo, quod describit Penotus, *Theatr. Chymic. volum. 1. pag. 750.* Habet & Scholz. *Epist. Med. 61. p. 91. ex Oslevio.*

Canceri Causa.

Frigidum erysipelas etiam non ulceratum juvat, siquidem ulceratum lædit, &c. Hipp. l. 5. aph. 23.

Si gravida mulieri in utero erysipelas fiat, lethale. l. 5. aph. 43.

Erysipelas ab exterioribus ad interiora verti, minimè bonum; ab interioribus verò ad exteriora, bonum. l. 6. aph. 25.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum. l. 7. aph. 20.

Ab ossis nudatione erysipelas, malum. l. 7. aph. 19.

Ex bubone febres omnes malæ, præter diarias. l. 4. aph. 55. Qualis cùm erysipelate conjungitur.

Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare præstat. Curati namque citò pereunt; non curati verò longiùs vitam trahunt. l. 6. aph. 38.

Calidum ossibus fractis plurimùm confert, sed nudatis præcipuè, & iis maximè, qui in capite habent ulcera; his etiam, quæ emoriuntur

riuntur à frigore, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendo, utero, & vesicâ. His omnibus calidum amicum & decretorium; frigidum verò inimicum & interimens. l. 5. aph. 22.

Caput II.

De Ulceribus, & Vulneribus.

Ulcera dyspeulotica, qualia sunt Scorbutica, sanari inunctō syr. è rosis siccis, superstrato folio plantaginis, vel melle rosato, vel saccharo rubro, quæ levi adstrictione detergunt, testatur Horst. Oper. Tom. 2. p. 386. Abstergit autem primò ulcus diligenter hac Aqua: Ulcus. Scorbutus.

℞. Aluminis ʒj.	mastich.
cerussæ,	thuris, an. ℈ß.
lithargyr. an. ℈j.	camph. gr. vj. M. F. Pulv.

& involutus in linteum coq. cum aq. plantaginis: liquorem adhibe. Dein superpone Emplastrum tale:

℞. Litharg.	camphor. ℈j.
cerussæ, an. ʒij.	ung. rosat. ℥j.
thuris,	ceræ & terebinth. an. parum.
mastich. an. ʒj.	M. F. Emplastr.

Si ulcus fistulosum fuerit, profundum, malignum, utere oleo Antimonii; sed cautè. Vid. Sennert. Institution. p. 1374. Schröder. Pharmac. Med. libr. 3. p. 435. 436. & seqq. Ol. Antimoni.

Coquitur phlegma Vitrioli, donec in lapidem rubeum coeat. Hunc vocant Lapidem medicamentosum, &, dissolutum in liquore conveniente, ad omnes ferè externos affectûs, ulcera præsertim diuturna, mirè prædicant Balneatores, & ipse etiam Crollius. Sed aliquot cautelas in usu ipsius observandas ponit Guil. Fabric. fol. 409. Lapis medicamentosus.

Egregiè carnem luxuriantem absumit, ulcera mundat, & cicatricem inducit, & securè adhibetur, Aqua viridis, quam describit Hypersarcosis.

 scribit

ſcribit Sennert. *in Inſtit. fol. 1053.* & *Libr. 5. Pract. part. 2. cap. 7. pag. 221.*

℞. *Alum. crudi*,	Colentur: dein'
virid. æris, ana ℥ij.	℞. *camphor.* in ℥j. vini *ſoluta* ℥j.
Coq. in *vini albi* ℥xviij.	
ad quartæ partis caſum.	& adde priori colaturæ.

Naſcitur etiam aliquando in meatu urinario, poſt ulcus, vel gonorrhæam virulentam, *tuberculum carnoſum* (vid. etiam *ſupra*) uti etiam in fonticulis, & aliis partibus vulneratis: cujus curandi modus poteſt videri apud Horſt. *Op. Tom. 2. p. 221. c. a.*

Oſſis ſacri læſio. Das Aufligen. In morbis longis, propter continuum decubitum, *ſeparatur* nonnunquam *cuticula circa os ſacrum*, & fit dolor, qualis per cantharides excitatur. Tunc *inunge* loco affecto *florem lactis*, & *argillam furni*, Linimenti loco, & ſuperpone *Emplaſtr. album coctum*, vel è *ſpermate ranarum*; vel fac *Empl. ex minio, terebinthinâ, cerâ, ſevo cervino*, cum *camphora*, &c.

Pus. quomodo generetur. *Puris generandi* modum eleganter deſcribit Paulus Offredus, apud Guil. Fabric. *fol. 250.* ubi demonſtrat veritatem *aphor. 47. l. 2. Dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis, quàm eo confecto.*

Quomodo Medici non rarò decipiantur, quando putant, per affectas partes *Pus* excerni; quod tamen nihil aliud eſt, quàm pro nutritione attractus ſangvis, & à parte malè affectâ non aſſimilatus; pulchre demonſtrat Riverius, *in Prax. libro 10. cap. de Dyſenteria.*

Vulnera.

Chirurgo-Medicus. SUb eandem Artem cadere *Chirurgiam*, & illud, quod *Medici* jam exercent, in confeſſo eſt. Quin & usque ad Avicennæ tempora Phyſici fuère Chirurgi; ſed poſtea vel ſuperbiâ, vel curarum tædio & copiâ fuiſſe Chirurgiam ſeparatam, & mechanicis relictam, rectè ſtatuit Jacob. Primirоſius *libello de vulgi*

error. l. 1. cap. 12. fol. 90. ubi demonstrare conatur, Medicinam esse puram putam artem Mechanicam.

In curandis *Vulneribus*, *punctim* præsertim factis, magna est habenda ratio *Turundarum*; & notandum, quod Guil. Fabric. *fol. 357.* scribit: Non debet scil. *turunda* tam crassa esse, ut totum vulnus expleat: hinc enim sequeretur dolor: sed sufficit, ut circa superficiem vulneris tres vulneris partes impleat, & quarta maneat vacua; ne labia extendantur. Turundæ.

Turundæ autem ex linteis suavissimis eo modo *fabricatæ* sint, ut formam planè pyramidalem habeant, quo tandem circa fundum vulneris quartam tantùm partem adimpleant, vacuo relicto, ne generatio carnis impediatur. Propter eandem caussam, digesto vulnere, *turundæ* singulis ferè diebus aliqaantulum abbreviandæ sunt. Fiunt etiam *Turundæ*, cannulæ instar, intus perviæ, Germ. Holmaißl/ vel per *emplastra* sic concinnata, vel per *laminam ferream stanno obductam*; ut puris & ichoris exitus, si is necessarius videtur, non impediatur, etiam eo tempore, quo vulnus non religatur. Earum forma.

Vulnera, quæ *lethalia* æstimantur, describit quidem Hipp. *l. 6. aph. 18.* Sed quia in morbis nonnunquam monstra fiunt, taliter vulnerati non statim prognostico relinquendi sunt, neque temerè immutanda remedia, etiam variis supervenientibus symptomatis. *Omnia* enim, juxta Hipp. *l. 2. aph. 52. secundùm rationem facienti, si minùs secundum eam succedat, non est ad aliud transeundum, stante eo, quod ab initio visum fuit.* Sic, præter innumera alia exempla, legimus apud Guil. Fabric. *fol. 404.* Juvenem breviori ense, quem *Stylet* vocant, paulò supra umbilicum, per totum ventrem transfossum, remanente etiam ferri cuspide, & tandem per alvum egressâ, singulari labore & industria, per D. Joannem Glanz, nostri Mag. Ex. D. Jo. Gregorii Glanzii &c. Parentem, Aulæ Bruntrutanæ, & D. Wernerum Kramat, Oppidi, Chirurgum curatum fuisse. Vulnera lethalia quæ.

Tho-

Mumia. Thomas Muffetus, ex Theophrasto, apud Cratonem, *Epist. Medicinal. 279. pag. 532.* in *Vulneribus* commendat *Balsamum* ex *Mumia*, cui addit gutt. aliquot *ol. camphor.* & *è sem. ebuli. Hujus*, inquit, *virtutes vix audeo, sacramento silentium pollicitus, edicere. Provenit* autem Mumia è cadaveribus hominum, per aromatum aspersiones, balsamorumque inunctiones, à putredine vindicatorum. Ita Soli exponuntur fervidissimo (in India) ut liquefacti balsami per interiora, ipsamque adeò carnem intimam, pentetrent.

Unde.

Quid de *Mumia* ex Ægypto transportatâ judicet Primirosius, vide apud eundem, *l. 4. fol. 492.*

Verùm quòd mos hic *condendorum cadaverum* recens non sit, patet ex *l. 1. Genes. cap. 50.* ubi Joseph mandavit servis suis Medicis, ut *herbis inungerent* parentem Jacob, sive Israel, quadraginta diebus: quia tot diebus durabant dies balsamationis. Sic, *eodem cap.* Joseph. quoque *Ungventis* conservatus est, donec ex Ægypto duceretur. Nos hodiè quoque *Principum cadavera* pro Sepultura paramus, & â putredine vindicamus, certâ quadam Conditurâ, quæ *Balsamatio* dicitur. Horst. bonam demonstrat methodum, *Oper. Tom. 2. pag. 130. 131.* Ego meliorem vidi Ingolstadii, cùm, in prælio Nordlingano, egregius Heros, Monticucula &c. in fronte brevioris sclopeti globo vulnere accepto, occubuerat. Cujus cadaver per Danubium illùc appulit, & à Parente meo, p. m. & supra nominato Chirurgo, Casparo Stahel, pro itinere in Italiam, & ulteriore etiam duratione, sic præparatum fuit: Primò, exemptis visceribus omnibus, cum corde, pulmonibus, cerebro, & oculis, tota cavitas *spiritu vini* lota est, dein aspersa *terebinthina cocta*, ut reliqui pulveres faciliùs adhærerent. Hi erant compositi ex *aloë, thure, mastiche, succino, myrrhâ, mumiâ, ladano, benzoin, croco, styrac. calamit. cinamom. caryophyllis, nuc. moschat. mac.* & reliquis aromatibus: quibus omnibus, crasso modo contusis, & ma-

Cadaveris conditura: Horstii.

Höferi Patris.

& manipulatium inspersis, superadditæ fuerunt herbæ siccæ & crassiusculè incisæ, ut universa cavitas, postea consuenda, adimpleretur: v. gr. *scordium, rosmarinus, majorana, rosa, laurus, hyssopus, absinthium, menth. ruta, salvia, lavendula, spica, origanum, serpillum, pulegium, fl. chamamel. stæchad. sem. carui, fœniculi* &c. Caro autem musculosa, per longitudinem incisa, ut à putredine magis vindicaretur, pari modo *spiritu vini* lota, *oleis* inuncta, *terebinthinâ* aspersa, & supra dictis *pulveribus*, sine tamen *herbis*, repleta est. Totum denique corpus non, ad modum Horstii, indusio, sed fasciis inceratis, obductum, servatis artuum figuris, statuæ cereæ similitudinem repræsentavit. Cavitates verò oculorum, narium, aurium, & oris, pretioso Balsamo ex *ol. nuc. moschat. caryophyll. cinnam. succini, ruta, bals. Peruviano, moscho*, & *ambrâ*, &c. implevimus & obturavimus. Possunt etiam similibus *oleis*, addito *ol. spicæ, ol. terebinth* &c. cavitates & incisuræ musculorum priùs inungi, quàm pulveres & herbæ inspergantur, loco terebinthinæ coctæ.

In Nervorum, quin & in omnibus *Magnis vulneribus* maximè noxia est *Venus* & *Risus*: quia utraque totum corpus violenter movent, spiritûs dissipant & consumunt. Gvilh. Fabric. *Cent. 1. Obs. 15. pag. 26.* In vulneribus magnis noxia: Venus & Risus.

In omni inflammatione interna *somnum* maximè arcendum esse, svadet River. *in Prax. fol. 397.* Nam sangvis in somno ad interiora recurrit, docente Hippocr. sicque humorum affluxus ad partem affectam augetur.

Josephus Schmid, *in Exam. Chirurg. fol. 108. Emplastrum* componit, *vulnerum labia glutinans*, ut suturâ non indigeant; inventum non quidem suum, sed percommodum, ad cicatrices turpes, & dolores à suturis ortos, præcavendos, ex *tragacantha, sang. draconis, pulvere molendinarum, albumine ovi*: quod ipsi est: das guldine Hefft-Tüchlein. Vide Guilh. Fabric. *f. 815.* & Joann. Agricolam, in dem Büchlein: Neue Feldscherer-Kunst/ *fol. 109.* Emplastrū ad labia vulner.

Vulnus simplex. Vulneris *simplicis* curandi modum perbrevem, tutum, compendiosum, minimeque laboriosum, vide apud Hier. Fabric. ab Aquapendent. *L.2. de Vuln. c. 7.*

Fraxinus. Adhuc compendiosiorem modum curandi vulnera exhibet, ex vulgi opionione, frustum *ligni fraxini, arboris*, certâ die & constellatione cæsum. Eo enim tangunt vulnera, & super ea cruces efformant: ita toti persvasi, ulterioribus opus non esse. Quod equidem credo, de *simplicissimo* vulnere, ubi sola etiam natura pro consolidatione sufficit, nihil operante arte, verum esse posse; non secus, ac ungventa armaria, superstitiosè adhibita, vulnera saltem sanant superficiaria, & quæ aliàs sanarentur solius naturæ ope. Facit hujus *Ligni* mentionem Lucas Justus, apud Gvilh. Fabric. *f.525.* Hic autem interrogatus, quid de eo sentiat, nihil respondit.

Ungv. Armaria. Parem efficaciam habere creduntur, sed plus superstitionis, *Ungventa Armaria*, sive, ut aliis placet, *Sympathetica*, Germ. die Waffen-Salben. Describitur tale à Schrödero, *in Pharm. fol. 309. l. 2.* ex Crollio. Sed quia Christianis & Philosophicis principiis non sunt consona, præstat subticere.

Pulchrè tamen, & cum fundamento, ejus veritas refutatur à Primirosio, *de vulg. Err. l. 4. cap. 48. integro.* Sub cujus finem scribit, cur Crollius vulnera nervorum, arteriarum, & membrorum principaliorum, exceperit. Scilicet valere tantùm ad simplicia & solitaria in carne vulnera, quæ natura sola deligatione, vi balsami naturalis, id est calidi innati, conglutinat. Inde facile est, cùm quotidie vulnus & linteis mundis, & recenti lotio detergetur, illud spontè coalescere, absque ulla unguenti alicujus administratione. Sic inutile arguitur unguentum hoc, & superstitiosum.

Lapis Sympathetic. Par esto judicium de *Lapide* quodam *Sympathetico*, qui, quòd lambendo, in die bis terve, nõ ita pridem Magnati cuidam propositus, podagram sanare possit, credat quisquis velit.

Magis

Magis placet Schröderi *Balsamus Hispan.* quem describit, *loc. cit. fol. 303.* Balsam. Vulnerarius.

℞. *Olei vetustissimi* ℥iiij. *rad. card. bened.*
hyperici ℥ij. *valerianæ*, ān. ℥j.
terebinth. ℥viij. *thuris* ℥ij.
frumenti integri ℥iß. Radices & herbæ infundantur duobus diebus *vino generoso*, dein' adde oleum & frumentum, & coq. ad vini consumptionem : factâ forti express. adde terebinth. & thus, iterumque parum ebulliant. Ita sanabis vulnera partium etiam nervosarum, spatio, ut ajunt, viginti quatuor horarum, si toti vulneri undique inunxeris, labia contraxeris, & linteum hoc unguento madefactum superposueris.

In magnis operationibus Chirurgicis singulare negotium plerunque facessit *Hæmorrhagia* : ad quam sistendam Chirurgus optimis & certissimis remediis instructus esse debet; præsertim ubi *cauteria* locum non habent. Josephus Schmid, *in Exam. Chir. Ger.* imponit *pompholygem*, cui inspergit *Pulv. è bolo Armena, gum. Arab. tragac. sang. drac. santal. rubr. gypso, alb. ovi* &c. Vulnerum hæmorrhagia.

Für sein Blutstellung. Guilh. Fabric. *fol. 812.* proponit: Blutstellung.

℞. *Farinæ volatilis* ℔ß. *musci cranii hom.* ℥j.
sang. draconis, *pilorum leporis minutiss. incis.*
thuris, an. ℥j. (Nota, incidit pilos, non comburit) ℥ij.
bol. Armen. Or.
terræ sigillat. an. ℥ß. *alb. ovi diebus canicularibus in*
gypsi ℥iß. *Sole exiccati*, & *pulv. spumæ maris* (sed ubi habetur in nostris Officinis?)
ranarum aquatiliū pp. (mirificè enim, & à proprietate quadam occultâ, sanguinem sistunt) ℥ij. Ranæ.
spongiæ novæ torrefactæ, an. ℥j.
M. F. *Pulvis* subtilissimus, qui stupis, *albumine ovi* madefactis, copiosè inspergitur & applicatur.

Sanguinem undecunque fluentem sistit, Amuleti instar,

Jaspis.

Jaspis, gemma, teste Horst. & Gvil. Fabric. *in Cent. fol. 188.* Debet autem is maculis rubris scintillare; non albis esse conspersus, qualis nihil facit. Idem, *loc. cit.* ubi nullum aliud superest remedium, Patientem frigidæ immergit, & per internum recursum sangvinis, quem tamen Horstius valdè metuit, ejus ebullitionem & fluxum tollit. Supponit autem utique Fabricius, hominem esse juvenem, robustum, sanas carnes habentem, vernum vel æstivum tempus &c.

Hæmorrhagia narium.

Hoc tamen certum est, in hæmorrhagia, narium præsertim, certius remedium non esse, quàm *frigidissima aqua, aceti*, vel etiam *glaciei*, subitaneam applicationem ad nucham. Intra corpus datum, quantitate avellanæ semis, *sperniola compositi* sui, in *aq. plantagin.* ad hæmorrhagiam internam, ubi aliàs omnia sunt irrita, habet. Croll. *Basilic. Chymic. pag. 276.* Vid. Sennert. *Lib. I. Pact. pag. 654. 655.*

Potio vulneraria. Wundtranck.

Exhibentur vulneratis *Potiones vulnerariæ* dictæ, Germ. Wundtranck/ad consolidationem promovendam. Componuntur ex radicibus & herbis, v. g. *Rad. tormentillæ, caryophyllatæ, consolidâ ma. & mi. chamadri, saniculâ, agrimoniâ, pyrolâ, veronicâ, artemisiâ, plantagine, sabinâ, equiseto, card. bened. pimpinellâ, pilosellâ, centaur. min. betonicâ, hyperico, flor. rosar. chamem.* &c. cum *oculis cancri, spermate ceti, mumiâ* &c. quæ enumerantur à Sennerto, *in Instit. fol. 942.* Sed promiscuè iis non utendum esse, insinuat Gvil. Fabric. *fol. 393.* quia pleraque calefaciunt & exiccant, & sic puris maturationem impediunt. Ab initio itaque omnino improbantur, donec vulnus tutò carne impleri & claudi possit: tunc enim accelerant glutinationem, quatenus sanguinem glutinosum facere creduntur: ut & Diæta *superiùs* descripta.

Quando exhibendæ.

Vulnus sclopetorum.

Vulnus, quod *plumbeo* vel *ferreo* globo, per *Sclopeti* ejaculationem, infligitur, non simpliciter, ut reliqua, tractandum esse, norunt peritiores Chirurgi. Nam, propter ardorem globi, inflam-

inflammatio statim accedit, & aliquando gangræna. D.D. Freytag. Med. Ratisbonensis, ap. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 64. Obs. 9.* sic vulneratis intrò propinat *Salem nitrum pp.* optimo successu; extra verò Defensivum applicat, Germ. Ein Brandtleschung / ex *bolo Armen. oleo rosar. alb. ovi,* &c. Vide Guil. Fabric. qui peculiarem Tractatum de hoc conscripsit: & Sennert. *libr. 5. Pract. pag. 486. & seqq.* ex Lang. *L. 1. Ep. Med. 9.* & *libr. 2. Epist. 4.* Contrà læsionem omnem provenire ex ruptione, contusione, attritione: atterere enim, contundere, rumpere, lacerare, & ita penetrare & perforare globulum, &c. habet Hier. Fabricius ab Aquapend. *de Chirurgic. Operationib. pag. 150. in fol.*

Alium quoque consolidationis modum postulant vulnera *ab Animalibus Venenatis* inflicta. Ubi maximè consideranda veniunt ea, quæ à *Cane rabido* fiunt: cujus methodicam curationem tradit Idem, *fol. 178.* Abluit primò membrum morsum liquore alexipharmaco, dein cauterio actuali inurit; escharam, cavendo pingvia, citò separat, ulcus diutissimè (etiam tres menses) servat apertum. Intrò singulariter laudat, præter diætam strictiorem, quod *Canis rabidi morsus.*

℞. *Pulv. cancr. nostr. fluv. in clibano exicc.* ℨx.
rad. gentian. ℨv.
olibani ℨj.
M. & detur quotidie ℨß. ad ℨj. *Pulvis sumendus.*

Si dubitas, utrum *morsus à Cane rabido* sit, nec ne, nuces juglandes contritas, triticum, vel medullam panis, vulneri impone, ut madefiat, vel inficiatur sangvine: hoc dein gallo, vel cani sano exhibe devorandum: quòd si moriatur animal, vel rabiosum fiat, facilis est conjectura de maligno vulnere: docente Sennert. *Lib. 1. Pract. fol. 432.* ubi, *pag. 436.* scitè docens curandi methodum, & imprimis ex Galeno, *libr. 2. de antidot. cap. 11.* laudat *Emplastr.* tale vulneri impositum; ℞. *Picis* ℔j. *aceti acerrim.* ℥xx, *opopanac.* ℥iij. Dissolv. opopanax in parte aceti, reliquum cum pice coquatur ad cons. dein M. agitata, citra ulteriorem *Proba morsus.* *Emplastr.*

riorem coctionem. *Cauterium* quoque hîc singulariter commendat *actuale*: ut & *alyssum* herbam, quæ est ex genere *thlaspios*, vel comestam, vel impositam. Vid. etiam Mizald. Memorabil. *Cent. 6. §. 28.* Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 334.* puero etiam biennali *jecoris Canis rabidi* cocti, & in frusta conscissi, ℥ij. propinavit, & ait, veneni illius, antequam viginti quatuor horæ transierint, esse alexipharmacum præsentaneum. Quod idem confirmat *in libello de Sanit. tuend. Oper. Tom. 3. pag. 196. c. b.* Approbatur & ab Ill. & Mag. Anton. Colle, Com. Cæsan. &c. D. D. Rosa, Ratisbonensium Medicus, præmiss. præm. jubet omni mane vulnus lavare *Urinâ propria.* Remedium quidem vulgo notissimum; sed tamen probatissimum. Vide item Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 103. quæst. 2.*

Jecur canis rabidi.

Urina propria.

Si in fortibus & pravis vulneribus tumor non appareat, ingens malum. Hippoc. l. 8. aph. 66.

Cui vesica dissecta fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut transversum septum, aut quoddam tenue intestinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale. l. 6. aph. 18.

Dissectum os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coalescit. l. 6. aph. 19.

Quibus dissectum est cerebrum, his febrem & bilis vomitionem succedere, necesse est. l. 6. aph. 50.

Si in ventrem sangvis p. n. effunditur, suppuretur necesse est. l. 6. aph. 20.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos, & juxta maxillas, potissimùm abscessus fiunt. l. 4. aph. 31.

Quibus ex morbo resurgentibus pars aliqua laborat, illuc abscessus fiunt. l. 4. aph. 32.

Calidum suppurationem movens, non tamen in quovis ulcere, maximum securitatis indicium præstat, cutim emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, convulsiones, nervorum distentiones mitigat, capitis gravitatem solvit, &c. l. 5. aph. 22.

Qui-

Quibus apparent tumores in ulceribus, ii non admodum convelluntur, neque insaniunt: at iis repentè evanescentibus (siquidem posticâ parte eveniant) convulsiones, nervorumq; distentiones accidunt: si à fronte, furores, aut lateris dolores, accidunt, aut empyema, aut dysenteria, si rubicundi fuerint tumores. l. 5. aph. 65.

Ulcera undique glabra, maligna. l. 6. aph. 4.

Ulcera quæcunque fuerint annua, aut diuturniora, os abscedere necesse est, aut cicatrices cavas fieri. l. 6. aph. 45.

A pulsu forti in ulceribus hæmorrhagia, malum. l. 7. aph. 21.

A diuturno ventris dolore suppuratio, malum. l. 7. aph. 22.

Ubi speratur abscessus futurus ad articulos, abscessu liberat urina multa, crassa & alba reddita, qualis in febribus laboriosis quarto die qandoq; fieri incipit: quod si è naribus etiam sanguis profluxerit, fit admodum brevi solutio. l. 4. aph. 74.

Sanguine multo profluente, convulsio aut singultus superveniens, malum. l. 5. aph. 3.

A sanguinis profluvio delirium, aut etiam convulsio, malum. l. 7. aph. 9.

Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm eo confecto. l. 2. aph. 47.

Quibus in corpore pus nullam sui significationem exhibet, ob puris, aut loci, crassitudinem se non prodit. l. 6. aph. 41.

Destillationes in ventrem superiorem, intra viginti dies suppurantur. l. 7. aph. 38.

Suppurati cùm uruntur, aut secantur, si parum & album pus effluat, evadunt; si verò subcruentum, feculentum & fœtidum, intereunt. l. 7. aph. 44.

CAP.

CAPUT III.

De Tumoribus, Tophis, & Dolore.

Tumor unde. OMnis *Tumor* provenit vel à *congestione*, vel ab *affluxu*, *humorum*. Qui ab *affluxu*, semper magis dolet: siquidem cum impetu fertur in partem recipientem; & sic facit solutionem continui, proximam doloris causam effectricem. A *congestione* autem factus tumor vel omnino non, vel obscurè, dolet: quia paulatim materia colligitur in parte affecta, & sic adsuescit natura ei materiæ collectæ, & velut habitum induit; Oedema. juxta Frambes. *in Can. & Cons. f. 485.* ubi tractat de *Oedemate*, tumore ex pituita, qui, cùm ab humore lento proveniat, non potest fluere, sed per congestionem fieri debet; propterea que est indolens. Vide etiam Guilh. Fabric. *in Epist. Cent. 959.* ubi agit Dolor momentan. de *Dolore momentaneo*, membrum aliquod subitò invadente; quem vulgus Ein gefallener Blutstropffen vocat.

Tumores varii. Ludit aliquando natura, & parti alicui plus apponit nutrimenti, quàm requirebat: hinc *Excrescentiæ* variæ, *Tumores*, *Fungi*, strumarum instar: quæ omnia, tanquam inutilia, rescindenda sunt: consideratis tamen consid. ne quid obstet, vel impediat operationem; v. g. ne pars aliqua nobilis lædatur, hæmorrhagia nimia metuenda, nervus cum periculo abscindendus: ut bene monet Guil. Fabric. apud Horst. *Oper. Tom. 3. p. 118.*

Emplast. emolliens. Idem Fabric. *in Cent. f. 220.* singulariter, in *emolliendis* tumoribus duris, commendat *Emplastrum*, quod

℞. *Rad. bryon.*	*rad. belenii*,
cyclam.	*cucum. asinini*, ana ℥j.

Coq. in *vino alb.* & *acet.* an. q. s. pistentur & trajiciantur per setaceum: colat. adde *pulv. rad. iridis* quant. capit. *Tumoribus* Scirrhosis. etiam *Scirrhosis* viscerum Idem applicat *Empl. de cicuta*; quod describit *f. 657.* Approbatur ab Horst. *Oper. Tom. 2. p. 103.* *Empl. de rhabarb. Augustanorum.*

Horst.

Horst. *Oper. Tom. 3. p. 44.* de *Dolore* sic discurrit: *Quemadm. sensatio simplex non est molesta, sed naturalis: ita huic oppositus dolor, ut fiat, alterutrum ex his tribus præsupponit:* I. *est inadæquata organi dispositio.* II. *medium.* III. *objectum sensibile improportionatum. Hoc ipsum tertium doloris causa proxima esse non est; siquidem est aliquid extra corpus. Atqui, quemadmodum morbus non est extra partes corporis, ita nec ejus symptoma, dolor, qui morbo proximè adhæret. Neque in medio doloris causa quæri potest. Nam medio, quà tali, non conceditur actio. Ergo organum ipsum in causa est: quo malè affecto, generatur dolor, & sic causa doloris proxima in organo, non in parte similari, quærenda; non scil. in intemperie, sed unionis solutione.* Sennertus verò, *in Epitome Instit. fol. 215. Doloris causa,* inquit, *est continui solutio, ita, ut vel manifesta, vel obscura, & ratione potiùs, quàm sensibus, investiganda: prima fit à qualitatibus secundis, iis scil. quæ secant, urunt, quoquo modo dividunt; secunda à qualitatibus primis, caliditate, frigiditate,* &c. Ergo existimat, etiam ab *intemperie* fieri posse dolorem. Sed etsi *continui solutio* sit obscurissima; nihilominus causa doloris sola rectè constituitur. Potest enim intemperies quæcunque non aliter inferre dolorem, quàm quatenus continuum solvit, sive manifesta v. g. ruptione, sive occulta distensione. Sin offendit nonnullos, quòd solutio continui dicitur proxima doloris causa: esto solutio continui communis agendi modus, & terminus causarum antecedentium, ad quem dolorem introducturæ collimare debent. Vid. Cist. Med. Hornung. *Epist. 13.* & Conf. Jo. Lang. *libr. 4. Epist. Medicinal. 41.* de primariis dolorum causis. Dolori

Rejiciunt nonnulli medicamenta *Narcotica*, eò quòd materiam dolorum, vel causam efficientem, non tollant, sed ad tempus saltem stuporem inducant. Hi videntur homines ad pauca respicientes. Non enim considerant, somno inducto gravissimos partium dolores tolli posse: quatenus scil. somno Med. Narcoticum.

conciliato, caloris & spirituum revocatio & recollectio versus interiora fieri solet: cujus beneficio postea doloris causa consumitur ac dissipatur; nisi materia multa sit; quæ, post usum narcoticorum, evacuantia postulat: aliâs, etiam sopitis doloribus, facilè recidiva contingit: teste Horst. *Op. Tom. 2. p. 410.*

Opiatorum usus.

Idem, *ibid. p. 482. & seqq. Opiatorum* vires enumerat, & commendat, summâ cum utilitate prædicandas, in quacunque sanguinis ebullitione, febribus continuis, doloribus colicis, hæmorrhagiâ narium, mensibus superfluis, dysenteria, articulorum doloribus, odontalgiâ, hystericis convulsionibus, cancro occulto, phrenitide, melancholiâ, maniâ, magnis vulneribus, & magnis operationibus Chirurgicis &c. In his omnibus *Laudani opiati* usu spiritûs dissipati colliguntur & restaurantur.

Narcotica an pectori inimica.

Pectori quidem etsi Montanus, ap. Schönborn. *in Manual. Pr. Med. fol. 99.* arbitretur *Narcotica* esse inimicissima: licet tamen iisdem uti, quando v. g. tussis, vel phthisis fovetur à catarrho tenui, subitò cadente, acri, salso, vigilias & inquetudines causante. Quod Tyronibus Medicis observandum, ne insigni aliàs Practico in omnibus statim fidem habeant; sed, experientiâ tunc destituti, suam etiam consulant rationem.

Neucranz, *Med. de Purpura, fol. 462.* postquàm in extremis vigiliis prædicat & concedit usum opii: calumniæ tamen vitandæ ergo ægrotis, sed clàm, & sub specie alterius remedii, laudanum dare solet; quòd multi ejus usum reformident.

Laud. Opiat.

Nota, hîc commendari *Laudanum opiatum* pro *Narcotico*, quod, Horstius, *d. l. p. 561.* componit ex *opio cum acet. destillat. extracto*, addito *extracto croci*, & *mag. perlarum*, cum *ol. vitrioli*; quod exhibet sub titulo *Laudani opiati cum magisterio*, ad grana octo, pro summa dosi. Idem approbat Dan. Sennert. *L. 1. Pract. f. 251.* ubi *Philonium Romanum*, tanquam perniciosum, justè rejicitur, propter nimiam calidorum commistionem: sic enim urit, ut vix deglutiri possit. Quin & ℥ij. pondere per clysteres

Phil. Roman.

steres injectum, intestina adeò calefacit, ut nonnulli ignis vim se experiri credant. Voluerunt scil. talium compositionum Auctores Opii, quam crediderunt, frigiditatem summam corrigere; quæ planè nulla est: sed præstat, ex Sennerti consilio, pro correctione talia admiscere, quæ fœtidum & virulentum sulphur emendant, ut sunt *moschus*, *ambra*, *cornu cervi*, *mag. perlarum*, &c. Eadem ferè est incommoditas *Philonii Persici*, *Tharsensis*, *Tryphera magna*, &c. Commodissimè autem Opium cum *aceto destillato* extrahitur, & aliquot guttulæ *spir. vitriol.* adduntur: sic grani unius cum dimidii pondere, pro summa dosi, exhibetur, & hîc, sub titulo *Laudani Imperialis*, pro secreto venditur: hocque modo certè correctum securissimè exhibetur. Quid enim, obsecro, valent paucissima grana magisteriorum, & moschi, & ambræ, pro correctione addita; cùm Horstii Laudanum octo, Augustanorum quatuor tantùm granorum pondere sumatur? Si cui placent talia confortantia, vel corrigentia, poterunt, pro vehiculo, in multo majori & efficaciori dosi sapientiùs propinari, quàm ipsi medicamento, inanis correctionis gratiâ, admisceri. Opii Correctio.

De Laudano Opiato vide etiam Primiros. *l. 4. cap. 44.* ubi, more Quercetani, Laudanum sine judicio, &, si Diis placet, sine opio componit. Quamvis ipse Primiros. *loc. cit.* in quibusdam malè de Opio judicet.

Est medicamenti narcotici genus, *Nepenthe* dictum, cujus mentionem facit Theod. Zwingerus, apud Craton. *in Epist. 223. pag. 391.* Item ad Petrum Monavium, apud eundem, *ibid. Epist. 255. pag. 472.* Describitur laboriosa compositio, & quidem satis confusè, à Quercetan. Redivivo, *fol. 484.* ubi negat, Opium illam compositionem ingredi, & tamen totius compositionis granum piperis unicum pro dosi exhibet, mirandâ, ut ait, efficaciâ. Sed, ut est in prædicandis suis plerunque valde largus; ita etiam hîc non videtur Nepenthe.

esse veridicus. Neque enim ullum hactenus arte compositum est medicamentum narcoticum, quod in tam parva quantitate magnos haberet effectûs, si Opio caruerit. Aliàs Nepenthes Plutarcho & Plinio herba est, etiam ab Homero laudata, hujus virtutis, ut, poculis addita, omnem tollat convivii tristitiam. Ita Drexel. *in Conscientia, fol. 32.* Vid. *Theatr. Botanic.*

Dolor noctu gravior.

Quòd *dolor circa Noctem magis exacerbatur*, pituitæ utplurimùm adscribitur; non autem pituitæ solùm, sed & aliis quoque humoribus illud proprium est. Pituitosi quidem humores, ubi noctis incipientis frigiditas eventilationem per poros cutis impedit, adeoque ut causa adjuvans se habet, partibus sentientibus pertinaciùs adhærent: adde, quòd noctu pituita moveri incipiat: imò mens etiam dolori magis intenta est noctu, sibi scilicet solitariè relicta; interdiu autem ab amicorum visitationibus, variis confabulationibus, & consolationibus, nec non varietate objectorum, distracta. Undeunde ergo dolor proveniat, *noctu exacerbatur.* Conf. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 313. 315. c. b.*

Mus alpinus. Murmelthierlein. Anodin.

Guil. Fabric. *fol. 629. Muris alpini*, Germ. Murmelthierlein/ pulchram & curiosam tradit Anatomiam. *Fol. seq.* præstantissimum, ait, *Anodinum* esse *pingvedinem* hujus animalis, etiam articulis podagricorum inunctam: si verò plantæ pedis inungatur, somnum conciliare. Circumfertur & venditur ab Agyrtis, sed rarò sincera. Iidem, pro *leniendis* quibuscunque *doloribus*, commendant *Oleum* quoddam inungendum, quod conficiunt ex *Hyoscyamo*. Herbam, Mense Julio & Augusto incisam, vasi perforato imponunt, & eam sinunt putrescere; succum defluentem pro oleo vendunt, sed non sine periculo usurpandum. Camerarius, *in Historia Hyoscyami.*

Ol. hyoscyami.

Dolores maximi.

Pro *sedandis maximis doloribus*, quando anodína digerentia priùs applicata nihil profuerunt, *Vesicâ aquâ frigidâ plenâ* pars dolens velociter tangenda est, illaque sine mora rursus amovenda;

idq;

idque bis terve repetendum : ex Conf. Sanctor. Sanctorii, apud Sennert. *l.1. Pract. part.3. sect.1. cap.2.* Hippocratis quoque. Nam modicus torpor doloris solvendi vim habet; *aph.25. l.5.* Deinde in *vesica* commodiùs applicatur, quia membrum dolens ab humiditate non offenditur, quæ ipsi fortè esset noxia.

Tumores molles boni ; crudi verò mali. Hipp. l.5. aph. 67.

Quibus febres longæ, iis tubercula ad articulos, vel labores fiunt. l.4. aph.44.

Quibus tuberbercula ad articulos, vel labores, fiunt, ii pluribus utuntur cibis. l.4. aph.45.

Quicunque, laborantes aliqua parte corporis, omnino laborem non sentiunt, iis mens ægrotat. l.2. aph. 6.

Ex duobus simul doloribus, non eundem locum occupantibus, qui vehementior est, alterum obscurat. l.2. aph.46.

Supra transversum septum dolores, purgatione egentes, per superiora purgandum esse significant ; qui verò sunt infra, per inferiora. l.4. aph.18.

Dolores in lateribus, & in pectore, & in aliis partibus, an multùm differant, perdiscendum. libr.6. aph.5.

Dolores ventris sublimes leviores ; non sublimes verò fortiores. l.6. aph.7.

Quibus circa hypochondrium dolores citra inflammationem fiunt, his febris superveniens dolorem solvit. l.6. aph.40.

A forti dolore partium, circa ventrem extremarum perfrigeratio, malum. l.7. aph.26.

CAP.

CAPUT IV.

De reliquis Cutis Affectibus.

Cutis maculæ.

MAculas *Cutis* deformes abstergit, præter *Oleum tartari*, *linteum accensum*, vel *charta combusta*, *& pelvi aurichalcea imposita*, quæ relinquit sub se *liquorem oleagineum*, inungendum: & sic decolor epidermis decidit, nascente puriore. Camerar. *in histor. lini.* Vel *Saponem Venetum* tam diu coque in *aq. rosarum*, donec levis fiat, instar spongiæ, ut etiam aquæ supernatet: exiccato utere ad maculas cutis, & manûs abstergendas. Mundificat enim, & cutem lævem reddit. Rhumelinus, *in Med. Gynæcopharmac. l. 1. fol.* 4.

Ol. è Talco.

Commendatur, ad detergendas cutis quascunque maculas, *oleum è Talco calcinatum*, ab Horst. *Oper. Tom. 2. p. 502.* de quo vide etiam Sennert. *in Instit. pag. 1375.* Comparatur à Gynæcéo magnis sumptibus, quia difficillimè componitur, ex Italia. Multa quoque Schrœderus, *in Pharmac. lib. 3. fol. 357.* de *Talco* scribit: cujus *oleum* si conficere velis, oportet talcum tundere in mortario candente: aliàs operam perdes, si tota die laboraveris.

Bernhardus Penotus, *de Med. Chymic. fol. 83.* facilem docet conficiendi *olei* hujus modum sic: ℞. *Talci recenter calcinati* partem 1. *olei camphoræ* partes ij. Pone in locum calidum, ut digerantur: tunc resolvetur Talcum in pulchrum *oleum*.

Med. Cosmeticum.

Aliud *Cosmeticum* habetur apud Quercetan. *fol. 335.* ita:

℞. *Sem. papav. alb.* ℔ij.
amygd. amar.
pinear. an. ℥j.
sem. sinap. ℥ij.
spermatis ceti ℥iß.
talci ad perfectam albedinem calcinati & in alcool redacti ℥ß.

M. f. Pasta, cujus particulâ madefactâ fricentur manûs, & dein abluantur.

Hebræa

Hebræa mulier nequam, Viennæ & Pragæ, *Aquam* vendidit, ex *cerussa* & *Mercurio* simul mixtis, cum *camphora* tantillo, & *aq. simplici*, magno pretio: quâ dum Matronæ nonnullæ faciem, collum, manusque detergerent, capitis & artuum doloribus vagis correptæ, maculisque, post aliquod tempus demum, fœdis conspersæ sunt: & sic curiositatis pœnam dedêre, ob Mercurium intima penetrantem.

Psilothra, s. *pilos extirpantia*, vid. apud Sennert. Institution. Medicar. *pag. 945. 946. Libr. I. Pract. pag. 768. c. a.* & per *Corrosiva*, *c. b.* & *pag. 769.* Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 193. c. b.* ex Craton. *Epist. Medicinal. 236. 237. 245.*

Familiaris deformitas est iis, qui vino abutuntur, vel calidioris sunt temperamenti, *Faciei Rubedo*; his simplex; illis plerunq; cum pustulis conjuncta: cujus causa est sanguinis acredo, impuritas, ebullitio; qualis enim humor, talis color, faciei præsertim, quæ cutem tenuiorem habet: vocatur à Sennerto, *L. 5. Pract. fol. 142. Gutta rosacea.* Crato, *Consil. pag. 821.* remedia proponit: *victum* bene instituit: *serum lactis* dat pro Potu: *Vinum* moderatum, cum *decocto cichor.* dilutum; in fine cibationis commendat *rob. cynosbati.* Habet enim non solùm vim reprimendi humores, ut cydonites, sed & contemperat eos, & calorem renum, ne calculos generet, infringit (imò, ne coaguletur materia calculi, impedit) & est diureticum per experientiam; & ob id vulgo satis celebratum. Extra inunge *Ung. ex scrophularia cum toto*, addito *butyro Majali*: *sangvinem leporinum* noctu; manè verò *aq. fragorum*, vel *aq. è floribus verbasci.* *Metallica* sunt suspecta. Vel inunge *succum pomorum acidorum* vesperi; manè faciem ablue *emulsione melon.* & *amygd. dulc.* vel impone *ovum* integrum in *acetum* fortissimum, donec putamen mollescat, & fac cum *albumine*, & *thuris*, *mastich. cerussa*, an. ℥j. *Unguentum.* At nostri non facilè admittunt curationem, nihil, existimantes, dedecoris sibi comparari à communi multis malo: &

Faciei Rubedo.

Gutta rosacea. Cura.

Rob. Cynosbat. vires.

Externa.

Unguentum.

lo; & metuunt, ne magis facies ipsis defœdetur: vel respuunt diætæ correctionem, sine quâ inanis curatio. Führen lieber den Kupfferhandl.

Facies Pallida. Ut autem nimium *Faciei* ruborem viri sine cura perferunt; ita mulieres, Nobiles præsertim, etiam bene coloratæ & rubicundæ, nescio quid turpitudinis rusticæ inde somniantes (Wollen nicht viel Röthe haben/ wie die Baurn-Calender) *Pallorem* studiò sibi conciliant, & simul cachexiam, esu *creta*, *camphora*, *calcis lota*, *argilla*, *amyli*, & similium. Cujus *palloris* causam, in facie hominis ægrotantis, ut & in labiis, citiùs, quàm in aliis corporis partibus, apparentis, statuit Horst. *Oper. Tom. 2. p. 269.* quòd eæ partes, propter tenuitatem substantiæ, aliâs rubeant: unde in ægrotantibus formæ exterioris mutatio citiùs visui occurrat. Sed cur natura, aliàs provida, faciei teneriorem & delicatiorem cutem largita est; cùm illa semper sit nuda & obnoxia variis injuriis? An quia hîc magis decorum, quàm commodum, observavit?

Facies Florida. Non semper autem in morbosis & cachecticis pallet *facies*, sed nonnunquam *Rubet*, & *Florida* apparet. Rationem reddit Guil. Romanus, apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 394.* Nonnunquam enim, in scorbuticis, & iis, qui cachexiâ, vel sanguinis totius impuritate laborant, vel multum etiam sanguinis profuderunt, facies nihilominus floret; quia sanguinis fex ad partes ignobiliores & inferiores detruditur, relicto sereniore, tanquam flore levi, in partibus altioribus; adjuvante simul calore nativo adhuc superstite.

Scabies. Habentur multæ *Unguentorum*, ad *Scabiem* tollendam, descriptiones: vulgatissimum est ex *terebinthina sæpius lota* parte una, & *butyri non saliti* partibus duabus. Slotani, Expertissimi Medici, *Ungv.* commendat Guil. Fabric. *f. 431.*

℞. *Cortic. rad. frangulæ rec.*	*rad. scrophulariæ maj.*
rad. lapath. acuti,	*helenii*, an. ℔ß.

Incid.

Incid. & cont. dein' superaf- funde *aceti opt.* ℔j. *axung. porcinæ* ℔iij.

M. lento igne, donec axung. sit soluta: postea stent in Sole, mense integro, & tandem coq. in vase dupl. ad consi. humid. Colat. expressæ adde

styracis liquidæ ℥ij. Servetur sic usui.

Serpiginem, Germ. Zittrach / præter *salivam hominis jejuni*, exquisitè curat *sulphur tritum*, cum *aceto* ad Linimentum subactum & inunctum. Serpigo.

Porrigini & *Furfurationi* medetur *Tabacum*, quoquo modo sumptum: in cineres redactum, & facto ex ejus cineribus lixivio: vel illius decocto, caput lavando; aut fumo suffiendo. Neander, *Tabacolog. fol. 82.* Porrigo. Furfuratio.

Quòd per intempestivè adhibitum decoctum ligni Guajaci, in inani metu morbi Gallici, juvenis quidam in *Lepram* turpissimam, excalfacto nimium hepate, ductus fuerit, extat historia apud Schönborn. *fol. 159. ex Henrico ab Heer.* Ita melancholici quoque calidioris hepatis *Elephantiaci* facti sunt. Lepra.

Signa veræ Lepræ, quomodo inprimis à Tineâ distinguatur, tradit, sed valdè obscurè, Moses, *libr. Levitic. cap. 3.* Multum siquidem refert, *Lepram* bene dignoscere, ne simpliciter scabiosum, cum infamiâ, damno, & injuriâ, separemus, ipsum ad leprosos amandantes. Propterea Thema Disputationis publicæ olim à Parente opt. p. m. mihi assignatum fuit Ingolstadii, de *Lepra*; quæ *Disputatio* non nemini Argumentantium, per jocum, videbatur *scabiosa*: tractavit tamen materiam planè arduam, difficilem, &, ob allegatam causam, Medicis scitu maximè necessariam. Multa de *differentiis* Lepræ, & Elephantiasis, scribit Horst. *Oper. Tom. 2. p. 327*, ubi etiam tradit *Examen Leprosorum*. Elephantiasis. Examen Leprosor.

Quòd *Viperæ* remedium sint *Elephantiasis*, Galenus testatur. Earum *præparatio* varia circumfertur, sub Titulo; *Bezoardicum animale*. Vipera. Bezoardicum animale.

animale. Horst. *Oper. Tom.3. p.107.* de his hanc habet; ℞. *Viperas*, &, abjecto capite, intestinis, & caudâ, coque cum *hordeo*, usque dum crepat; *hordeo* pullos sagina, *pullorum carne* nutriatur leprosus, impotens, scabie maligna laborans, emaciatus, hecticus, vel cui venenum propinatum est. Item, *ibid. pag. 108. c. 4.* ℞. *Serpentes*; vel *Viperas*, in Majo & Junii principio; excluso veneno, exuvias, extrema & intestina, excepto jecore & corde, depone, lava reliquum in *vino myrrhato*, suspende ad Solem, ut siccentur: siccæ dissecentur minutim, & in cribrum indentur, supponendo *suffitum ex ligno aloes*, *styrace*, *benzoin* &c. donec perfumatæ sint bene; dein ad singulas uncias adde *ol. cinnam. caryophyl. nucis mosch.* an. gutt. iiij. Dosis ℈j. ʒj. Id. *ib.*

Scarificationis vitia.

Quòd vulnuscula per *Scarificationem* inflicta aliquando transeant in *Fœda Ulcera*, novi nihil est. Causam huic rei plerunque præbent sordidi *Balneatores*, qui scalpellis immundis utuntur. Quàm malitiosè egerit *Balneator*, scalpellum liquoribus, vel bestiolis venenatis imbuendo, legitur apud Horst. *Op. Tom.2. p. 431.*

Venæsectio quibus cavenda.

Scholæ Salernitanæ Commentator, *fol. 249.* iis non sine periculo, ait, *Venam aperiri*, qui os ventriculi nimis habent sensile, vel quibus ventriculus nimis est debilis: hi propterea facilè in deliquium animi incidunt; quibus tamen circumspectus Medicus maturè poterit providere. Propterea nunquam ferè ad *Venæsectionem* admittimus jejunos, sed præmittimus jusculum, aut ovum sorbile, cum vini haustulo.

V. S prohibentia.

Casp. Caldera ab Heredia, *in Tribunali Medico-Magico-Politico, fol.2. V.S. prohibet* tepido in corpore, seu non pro ratione calido; sanguine & spiritu corpore defraudato; seu in Febris malignitate, symptomatumque sævitiâ; seu narcotico nocte procedente exhibito.

Venarum Electio in sectione.

Vulgus maximè sollicitum est in *Eligendis Venis* aperiendis, *brachii* præsertim. Hic venam Mediam, alter Basilicam, vel

vel Cephalicam, sibi eligit. Sed non est, quòd prudens Medicus in discernendis hisce venis multum difficultatis ponat: cùm & cephalica & basilica cum media coeant, adeóque unius trunci rami sint. Quin & nimis religiosè creditur, latere sinistro malè affecto, in eodem aperiendam esse venam; & contrà. Nam in *Lienis*, v. g. *Affectibus* venæ brachii sinistri nullam habent prærogativam: cùm ex Anatomicis pateat, nullum esse ramum venarum sinistri brachii, qui magis cum *liene* conveniat, quàm venæ dextri brachii: utpote cùm omnes venæ superiores in *liene* beneficio jecoris jungantur, quatenus eædem à vena cava ascendente oriuntur; quæ tamen venâ portæ mediante tantùm lienem attingit: ita, ut, si sanguinem circa lienem abundantem evacuare velimus, non possimus aliter, quàm mediante hepate. Sic referente Horst. *Oper. Tom. 1. p. 339. & Tom. 2. pag. 381.* in Lienis Affectibus.

Mirantur quidem Ægri & Chirurgi, non similes omnibus datas esse venarum divaricationes, sive distributiones. Verùm Sanctor. Sanctorius, *de Medic. Errorib. ap. Schönbornium, in Manuali, fol. 177.* non solùm non miratur, sed, inter quamplurimos, ait, homines vix duos æquali correspondentique venarum in ramos distributione inveniri. *Ibidem* irridet eos, qui prærogativam concedunt salvatellæ in affectibus lienis. Aliter autem res se habet in *Pleuridite*, ubi venæ circa costas turgent; atque sic id in V. S. observandum, quod suo loco admonuimus. Pleuritis.

De *electione Venarum* aperiendarum alterutrius lateris, Auctor Schol. Salernit. *f. 266. Indicimus*, ait, *in affectibus hepatis salvatellam manûs dextræ; in lienis, manûs sinistræ. Quare autem hoc fiat, ratione ostendere non est, sed experientiâ licet.* Vid. Sennert. *Paralipomen. ad Institution. pag. 89. Quæst. 24.* ex professo: *An Salvatellæ sectio eam, quæ vulgo jactatur, utilitatem habeat.* Venarum propagines.

De *Vasculis*, in quæ sangvis per Venæsectionem sit recipiendus, habet River. *fol. 326.* mittendum esse sangvinem in vascula

ſcula anguſtâ ac profunda. Si enim in ampliora fluxerit, quia ſtatim refrigeratur & diffluit, partes heterogeneæ, & conſiſtentia non diſcerni poſſunt. Et hæc eſt ratio, quòd in hæmorrhagia ſangvis rubicundior apparet, quàm in Ven.Sect. qui ibi, niſi multo ſero ſit dilutus, guttatim ſaltem effluit; hîc verò confertim.

Prudenter quoque monet Idem, *fol. 544. l. 17.* ſi iteranda ſit V.S. & in prima ſanguis apparuerit impurus, repetendam tunc eſſe in venâ jam apertâ; non in ullâ aliâ: contra verò, ſi purus exiit ſangvis, & neceſſaria videatur apertionis reiteratio, aliam tundendam eſſe venam. Ratio facilis eſt, quam ille ideò ſubticet. Supponit enim prudens Medicus, ex illâ vena, unde impurior ſangvis jam extractus eſt, impuritatis nihil, vel parum adhuc ſupereſſe; adeoque quærendum eſſe alium evacuationis locum.

Tranſpiratio. Excrementa ponderata.

Principes, de valetudine tuendâ curioſi & ſoliciti, imperant aliquando ſuis Medicis non ſolùm, ut quotidiana inſpiciant *Excrementa alvi*, & *urinæ*, ſed & ut eadem *ponderent*, ut ſciant, quantum nutrimento debeatur, quantum excremento. De hoc ſcripſit Sanct. Sanctorius, apud Sennertum, *de Febr. f. 126.* & aphoriſmos compoſuit aliquot, in quibus tranſpirationi occultæ majus adſcribit pondus, quàm reliquis viſibilibus excrementis. *Sect. 1. aph. 4. ſi cibus*, inquit, *& potus unius diei ſit ponderis octo librarum, tranſpiratio inſenſibilis aſcendere ſolet ad quinque libras circiter. Eâdem ſect. aph. 58. ſpatio*, ait, *unius noctis ſexdecim unciæ lotii, plùs minúsve, quatuor cunctorum excrementorum per alvum, quadraginta & ultra per occultam tranſpirationem, evacuari utplurimùm ſolent.* Hinc patet, quàm neceſſaria ſit animali, ad conſervandam ſanitatem, tranſpiratio: absque hac enim humores intus contenti putreſcunt, & corpus gravatur: hinc etiam laſſitudo ſpontanea morborum plurimorum prænuncia, juxta Hippocratem.

Tranſpirationis neceſſitas.

Quam-

Quamvis enim Sanctorii computum, de magno pondere transpirati alimenti, corrigat Deusingius, in *libro suo de motu Cordis, sect. 2. fol. 46.* Ego tamen judico, Sanctorii sententiam esse utcunque veram: & ob eandem impeditam transpirationem multi, cùm sani exeunt, ægri domum revertuntur. Tunc non ineptè ad *Sudorifera* confugiunt: v.g. ad *rob ebuli, sambuci, cornu cervi, pulv. card. bened.* Sic enim poros, subitò per ambientem aërem constipatos, vel ob conceptam nauseam, horrorem, timorem, spiritibus ad interiora recurrentibus, constrictos, reserant, & transpirationem occultam promovent, atque à multis morbis sese vindicant. Si tale quid insperatò contingit, putat imperitum vulgus, causæ morbificæ nescium, se vel *Fascinatum* esse, vel transiisse per impura loca, vel nescio quâ mala sorte afflictum. **Sie haben ein Ungesegnetes: Seynd über etwas gangen/ oder beschrien worden.** Sudorifera. Fascinatio.

Simile quid ineptiarum somniant in Austria, de *morbo*, quem vocant **das Fueßber.** Hunc ego arbitror ex eadem causa *impeditæ transpirationis* provenire. Nam qui creduntur eo infecti, in statu neutro sunt, languent, parum appetunt, aliquando, febricitantium instar, modò frigent, modò calent, capite leviter dolent, inquietè dormiunt, &c. omnia morbi gravioris metuendi signa. Quamvis non desint, qui etiam iis persuadent similem morbum, qui, affectibus chronicis decumbentes, multis sine fructu remediis sunt usi, vel abusi, quibus scil. vel Medicorum pertæsis, vel ab ipsis desertis, nullum aliud morbi & medicamenti genus superesse videtur. Tunc decoquunt *herbam*, quam Morbi nomine, **das Fueßberkraut**/ vocant: est *Sideritis altera* Camerarii, Germ. **Gliedkraut.** Hoc *decocto* lavant & fricant totum corpus, à capite ad calcem, additis nonnullis *superstitionibus.* Sordes abstersas pro causa habent morbifica, & postquam eas, cum decocto, ad vias publicas superstitiosè effuderint, sibi ita restitui videntur. Melioris autem Fueßber Morbus. Morbi sudati signa. Fueßber-kraut. Glied-kraut.

ſtatûs, ſi is ſequitur, cauſa nulla eſt alia, quàm pororum cutis reſeratio; unde *tranſpiratio facilior* ſequitur. Mirum autem in modum herbæ hujus decoctum ſordes cutis abſtergit, & poros aperit: quod cuilibet eſt experiri. Quotusquisque enim decoctum ejus volæ manûs, etiam recenter lotæ, & mundæ, indiderit, & vel parum digito volam fricuerit, ſtatim ſtrigmenta cutis copiosè eliciet. Sic aliquando medicamenta vulgaria, etiamſi cum ſuperſtitionibus ineptiſſimis adhibeantur, nihilominus naturaliter juvare poſſunt.

Etſi verò perſpiratio multum adjuvâri poſſit per ſudorem: perſpiratio tamen dormientis, quæ in multo ſudore fit, plenior non eſt quacunque inſenſibili perſpiratione, ſine ſudore: ut ait Sanctorius, *ſect. 4. aph. 3.* Ratio eſt, quia, ubi ſudor, ibi materia morbifica: ubi hæc, ibi magna perſpirationis neceſſitas; minor virtus. Et quid, ait Sanctor. *in libr. de Medic. Statica ſect. 1. aph. 61. fol. 17.* Noſtratum plurimi, in omni ægritudine, ſolùm per alvum, vel urinam evacuandum ſibi proponunt, & de inſenſibili perſpiratione vix cogitant; cùm pluribus (*aphor. præcedente*) unicâ die naturali, *per inſenſibilem perſpirationem* tantum evacuetur, quantum per alvum quindecim dierum curſu? Hinc nota, quàm neceſſaria, in febribus præſertim, ſit commotio ſudoris, per quam compenſatur id brevi temporis ſpatio, quod in perſpiratione longo neglectum eſt. *Aphor. ſeq.* inſinuat, magnam eſſe Medico Principum neceſſitatem, ſcire, quantum Princeps tranſpiret. Medicus enim, ait, qui præeſt rationi victûs Principum, ſi neſciat, quantum, & quando, quotidiè perſpiret, illos decipit, & non medetur; &, ſi juvet, caſu juvat. Sed quis eſt ille Princeps, qui perſpirationis tempus, & quantitatem, explorare concedat Medico? Inter Germanos certè nullus; inter exteros ſexcentos, vix unicus.

Idem,

Idem, *aphor. 94.* Qui plus, *ait*, mejunt, quàm bibunt, parum, vel nihil, perspirant: & hoc quidem sine jacturâ valetudinis: quod sæpius observare licet in febribus. In statu tamen periculoso constituti videntur; siquidem levi de causâ urina posset subsistere: & sic corpus dupliciter aggravari. *Aph. seq.* In febrib. *inquit*, intermittentibus perspiratio insensibilis prohibetur; quia humor peccans est in ambitu corporis.

Biliosis sudores esse difficiles, propter nimiam dissipationem caloris: habet Jonston. *fol. 218.*

Rarissimum quidem est excreti mutati symptoma, *Sudor Sangvinis:* non tamen miraculosum semper. Si naturaliter fiat, requiruntur tria; ut colligere est ex Sennert. *in Epist. Inst. fol. 245.* sanguinis tenuitas, cutis ratis & laxitas, retentricis denique facultatis debilitas. Exemplum habet Horst. *Op. Tom. 2. p. 279.* Vid. & *Tom. 3. p. 298. in Additament.* Sanguinis sudor.

Quòd *Sudor sangvineus* alicui ex *vino rubro* bibito possit prodire, testatur Phil. Jac. Sachs, *in sua Ampelographia, fol. 395.* Imò quomodo etiam ex aëre liquor ruber, sanguini analogus, defluere possit, pulchrè demonstrat Neucranz, *Medic. de Purpura, fol. 122.* Sanguinis pluvia.

Quibus arida & dura cutis extenditur, sine sudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum sudore. Hipp. l. 5. aph. 71.

Quibus sanguinem è venis detrahere convenit, iis vere secanda est vena. l. 7. aph. 53.

Frigidi sudores, cum febre quidem acuta mortem; cum mitiore verò morbi longitudinem significant. l. 4. aph. 37.

Ubi in corpore sudor, ibi morbus. l. 4. aph. 38.

Sudor multus, citra manifestam causam ortus, copiosiore alimento corpus uti, significat. Quòd si nutrimentum haud assumenti id accidat, vacuatione indigere significat. l. 4. aph. 41.

Sudor


Sudor multus frigidus calidúsve, semper fluens, frigidus graviorem; calidus minorem morbum significat. l. 4. aph. 42.

A sudore horror, non bonum. l. 7. aph. 4.

Sudor multus calidus, aut frigidus, semper fluens, humiditatem robusto quidem supernè, imbecilli verò infernè, vacuandam esse significat. l. 7. aph. 61.



LIBER



LIBER VI.

De Febribus.

CAPUT I.

De Febribus in genere.

DOctissimus Campegius, apud Forest. *l.3. de Febr. fol. 117.* nimis arroganter dictum putat à Galeno, quòd potuerit primo statim accessu internoscere *Febrium intermittentium* periodos ex *Pulsu.* Congenitum enim putat Græcis & Asianis, in jactatione esse liberales, & in historiis mendaces. Huic consentit Celsus, *l.3. cap.12.* ubi suadet *Vomitoria*, in ipsa *Febris intermittentis* accessione prima & secunda: *sæpe enim*, inquit, *sic discutitur, jamq́, quod genus febris sit, scire licet.* Per *Circuitûs* scil. & *Vomitûs* frequentatos, febris speciem dignoscit Vir Doctissimus, & jure merito à non nemine *Romanus Hippocrates* dictus: cujus scripta Hieron. Fabricius ab Aquapendent. rogatus à suis discipulis, ut secreta quædam in re Medica ipsis revelaret, sic commendasse fertur:

Pulsus febrium intermittent.

Vomitoria.

Celsi encomium.

——————— *Vos exemplaria Celsi*
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Simile Jacob. Primirosius, *de vulgi errorib. libr.1. cap.12. p.35.* narrat de Capivaccio; quòd scilicet & hic, à Germanis rogatus, ut sibi sua Secreta communicaret, iis appositè responderit: *Legite meam methodum, & habebitis mea Secreta.*

Febrium dignotio.

Quia ergo *Febrium dignotio*, cùm primò vocatus fuerit Medicus, difficultate non caret; in *Prognostico* & *Præscriptione* cautus sit, oportet; ne, dum intensè febricitantem visitat, febrim continuam esse, statim arbitretur, & ideo ad venæsectionem properet; & sic, in ipso fortè paroxysmo febris tertianæ, venam, cum periculo ægrotantis, virium scil. jacturâ, & naturæ cursûs impedimento, aperiat: unde ex intermittente continuam facere poterit. Propterea melius est, aliquot horis expectare, & experiri, utrum non perfecta fiat caloris remissio, febribus intermittentibus propria.

Febris essentia.

Disputat Gverner. Rolfinccius, *de febrib. cap.6. fol. 28.* an *siccitas* constituat *essentiam febris* ita, ut caliditàs. Et quamvis Negativam videatur evincere; aliud tamen nihil concludit, quàm caliditatem potiorem constituere febris essentiam, quàm siccitatem: quia calor est qualitas activa, siccitaś verò passiva. Quia verò manifestiùs calor actiones lædit, quàm siccitas; potior inde essentiæ pars desumitur. Interim tamen non negandum, quòd actiones etiam à siccitate lædi possint. Hoc apparet in difficultate sudoris, alvi duritie, lingvæ ariditate, totius corporis squalore &c. Ita major dolor minorem quidem obscurat, sed non ita planè tollit, quin obscurior dolor morbum indicare queat.

Febris intermittens.

Quòd autem dentur Febres, sed perquàm raro, quarum paroxysmi statim à calore incipiunt, & cum frigore, vel rigore, tandem solvuntur, superveniente etiam sudore; ipse ego observavi semel. Et confirmatur res à Primirosio, *de febrib. f.98. ex Hugon. Senensi.* Harum verò febrium materia putrescebat intra venas, antequam expelleretur. Sex horis scil. durabat calor, antequam rigor succedebat. Hoc fit inde, quia natura materiam, quam agitabat, ob crassitiem expellere non poterat: unde putrefiebat in venis, ita, ut paroxysmi pars prima penderet à materiâ in venis minoribus contentâ; (alias fecisset con-

tinuam) sequens autem pars à materiâ extra venas. Hinc rigor post calorem.

Inter *Causas* Febrium recenset Sennert. *l. 1. de Febr. fol. 17. Transpirationem impeditam*; & concludit, illam quidem solam sufficere ad febrim inducendam; alias autem causas febrim vix inducere posse, absque hac. Ergo magis tuta cura febrium est, quæ incipit à *Sudoriferis*, quàm à purgatione: quod probè norunt Bavari; ideoque in qualibet alteratione, etiam febri saltem simili, exhibent *pulver. carduib. rob. cydonior.* cum C. C. ad sudorem movendum; & sic plurimis præcavent morbum graviorem. Transpiratio occulta. Sudorifera.

Ubi verò corpus est plethoricum, quod utique indiget multâ transpiratione, & sequitur *Febris synocha non putris*, quæ proximè succedit febri ephemeræ plurium dierum, non solùm scil. spiritibus incensis, sed & tenuiore sanguine, sine tamen putredine; tunc, præter *Sudorifera*, *Venam aperiendam* esse, insinuat Idem, *loc. cit. fol. 40.* Febris synocha non putris. Venæsectio

Ob eandem Transpirationem impeditam, & cutis densitatem, in febribus aliquando *corpus non imminuitur*: & tales rarò evadunt, vel tardissimè convalescunt: ut habet Sennert. *de Feb. l. 2. fol. 125.* Hippocrates quoque, *aph. 28. l. 2.* Corpus eorum, qui non omnino leviter febricitant, in eodem consistere, & nihil concedere, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum esse, ait: illud enim morbi diuturnitatem; hoc imbecillitatem significat. Corporis habitus integer. Sich nit verfallen.

Idem Sennertus, *loc. cit. fol. 148.* & seq. præter febres Ephemeras, Continuas, Primarias, vel Symptomaticas & Intermittentes, certum quoque *Febrium* genus admittit, quod provenit v. gr. à *Lacte corrupto in ventriculo Infantium*, *Vermibus*, & vermium putredinali seminario, ut Practici notant. Exemplum fuit in filiæ Dominæ Bizoniæ, puellâ annorum 14. ad quam cùm vocatus deprehenderem pulsum celerem, fortem, calorem ad tactum valde intensum, Ægram anhelantem, Febrium genus quartum.

tem, circa præcordia anxiam; aliter judicare non potui, quàm febrim adesse continuam. Præscripto itaque sudorifero noctu, manè redii, & offendi ipsam in antiquo statu. Itaque, pro ratione methodi, aperui venam, & paulò pòst exhibui alterans & confortans ex *Syr. Corallior. Rub. Id. acetos. Citri*, cum *aq. acetosæ, borrag. spir. vitriol.* Sic statim assumpto pharmaco rejecit vermem spithamæ longitudine, oblongum, ex rubro candicantem, & circulis quibusdam interstinctum. Tale quid, & quidem post sumptum purgans, in principio febris, expertus sum etiam Frisingæ, in Fabri cujusdam servo. Utrobique statim pòst remiserunt omnia symptomata; non quòd seminarium putredinale in priori evacuatum fuerit, sed quia author humorum commotorum, & hinc incalescentium, vermis, abscesserit. In Fabro autem potuit per purgationem putredo evacuata simul fuisse. Simile quid legitur ap. Hipp. *in Epidemiis* de Thersandri uxore, quæ laborabat febre acuta, &, postquàm lumbricum evomuit, liberata est. Hinc rectè Riverius pro signo vermium febrim statuit, *cap. de lumbric.*

Febris quoque à *Sangvine concreto, extra vasa putrescente*, exemplum tradit Zechius, ap. River. *tom. 2. Pr. fol. 531.* de Nobilissimo duorum annorum infante, propter sanguinem, à ligamento linguæ separato inadvertenter in ventriculum defluentem, ibique putredine sua febrim, & pessima symptomata concitantem; donec ille, argutâ conjecturâ, ad vomitorium ex oleo amygdal. dulcium, & clysterem devenit; ubi statim sanguis concretus, pure permixtus, supra & infra excretus, remissionem dedit omnium symptomatum. Hinc rectè monent, *ex Hippocr.* Medici, ad ea, quæ in principio morbi contigerunt, diligentissimam requiri indagationem. Præterea etiam talium febrium causa esse potest sanguis impurior, in venis mesaraicis, non in vena cava, putrescens; qualem comitatur aliquando hydrops. Addo ego illam Febrim, quæ ex *Pituita deglutitâ*,

glutitâ, in ventriculo putrescente, oritur: qualem communiter dicimus, ein Magenfieber. Tales autem febres *lentè* progrediuntur; quia, cùm longiùs à corde earum materia absit, tardiores & pauciores fuligines ad illud mittunt: tam *lentè* quidem, ut, quamvis non continuè soleant Ægros affligere, hecticas tamen aliquando mentiantur: Germanis dicuntur die Sochende Fieber. Exacerbantur etiam nonnunquam ob errorem externum, vel causam morbificam unde unde auctam, vel ob naturam morbi pertæsam, exacerbatam, & noxium expellere conantem: certas tamen periodos non servant. Talem ferè *febrim* passus est, Ann. 1649. Vir Religiosus & Doctissimus Monasterii celebris Garstensis, propè Styram, Sup. Austr. qui, diu in statu neutro constitutus, jam post octavum diem, jam post decimum quartum, jam post trigesimum, & ultra, unicum expertus est paroxysmum, tertianæ febri similem: & hanc febrim Medicus quidam pronunciavit lethalem; non recordatus scil. *aph. 41. l. 4. Hipp. Febres quoquomodo intermiserint, periculum abesse significant.* Plinius quoque, *l. 7. cap. 51. Febris* alicujus meminit, *singulis annis semel tantùm*, & quidem *Natali die*, Antipatrem Sidonium, Poetam, affligentis; quâ quidem consumptus est, sed satis longâ senectâ.

Magen-Fieber.

Febris lenta.

Sochende Fieber.

Dantur interdum *Febres* tam *inordinatæ*, & *inæqualis accessiones*, ut modò calor, modò frigus, unicâ die ter quaterve reciprocent. Talium febrium *causa* allegatur à Jonston. *libr. 7. fol. 309.* quando humor crassus, & qui paucus in vasis majoribus esse videbatur, ex rarefactione, per accensionem factâ, in extremis vasis, ad quæ à tenui deductus est, funditur. Inde enim fieri, ut calor rigore, & rigor calore, interpoletur. Exemplum habui in Illustrissimâ Comitis Vorgatschin, quæ, trium ferè mentium gravida, in talem febrim incidit; at quam Jonstonus, *fol. 313.* videtur ad *coalterna* febris speciem referre: à me tamen unicâ hac *Potione*, per diem decies quinquies operatâ, curata est, mens. August. 1658. in novâ Arce Neuhäusel.

Febres inordinatæ: interpolatæ.

℞. *Fol. sen. el.* ℥ß. *cristall. tartar.* ℈ij.
mechoac. ʒß. *sem. fœnicul.* ℈j.

Infund. in *decoct. prunor.* q.s. & manè Coq. unicâ ebullitione. Colatura expressa detur calidè.

Febres Particulares.

Helmontius, & Grembs, acerrimus illius propugnator, proprio ingenio comminiscuntur *Febres particulares*: imò docent (sed ita obscurè, ut, quomodo velint suam probare; vel explicare sententiam, nemo intelligat) cor necessariò in febribus non affici, sed dari febres partium externarum, quando illarum Archeus, id est, Spiritus indignatur. Ridiculè sanè! quasi indignatio, affectus scil. animi impatientis, data esset spiritibus, & non animæ ratiocinanti: adeoque ita impropriè & obscurè loquuntur, ut apud vulgum aliquid sublime videantur docuisse. Rectè autem uterque refutatur à Rolfinc. *l. de Febr. cap.* 35. *fol.* 129. Imò non nostro demum, sed & Galeni jam tempore dati sunt scientiarum Novatores inutiles & arrogantes. Apud eundem enim Rolfinccium legitur, *fol.* 150. Galenum distinxisse genus Medicorum in Empiricos, & Sapientes, sic dictos, quia Sapientiæ nomen sibi ipsis vendicarunt: quibus cùm accesserit arrogantia, ex ipsis nonnulli ad tantam insaniam ac temeritatem pervenerunt, ut neque ea, quæ omnes homines, experientiâ magistrâ, febrium causas esse didicerunt, velint ipsi concedere. Ita Helmontius, & ejus Asseclæ, plurima ponunt, vel saltem aliquid probabilitatis habentia, pro certis demonstrationibus, quibus doctrinam aliorum cupiunt evertere, solo singularitatis, & ingenii ostentandi studio & pruritu.

Czemer: sive Nausea. Causa. Signa. Diagnostica.

In Ungaria singulare etiam morbi genus est, ab incolis *Czemer*, sive *Nausea*, dictum. Cujus causam externam statuunt conceptam nauseam à cibo potúve, nimis avidè assumpto. Hanc sequitur lassitudo totius, capitis dolor, frigoris & caloris reciprocatio, tumores, sive tophi duri, in nucha, carpo manuum externo, & sub utroque genu. Hoc malum, ajunt, interficere

ficere posse hominem intra triduum, nisi remedio ipsis noto & consveto succurratur. Quemcunque igitur dicta symptomata molestant, eum crudeliter cum *allio* & *aceto* fricant, ubi *Tophi* apparent, quousque dissoluti fuerint. Tunc violentâ hac frictione fatigatum Ægrum pro *sudore* ad lectum deponunt. Ad quale autem morbi genus genus hæc symptomata referenda sint, ipsis quoque Ungaris non constat. Existimarem, non ineptè reduci posse ad *quartum* illud *genus Febrium*, de quo paulò antè: ex corrupto scil. cibo in ventriculo, accedente simul subitaneâ pororum constipatione. *Tophi* autem illi apparentes, &, si verum est, mortis, absque maturo auxilio, periculum, singularem subesse *malignitatem*, arguunt; ut in Plica Polonica; quæ etiam uni certæ genti competit, & *endemia* est. Sennertus, *l. 3. Pract. f. 768.* similem frictionem in *Tympanitide* proponit, ubi ventrem vult *decocto allii*, cum *vino*, vel ipso *allii succo*, inungi. Aliàs quoque non Hungaris solùm, sed & multis Gallorum populis, familiarem esse *allii* usum, testatur Jonston. *in Idea Medicin. Pract. libr. 1. fol. 17.* ad toleranda quippe frigora aquarum, ad quarum pravitatem corrigendam exquisitum sit remedium. Et de *Allii* ad calorem roborandum vi vid. Sennert. *Paralipomen. ad Institut. cap. 10. pag. 61.* Add. Henric. ab Heer, *Obs. 1. §. 14.*

Cura per Allium.

Febris maligna.

Tympanites.

Quòd *Rigor*, vel *Horror*, vel *Frigus* (hæc tria enim secundum magis & minus tantùm differunt) in febrib. proveniat, cutisq; concutiatur, quando panniculus carnosus, qui cuticulæ, cuti, & adipi, substernitur, ab humoribus internis, biliosis & acribus vellicatur, demonstrat Andr. Laurent. *in Anat. 216.* Sennertus quoque, etiam contra Galenum, pulchrè discurrit de *Rigoris causa*, & quâ ratione ille accidat: quem vide *L. 1. Pract. fol. 483.* Hûc spectat *aph. 69. lib. 5. Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorsum ad caput: viris verò parte corporis posteriore magis, quàm anteriore; velut è cubitis & femoribus, quod & indicat*

Rigor febrilis, unde.

cutis

cutis raritas, quàm ipsum ostendit pilus: Multi Viri docti (quos inter etiam est Helmontius) *Rigore*, sive *Horrore* febrili decepti, statuere non dubitant, febrim non esse intemperiem calidam, sed frigidam: uti videre est apud Rolfincc. *de febrib. cap.13 f.54.* (vid. & *f. 86.*) ubi dicit, *frigus, rigorem*, vel *horrorem*, febris essentiam non constituere, sed hæc fieri per accidens, quatenus calor febrilis intùs in fieri accensionis jam est; hinc corporis spiritûs, & calorem, ad cor, quasi ad arcem, confugere; exteriores verò partes, suis spiritibus & calore destitutas, necessariò frigere: quo frigore discusso, denuò calor ad ambitum corporis recurrat: per hunc autem motum reciprocum, velut collisionem, inflammari membra. Localis enim motus calefacit. Jacob. Primiros. etiam, *lib. de vulg. error. l. 2. cap. 30.* conatur probare, non omnes febres esse affectûs calidos. Ex rigore, calorem præcedente, non bene & securè judicari posse de specie febris; sicut nec ex pulsu, uti supra, *in principio hujus capitis*, monitum, rectè sentit Rolfinccius, *cap. 60. f. 204.* ubi, *fol. seq.* rigoris causam ponit in circulatione sanguinis ex parte impeditâ; sed rem non explicat, quomodo sc. illud impedimentum contingat, & sangvis ad interiora cogatur recedere.

Rigor in mictione. Etiam cùm mingimus, aliquando concutimur, & sentimus *rigorem:* cujus causa nulla alia à Fernelio, apud Primiros. *de febr. fol. 18.* allegatur, quàm consensus partium externarum cum internis.

Oscitatio: Pandiculatio. Oscitatio & Pandiculatio, ut colligitur ex Sanct. Sanctor. *l. 4. aph. 32. 33. 34.* significant, si à somno videantur, corpus maximè perspirare: quasi ille motus materiam, circa extrema corporis hærentem, & perspirationi destinatam, atque jam sufficienter quasi attenuatam, exprimeret. Ergo, quod vulgus credit, à nimio humido flatuoso excremento, glandulas colli & oris, musculorumque spatia occupante, oscitatio non provenit, nisi velis illum humorem cum perspirationis materia confundere.

Multò

Multò verò minùs tales motûs significant in paroxysmis caloris concentrationem : quod ex prædictis facilè colligitur, & ex *aph.36.* patet. Hinc causa etiam rigoris pulchrè deducitur. Exhalationum quippe copia, in principio febris, post constipatos poros, ad cutim tendens, exitum quærit; in transitu verò membranas, imprimis panniculum carnosum, vellicat : hinc molesta sensatio, Rigor.

Diligenter in *Causas morborum externas*, & *evidentes*, inquirendum Medico, svadet Frambesarius, *in Can. & Cons. f. 18.* ex Riolano. V. g. Si ex inedia, vigiliis, Venere nimia quis febricitet, & Medicus vocatus nihil horum perpendat aut sciat, statimq; venæsectionem, & fortè etiam purgationem, adhibeat, jugulabit ægrum, qui refici postulabat, non ampliùs evacuari. In summo febris impetu sanguinem mittere, est ægrum jugulare, ait Celsus, ap. Rolfincc. *de febr. f. 269.* Sed hoc intelligendum puto de Paroxysmis intermittentium. Causæ morborum externæ. Medici prudentia.

Utrum die Paroxysmi medicamentum purgans exhibendum sit, disputant Scholastici. Ego subscribo opinioni Petri Monavii, apud Crat. *l. 2. Cons. f. 417. Si*, inquit, *in febribus intermittentibus quibuscunque, apparente aliquâ, etiam non perfectâ, in urinis, coctione, Ægro ipso die paroxysmi medicamentum purgans dederis, ita, ut effectum suum ante paroxysmi invasionē compleat (horis scil. quatuor, aut quinq., antequam paroxysmū adventurū putas) videbis, febrim post illū paroxysmum nō ampliùs reverti, sed prorsus tolli, quasi incantatione quadam. Probavi jam sæpius, & in pluribus semper eventus respondit. In tertianis post tertium aut quartū paroxysmum hoc feci; in quotidianis tardiùs; in quartanis tardissimè, ac vix ante tricesimum diem.* Purgatio in die paroxysmi.

Signa autem, aliquam in *Urinis coctionem* demonstrantia, sunt: quando urinæ turbantur, & crassius sedimentum deponunt; non ampliùs sunt tam tenues, ut in principio, neque sic intensè rubent. Simpliciter tamen in febribus urina turbida Medicum de bono prognostico certum facere non debet, præsertim in continuis & malignis; ubi tales sunt longo tempore, sine imminu- Signa. Urinæ cocta.

minutione morbi. Nam tunc malam dispositionem, vitiosos humores generantem, & humorum fervorem & cruditatem adhuc perseverare significat; secus se res habet in calculo. In *intermittentibus* vero, vel circa diem criticum, urinæ *turbidæ*, crassæ, perturbatæ, semper bonæ. Sennert. *de Febr. libr. 2. cap. 1. fol. 59.* & *in Epitom. Institution. fol. 419.*

Turbidæ.

Venæsectio. Horst. *Oper. Tom. 3. p. 159.* eo tempore *Venæsectionem* commendat, quo febris minùs affligit.

Sanorum similis. In paroxysmis febrilibus *Urina* missa plerunq; *Sanis* videtur *similis*. Nam tunc natura cum peccante materia effervescente pugnat, & nihil ad vesicam segregat; intermittente verò die natura minùs à causa morbifica lacessitur, &, postquam victoriam obtinuit, victos humores ad loca excretioni destinata ablegat; & tunc urina *Putredinis* indicia satis evidentia exhibet.

Prognosticum Turbidæ non residentis. *Turbidæ Urinæ non residentes*, siquidem vires constant, longum fere morbum arguunt: si earum imbecillitas adsit, ægri mortem denotant; juxta Sennert. *in Comp. Instit. f. 419.*

Rubræ. *Rubræ* apparent urinæ *in Febribus*, bile multa tinctæ. Etiam videntur *Rubræ citra febrim*, ubi per imbecillitatem jecoris, aut venarum, serum, aut rubra sanies, unâ cum urina emittitur: juxta Horstium.

Inter alia signa febris tertian. exquisitæ, recensetur & hoc à Jonston. *l. 7. fol. 332. 307.* quòd urina sit *Subrussa* & *Sufflava*, consistentiæ mediocris; nebulam quandoque albam, vel enæorema, circuitu primo exhibens: ac tum ultra quartum paroxysmum febrem non protendi.

Purgationis tempus. Sennert. *l. 2. Pract. f. 106.* ex Tralliano & Galeno permittit, urgente necessitate, *Purgationem* exhiberi *vesperi*: etiamsi horæ matutinæ aliàs ad hoc opus sint destinatæ; in febribus præsertim, quarum paroxysmi iisdem horis Ægrum affligunt. Idem, *paulò pòst*, conveniens esse, ait, *sumptâ purgatione*, horis duabus vel tribus, in febribus, propinare *haustum seri lactis*, refrigerationis & abstersionis gratiâ, loco jusculi.

Serum lactis.

Contra

Contra rectè perstringit sententiam Medicorum Neapolitanorum, & Messaniensium in Siciliâ, Rolfincc. *de febrib f.294.* quâ sacrosanctè asseritur & observatur *dies quarta* in acutis, pro *purgatione*. Quia enim in talibus motus celer est, posset crisis in quartum incidere. Imò, meo quidem judicio, quicquid in hisce 4. primis diebus non fit, actum est in reliquis.

Joubertus, apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 440.* in quæstionem trahit: *utrum humores in venis possint putrescere*; adeóque, utrum dentur febres Putridæ: exardescere enim credit, & non putrescere. Respondet Horst. omnimodam humorum putrefactionem concedi non posse in febribus; aliâs hominem non victurum: sed principium putredinis. Opinionem Horstii confirmat Primirosius, *de Febrib. f. 80.* homine scil. superstite, humores putridos universim esse non posse. Non videtur, inquit, vitam animalis eò usque produci, dum absoluta putredo fiat; sed, mortem prævenire, necesse esse. Dicendum itaque, febres oriri ex *putrescentibus* humoribus, *non* verò *putridis*: vel ita saltem *putridis*, ut ad antiquam crasin adhuc reduci possint, si aliâs sint febres curabiles. Putredo humorum an detur.

In febribus *Ventriculi* ratio & cura singularis est habenda: debilitatur enim is aliquando supra modum, ut inde nata cruditas novam præbeat febri materiam. Tunc utilissimum est, Sennert. teste, *Tract. de febr. fol. 284.* bis in septimana id, quod crudum est, ex alimento, in ventriculo & primis viis, *Vomitu* evacuare: quo remedio pertinacissimas febres longè feliciùs, quàm ullo alio remedio, tolli, omnes Medici consentiunt: nihil obstante, quòd lien quartanæ; hepar tertianæ febris sedes esse credatur. Nam & sic vicina ipsis materia evacuatur, ipsáque viscera à cacochymia liberantur. Hinc fit, quòd vulgus febres putridas aliquando curet assumptione *spir. vini, piperis*, & *seminis sinapi*: quæ omnia, etsi calori febrili fomentum addere videantur; ventriculum tamen confortant, cruditatesque absumunt, & sic causam antecedentem tollunt. Ventriculus in febribus. Vomitûs præstantia. Febrium cura vulgaris.

Febris quotidiana. In febre *quotidianâ*, ad pituitæ incisionem, commendat Jonston. *l. 7. fol. 325. spirit. nitri* in *aq. juniperi.*

Appetitus. Pari ratione *cibus avidè appetitus*, etsi contrarius videatur sanitati; Ægro tamen concessus non solùm nihil obest, sed & febrim pellit, & appetitum dejectum excitat; ventriculo scil. ipsum avidè amplectente, & simul ad cruditatem concoquendam impulso.

Diæta. Propterea Medicus, in præscribendâ diæta, & medicamentis, etiam non debet esse nimis strictus & pertinax, sed aliquando connivere aliquid; modò non manifestè sciat, illud nociturum, juxta Hippocratis *aph. 38. l. 2. Cibus ac potus paulò deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus, est præferendus.* In illos, qui solis, ex decocto carnium, in quo vitellum duorum ovorum fuerit dissolutum, decies etiam in die & nocte sumptis jusculis, curare se volunt: & in Medicos, qui talia admittunt, justè invehitur Drexelius, de Jejunio, *fol. 293.*

Potus in febribus. Sic malè quoque faciunt ii, qui febricitantibus, in summo calore, omnem *Potum* abstrahunt, & ipsos aliquando ita torquent, ut vel prostratis viribus morbum sustinere non valeant, vel, ob nimium calorem febrilem, humidam carnium substantiam depascentem, Ægrum à febri putrida deducant ad hecticam. Nollem autem ad satietatem omnino repleri Ægrum, sed quantum ad sitim mediocriter tollendam, & vires conservandas, attinet, eousque refici. Si verò is sit juvenis, ad biliosum temperamentum proclivis, antea purgatus, vel aliàs non valdè cacochymicus, si ad sudorem pronus (licet aliàs biliosis sunt difficiles sudores: propter nimiam dissipationem caloris, secundum Jonston *fol. 218.*) si tempus sit vernum vel æstivum: tunc in paroxysmo febris *Tertianæ* (potissimùm *exquisitæ*) tertio, vel quarto, cùm summus calor nonnihil decrescere animadvertitur, licebit *ad satietatem bibere*, Riverio etiam consentiente, *lib. 17. fol. 563.* vel *frigidam* cum *spir. vitriol.* vel, ex Conf.

Aq. frigida.

Horstii,

Horstii, *Oper. Tom. 2. p. 6. Obs. 12. & 13.* ipsas etiam *Acidulas*, sudore tamen paulò pòst imperato. Sic, præter alios plures, Straubingæ Illustrissimum Comitem de Solms, 1636. ad Comitia Ratisbonensia tunc properantem, unicâ hac *bibendi licentiâ*, à febre tertiana brevissimè liberavi, nullo ampliùs succedente paroxysmo. Ut verò febricitantibus omnibus nihil ferè molestius est, quàm sitis; sic *Potum* etiam non quemlibet, sed palato gratum, desiderant, illumque varii, varium. Ubi iterum præscribendarum formularum numerus occurrit infinitus. Plurimis arridet potus, *Limonada* dictus, & Italis quàm maximè consvetus, ex aqua *fontana*, cum *sacchare* parum cocta; additis sub finem coctionis, aquæ, adhuc tamen ferventi, *corticibus citri* vel *limonum extimis*, & *recentibus*; & *succi eorundem* q. s. ad svavem acorem. Palato gratus, & oculis quoque amicus Potus; refert enim colorem Vini Neccarini. Cujus mentionem quoque Horst. facit, *Oper. Tom. 2. p. 130.* quem vid. Acidulæ. Limonada.

Sennertus talem præscribit, *L. 1. Pract. fol. 334.* Potus ordinarius.

℞. *Aq. font.* ℔ij.
trifolii,
acetosæ,
papav. errat. an. ℔ß.
spir. vitriol. ʒj.
vel *q. s.* ad gratum saporem: adde
flor. violar,
borrag.
nymphææ, an. ʒj.
sant. rubri rasp at. ʒiij.

Stent in infusione aliquot horis: postea liquor rubicundus filtratus edulcoretur *sacchari* q. s. vel *syrup. acetositat. citr.*

Lottrichius, *in Cons. & Obs. f. 50.* ab Ill. Comite Pappenhemio sibi communicatam talem compositionem profert: Tinct. Rosarum.

℞. *Flor. rosar. rubr. exiccat.* ℥ij. Affunde *aq. fontis coct. & parum refrigeratæ* Mens. 1. *spir. vitriol.* ʒj. Postea iterum coquatur aliâ Mens. *aqua* cum *sacch.* q. s. & colatæ confundantur. Habebis Aquam svavem colore, odore, sapore.

tanti facienda non est, quanta concoquendæ hujus carnis est difficultas. Et hinc sane suspicor, Domicellam Cæciliam ab Hojos, anno 1657. postquam Autumno à febre tertianâ jam libera esset, persvasam, comedere omnibus mensis de carne Cervinâ, inde recidivam contraxisse illam diuturnam, & ad novum usque annum extensam; quæ tamen, me in Hungariam descendente, à Dn. Dr. Wernero demum curata est.

Mixturam simplicem, seu *Spiritum Tartari compositum*, penes ejus descriptionem, commendat Sennert. *Tract. de Febrib. lib. 2. cap. 7. pag. 121.*

Vulgatissimum est, *Incantationibus*, appensis *Schedulis*, tanquam *Amuletis*, & nescio quibus *Superstitionibus*, febres tollere. Et hoc etiam Medicis persvasit, excogitare quædã externa, *Amuleti* loco, ad febriles paroxysmos sine superstitione inhibendos. Qualia plurimis morbis suggerit, non docendi quidem, sed veritatem eorum demonstrandi gratia, Fernel. *de abdit. rerum causis, l. 2. c. 16.* integro; quæ quidem trans naturam vocat. Experientia verò docuit, pr. pr. interdum juvare *Pulsibus* applicatum *Emplastrum*, paulò ante paroxysmum, ex *Ung. populeo*, *telis aranearum* & *ol. scorpion.* Quale Strobelbergero adscribat Schröderus *Emplastrum*, & *Oleum febrifugum*, vide *in Pharmac. Medic. Chym. l. 2. f. 195.* & *244.* Testatur effectum Amuleti Abr. Seiler. apud Crat. *L. 3. Epist. f. 396.* Quid de Amuletis sentiat Forestus, videre est *L. 9. Obs. 52. in schol. tot.* Item apud Horst. *Oper. Tom. 3. pag.* 110. Quid ineptiarum Tillemannus scripserit de *Amuletis*, quibusque *characteribus* Hebraicis adornaverit, vide *in libello de Materia Medica*; ubi characteres authoritate D. Lutheri stabilit: quamvis postea, superstitionem subterfugiens, aliter loquatur. Amuleta.

In febribus etiam sunt *Febrifuga* dicta, non causam, sed motum respicientia. A Jonstono, *l. 7. fol. 305. Præcipitantia* vocantur: quæ ebullitionem vel fermentationem quasi præcipitant,

pitant, ne vires suas exserere possit paroxysmus, sed subsistat. Tale est *arcanum duplicatum*, *Pulv. è cochlear. testis Croll. Pulv. è matre Perlar. calcin.* ad ℈iiij, & *magist. oculor. canc.* Exhibentur v. ab Authore in principio: ab aliis, & rectiùs, purgato corpore, & apertâ venâ. Extra applicantur *tela aranearum* cum *unguento populeon.* ut supra, pulsibus; *tinca piscis* soleis alligatur. Vid. Jonston. *ulteriùs.*

Ad calorem extrahendum Crato, *Conf. 317. pag. 898. c. b.* usitatum dicit in Austriâ, si *potentilla* herba, contusa, ac *sale* & *aceto* adspersa, soleis pedum & arteriis etiam apponatur.

Labia ulcerata. *Exulcerantur* sæpe sæpius, in febribus, *labia*: idque pro signo bono habetur. Rationem innuere videtur Cardanus, *in Comment. ad Hipp. prognost. pag. 15.* ubi ait, labia cum jecore, propter plurimas venulas in ea desinentes, consentire. In febribus autem jecur affici, verisimile est; imò extra controversiam.

Corpus eorum, qui non omnino leviter febricitant, in eodem consistere, & nihil concidere, aut etiam plus aequo colliquefieri, malum. Illud enim morbi diuturnitatem; hoc imbecillitatem significat. Hipp. l. 2. aph. 28.

Cùm æstas similis veri fuerit, in febribus sudores copiosos exspectare oportet. l. 3. aph. 6.

Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. & 34. Nam hi sudores morbos judicant. Qui secus evenerint, laborem & morbi longitudinem, aut ejusdem reditum, significant. l. 4. aph. 36.

Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & plus humiditatis inesse significat. l. 4. aph. 56.

Quibus per febres aures obsurduerint, iis sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus, morbum solvit. l. 4. aph. 60.

Quibus

Quibus febres longæ, iis tubercula ad articulos, & labores fiunt. l. 4. aph. 44.

Quibus tubercula ad articulos, vel labores post febres fiunt, ii pluribus utuntur cibis. l. 4. aph. 45.

In febribus abscessus, qui in primis judicationib. morbum non solvunt, longitudinem morbi significant. l. 4. aph. 51.

Quibus per febres circa dentes lentor quidam obnascitur, iis vehementiores sunt febres. l. 4. aph. 53.

Ex bubone febres omnes malæ, præter diarias. l. 4. aph. 55.

Si cui convulsione, aut distentione nervorum detento febris superveniat, morbum solvit. l. 4. aph. 57.

Quibus per febres, ante diem septimum, morbus regius fuerit obortus, malum. l. 4. aph. 62.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, iis quotidie febres solvuntur. l. 4. aph. 63.

Quibus per febres morbus regius die septimo, vel nono, vel 11. vel 14. supervenerit, bonum; nisi hypochondrium dextrum sit durum: alioqui minimè bonum. l. 4. aph. 64.

Quibus per febres urina perturbata, quales jumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit. l. 4. aph. 70.

Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum dolore succedente, his alvi humectantur; nisi flatûs infernè erumpant, aut urinæ multitudo profluat. Atque hæc in febribus. l. 4. aph. 73.

Quibus circa hypochondrium dolores citra inflammationem fiunt, his febris superveniens dolorem solvit. l. 6. aph. 40.

Si febris non ex bile orta prehenderit, copiosa aqua calida, capiti superfusa, febrim solvit. l. 7. aph. 42.

Si quis febricitanti cibum præbeat, quem sano exhibet, sano quidem robur, ægrotanti verò morbus. l. 7. aph. 65.

Quibus urinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febri, si prodeant ab his tenues & copiosæ, juvant; maximè verò tales reddun-

duntur, quibus ab initio, vel non ita multò pòst, sedimentum inest. l. 4. aph 69.

Victus humidus febricitantibus omnibus est utilis, &c. l. 1. aph. 16.

Quibus per febres sangvinis undecunque eruperit copia, iis convalescentibus alvi humectantur. l. 4. aph. 27.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos & juxta maxillas potissimùm abscessus fiunt. l. 4. aph. 31.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorem farinam referunt, diuturnum morbum significat. l. 7. aph. 31.

Quibus in urinis sedimenta biliosa, superiùs verò tenuia fuerint, morbum acutum significant. l. 7. aph. 32.

CAPUT II.
De Febribus Continuis.

Febris maligna cum intermittente.

PAulus Neucranz, *Med. de Purpura*, *f.* 89. putat, febres malignas conjungi quoque posse intermittentibus: quod nec ego negaverim; hoc tamen posito, quòd intermittentes statim in suo typo tunc turbentur, & ordinem nullum servent; quod ipse, *fol.* 146. insinuat.

Febris symptomatica maligna.

Is ipsus Neucranz, *fol.* 148. putat quidem, non semper *Purpuram* suam esse morbum primarium, sed comitari pleuritides, anginas, colicas, &c. Ego verò planè existimo, contrarium esse verum, plevritides scil. dependere à Purpurâ, tanquam morbo primario: quia hæc plerunque præcedit, & ad quas partes virus præcipuè mittit, eas ita afficit, ut propriam ipsis partibus perniciem suscipere & prodere debeant.

Pulsus intermittens & inordinatus.

Joh. Wierus, *de febr. maligna*, *fol.* 71. historiam habet pulsûs intermittentis, in febre maligna, sexta die animadversi, & durantis usque in nonam morbi, quem alii pro lethali pronunciassent: ille verò advertens, duos ictus satis moderatos esse, & tertium

tertium demum intermittentem, naturæ quidem cum morbo gravem conflictum adesse, sed, quia uno gradu natura prærogativam habuit præ causa morbifica, ægrum in spem bonam erigebat & conservabat. Deprehenditur aliquando tertio, quarto, quinto ictu talis. Neucranzius, *fol. 168.* observavit, in Purpura intermittentem pulsum quatuor integris horis durantem: fitque per *ἀδυναμίαν διαστολῆς*, exhausto fonte caloris nativi, ac defraudato genio, consumptis & dissipatis spiritibus à venenata purpuræ qualitate.

Idem, *fol. 323.* statim in principio jubet *suffumigari* totum corpus: atque hoc, ait, non esse muliebre commentum, etsi illæ, sine consilio Medici, re hâc sæpissime utantur, & quàmplurimos Patientes liberent: sed processisse quondam à consilio Prudentissimi Medici, non sine ratione; ac Veterum Recentiorumq; Authoritatibus dudum esse confirmatum. Præterquam enim quòd ejusmodi thymiamata aërem infectum corrigunt, etiam spiritûs vitales, pravitate spiritualis veneni, per respirationem & arterias recepti, infectos à fœdis inquinamentis depurant, & quasi grato odore reficiunt. Parantur autem hi suffitus *ex absinthio, antirrhino, baccis lauri, juniperi, aliisq; herbis alexipharmacis, thure, succino.* Suffumigiū.

In *febre maligna Monspeliensium*, quam describit River. *l. 7. f. 681.* succedebant sæpissime *Parotides*, sive *bubones post aures*, in statu morbi, 10. aut 11. die, cum summa virium jacturâ, & subsequente morte intra biduum. Cùm verò solertissimus ipse animadverteret, summam illam virium jacturam non à resolutione, sed oppressione virtutis fieri; contra communem methodum, venam aperuit uni Mercatori, jamjam morituro: &, cùm animadverteret, omnia vergere in melius, repetiit V.S. eodem die; alteri verò, pro materiæ imminutione, suave dedit purgans, & sic illum, omnesque reliquos, à morte feliciter vindicavit. Propterea bene advertendum est Medico, unde debi- Symptomata.

Uu 2 litas fiat

tis fiat Æger. Si enim ab humorum pravorum copiâ vires imminuantur, nihil obstat, etiam in statu, quantumvis remedia talia jam præcesserint, evacuationes instituere, contra imperitum vulgus, quod credit, non quadrare ea, quia æger nimis est debilis. **Der Krancke könne es nicht ausstehen.** Hic autem requiritur maturus & exercitatus Practicus.

Febris Ungarica.

Cùm *Febris ardens, continua, & maligna*, aliàs *Ungarica* dicta, cum *maculis Petechialibus*, vulgariter grassaretur Ingolstadii, ita, ut, ob latam dispersionem, & contagium, facta fuerit *Epidemica*, Ann. 1632. & 33. donec, Ann. 1634. in ipsam, & quidem atrocissimam, *Pestem* transiret, hâc curandi methodo

Methodus medendi.

utebatur Pater meus p. m. Primo statim die præmisit Leniens; altero Sudoriferum ex Alexipharmacis; tertio instituit Venæsectionem: in plethoricis brachii & pedis; in reliquis pedis tantùm: quarto & quinto continuavit Sudorifera, robustioribus bis, debilioribus semel, in die. *Corpus* continuò conservavit tectum, & in æquali calore: *Viribus* prospexit Analepticis, semper additis iis, quæ *malignitati* resisterent. *Maculas petechiales* promovit ad exteriora per *Lapidem Bezoar*, cum *el. diascordii* &c. *Capitis dolori*, & metuendæ *Phrenitidi*, obviavit *vesicatoriis*, & *oxyrrhodino*: *vigiliis*, *Unguento popul.* cum *opio*, *ol. nymphaea*, & *mandragoræ*. *Vino* penitus interdixit, &, qui illud incautè bibebant, omnes omnino interierunt. *Potum* præscripsit ex *Decoct. hordei*, cum *C.C. ust. passulis*, *fœniculo* &c. *Aridam linguam* humectavit *Gargarismo* ex *semperviv*ō, *nymphaeâ*, *portulacâ*, *sale nitro*, vel *mucilagine sem. cydonior.* &c. *Plantis pedum* refrigerationis gratiâ apposuit *raphanum*, cum *sale*, vel *argillam*, cum *aceto rosaceo.* *Victum* præscripsit humidum, frigidum, moderatum. Sic se ipsum, conjugem, & liberos, præter alios quamplurimos, per Dei gr. feliciter curavit. Qui verò, ex inopia, mediis destituti, vel iis sinistrè, & tardè, usi fuerunt, ad unum omnes moriebantur; sicut & ii, qui, convalescentes, & famelici,

plus

plus justo comederunt; & propterea, *Recidivam* passi, nunquam evaserunt. Proveniebat autem *Fames* illa *enormis*, & quasi *Canina*, à succis malis, vitriolatis, circa ventriculum post febres relictis; qui mitioribus purgantibus debebant evacuari: sic appetitus in ordinem rediisset, & Ægri à *Recidiva* tuti conservati fuissent. Fames canina.

In hisce febribus, ubi *maculæ Petechiales hærent*, & *erumpere non possunt*, vel *recedere videntur*, ac ubi sudor, quo tamen maximè opus est, difficulter procedit, proposuit, 9. Aprilis, 1640. Magn. & Excell. D.D. Mannagetta &c. cùm Viennæ super Capitaneum aliquem, in suburbio Scotensi, Consilium haberemus, *Inunctionem* Aetii, quæ Inunctio.

℞. *Ol. amygd. amar.* ℥iiij. *salis nitri.* ʒx.
aq. chamæm. ℥xiiij. Coq. ad aq. consumptionem, & hâc *Mixturâ* inunge totum corpus, & exhibe *Sudoriferum* conveniens ex *spec. diamarg. fr. de hyacinth. pulv. rubr. Pannonic. el. diascord. Fracastor.* De hac ipsa *Inunctione* Crato, *Epist. 171. f. 286.* *Unguentum*, inquit, *ex nitro Aetii in Italia miro successu semper est adhibitum.*

Neucranzius hanc sibi usitatam commendavit *Inunctionem*:

℞. *Ol. commun. vetustissimi* ℥iij.
vini albi generosi Cretici. ℥ij.
rad. angel.
valerian.
zedoar.
dictamni alb.
helenii,
herb. scord.
rutæ,
dictamni Cretici, ana pj.

Ebulliant ad consumt. vini, & fortiter epressa aliquoties colentur: adde
theriac.
Mithridat. ana ʒij.
camphor. ℈ij.
lap. prunell. ʒj.
flor. sulph. ℈iv.
styrac. liquid. ʒiij.

Optimè mixta toti corpori, inprimis dorso, arteriis manuum, temporum, scroti, imò cuti manuum, & talis pedum, adhibita,

leni & diligenti frictione bis in die inungatur. Facit etiam paulò antè moris Ungarici mentionem, quo fricant carpum *allio* & *aceto*: item *fol.* 365. ineptissimæ illius curæ, qua linteamina imbuuntur vino, incoctionis aromatum, ægerque iis involvitur, pro violentâ coactione ad sudorem. Ipse verò eam minimè approbat. Superflua fermentatio sistitur *oleo scorpion. magn. Matthiol.* Ziegler. *fol.* 55. Ergo etiam in febribus utiliter usurpatur.

Vesicatoriorum usus quidem à nonnullis in dubium vocatur in febribus malignis. Rectè tamen Horst. *Oper. Tom.* 2. *p.* 29. 38. 354. 357. iisdem utitur, secura ductus experientiâ, ea multis profuisse. Quam experientiam in memet ipso confirmare ausim, qui, cùm an. 1632. eâdem lue epidemica diebus Canicularibus laborarem, &, morbo in statu existente, per triduum totali usu rationis, sine cibo, motu, loquelâ, destituerer, non sine Parentis mei, & astantium stupore, post *Cantharides* nuchæ appllicatas, & *Vesicam* ruptam, rationi, loquelæ, & tandem pristinæ sanitati, Deo Opt. Max. medicamentis benedicente, restitutus fui.

Riverius verò, *fol.* 37. multò efficacius, ait, fieri vesicatorium, si *euphorium* addatur; præsertim ubi è profundioribus corporis partibus ad superficiem volumus attrahere humores.

Venarum sublingvalium sectio. De *sectione venarum sublingualium*, quòd in nostrâ potestate non semper stet, sangvinem his venis incisis sistere, confirmat Neucranz, *Med. de Purpura, f.* 392. Quin &, iis apertis, aliquando sanguis ad superiora attrahitur, & delirium auget, in febrib. scil. malignis: de quibus ibi loquitur Author.

Phreniticū delirium. Illud etiam in hoc morbo diligenter notandum, Ægris, inter Phreniticum *delirium* aliquid subinde molesti apprehendentibus, nonnihil connivendum, & phantasiæ ipsorum modis omnibus, si fieri sine damno potest, satisfaciendum esse: quandoque enim inde adjuti convalescunt. Ita Horstius, *Op. Tom.* 3. *pag.*

pag. 34. Historiam narrat, de quodam Causo laborante, qui instanter petiit, ut lavandi ipsi detur, in stagno propinquo, licentia, pavimentum demonstrans: quod cùm ei concessum esset, de lecto se dimisit, &, hinc inde serpendo, quasi nataret, convaluit. Quòd si hoc ipsi negatum fuisset, fortè *Phreniticus* interiisset. Sit itaque locus, ubi decumbit Æger, & *Phrenitis* metuitur, vel jam Æger eâ correptus est, obscurus, astantes plures arceantur, pauci non multum loquantur; neque deliranti ad quælibet respondeant, neque strepitum faciant, ne Ægrum adhuc magis perturbent.

Casparus Caldera ab Heredia, *in Tribun. Medico-Magico-Politico, fol.* 4. inculpat Medicos, qui in principio Phrenitidis, etiam per intervalla affligentis, *venæsectionem in fronte* negligunt: rectè quoque Riverius, *fol.* 110. imperitum vulgus: & in Phrenitide à V. S. statim præcipit somnum, ne, evacuato sanguine, si procedant vigiliæ, de novo accensis humoribus, Æger ferocior evadat. Idem, *fol.* 117. mirè in hoc affectu prædicat apertionem *venarum intra nares*, h.e. studiosè concitatam hæmorrhagiam narium per setas, vel alias res asperiores; quam Jonstonus quoque suadet, *fol. Id. Med.* 390. dum scribit: non semper hîc expectandam esse criticam narium hæmorrhagiam, sed illam antè quoque procurari posse. Riverius quoque, *f.* 111. Clysteres refrigerantes & humectantes, sed sine oleis, exhibet; quia hæc facilè inflammantur. Inter externa idem prædicat oxyrrhodinum ex *lacte mulieris puellam lactantis*, cum *succo lactucæ* & *oleo rosaceo* applicatum. Rectè etiam monet idem, *fol.* 677. *animalia*, vel *eorum partes*, ut *pulmones*, *hepar*, *carnes calidas* minùs rectè in principio capiti admoveri; quia tunc calorem augeant, & fluxionem ad cerebrum magis promoveant; itaque unam vel alteram diem expectandum esse.

In *Phrenitide Vinum* concedit non solùm Trallianus, apud Quercet. *in Diæt. f.* 209. sed & Capivaccius, *L.* 1. *Pract. cap.* 8. *Vinum*

Vinum, inquit, Phreneticorum ferocitatem mitigat, & ferinos mores ad hilaritatem transfert. Uterque Author verò aut non audiendus; quia delirium cum febre inflammationem meningum fovet & auget: aut de delirio sine febre intelligendus. Sic autem impropriè, & parum Medicè locuti sunt. At neque in Mania tutum vinum, quamvis sit delirium sine febre; quia humores fervidos adurit magis: quod ipse Capivaccius, *l. 1. c. 11.* vetat, dum inquit, in mania à vino penitus abstineamus; aut, si exhibendum sit vinum, raro exhibeamus. Propterea satis constat, ipsum consultò in Phrenitide vinum concessisse, nullo habito respectu intensissimæ febris, nec meningum inflammationis: quod vix satis mirari possumus, Nosq; minimè admittimus. Etsi enim moneatur, considerandum, & metiendum esse, utrum *Vinum* concessum plus prosit, quàm obsit, & Riverius quoque, *fol. 649.* vinum etiam in febribus malignis & pestilentialibus non prohibeat, ubi scil. adest subjectum pituitosum, febris malignitas remissior, sitis carentia, nec lingua arida: periculum tamen est non leve, talia probare; adeóque satius, omnino abstinere, juxta illud: **Es gehet viel an der Prob hin.** Et, quod de Tralliano, idem de Riverio sentiendum.

Circulatio sanguinis docet, febres ardentes, malignas, putridas, alterantibus, cardiacis, & roborantibus esse tractandas: & alterantia debere esse liquida, magnaque quantitate sumenda, ut perveniant ad cor, & quoquoversum cum sanguine per circulationem distribuantur. Riolan. *fol.* 102.

Causa Phrenitidis. Phrenitidis *causa proxima* est Membranarum cerebrum involventium Inflammatio, ipsi etiam substantiæ cerebri communicata, & calorem introducens sufficientem.

Meningum inflammatio. Pro signo *Cerebri inflammati* Jonston. *l. 8. f. 369. 341.* ponit *febrem continuam*, de tertio in tertium diem exacerbatam. Hinc confirmatur mea opinio, posse febres *Symptomaticas* æmulari typum *periodicarum*. Id quod quadrat ad mortem mei Cognati, Fri-

ti, Friderici: de quo supra. Non tamen quævis Meningum inflammatio Phrenitidem causare potest; cùm experientiâ constet, in *Capitis vulneribus*, aliquando ab affluxu sangvinis maximè in tumorem attolli duram, ut ajunt, matrem, sine Ægrotantis delirio. Ex hoc bene concluditur, omnem Phrenitidem præsupponere Meningum inflammationem; non contrâ, ab omni Meningum inflammatione oriri Phrenitidem. Nota etiam, piam matrem tam esse subtilem, & cerebro annexam, ut inflammari non possit, nisi calor ille, inflammationis comes, ipsi cerebro communicetur. Propterea credendum, quòd inflammatio, delirii expers, ut in *Vulnere Capitis*, debeatur tantùm duræ, non piæ matri. Vide Horst. *Oper. Tom. 3. Quæstion. 4tâ. pag. 23. 24.*

Capitis vulnus.

Piæ Matris constitutio.

Qui Febre, Causo præsertim, vel aliis etiam Morbis Acutis, celeriter sua tempora absolventibus, extinguuntur, aliquando ante mortem *Pulsus* & *Calores* videntur habere moderatiores: imò & delirantes redeunt ad se. Causam refert Sennert. *de Febr. f. 151.* in sanguinis & spirituum absumptionem. Sed quomodo hoc fiat, non explicat. Subjungit tamen duas Historias, ubi post mortem in venis majoribus ne gutta sanguinis reperta fuit. Exemplum *cadaveris exanguis* vide etiam ap. Jacob. Primirosium, *lib. de vulgi Error. l. 1. c. 12 f. 116.* Solet autem natura, dum ultima imminent, extrema etiam tentare, & conari, colligendo omnes residuos spiritûs circa principaliora membra: & sic remissiora videntur omnia; sed ad momentum temporis; naturâ dissipatis spiritibus paulò pòst fatiscente. Ita videmus, jugulata animalia, antequam ultimum emittant sanguinem, fortiùs agitari, & prosilire. Propterea in hoc etiam Medicus cautus sit oportet, ne, cum suo dedecore, adstantes in spem bonam erigat; dum ultimus naturæ conatus mortem propinquam arguit. Neque etiam *urina turbida* in hisce febrib. Medicum securum reddere debet; ubi

Naturæ conatus ultimus.

Corpus exangue.

Venæ sine sangvine.

Cautio Medica.

sertim tales sunt pluribus diebus, sine immutatione morbi. Nam tunc malam dispositionem, vitiosos humores generantem, & humorum fervorem, & cruditatem adhuc perseverantem significat: ut bene notat Sennert. *L. 2. de Febr. f. 59.* Hinc verus *aphor. 19. Hipp. l. 2. Acutorum morborum non omnino certa sunt prædictiones, neque mortis, neque salutis.*

Urina pauca. In *Causo* notandum, *urinam* esse *paucam*, ob copiam sudoris, & caloris urinam absumentis. Interdum mingitur *cruda* & *turbida*, quæ postea clarescit, subsidentibus partibus extraneis, & resoluto turbido spiritu. Jonst. *l. 7. f. 296.*

Quòd febrilis calor in causo tardè resolvatur, causam ponit Riolanus in eo, *f. 128.* quòd ignis ille febrilis foveatur à materiâ *pingui* combustibili, quæ inest sanguini. Propterea paulo pòst monet, ne jusculis pinguibus Æger nutriatur; quia sic magis suscitatur flamma febrilis.

Febris ardens. In febre ardente *oculi rubentes* cerebri inflammationem arguunt, & pro lethali signo habendi sunt. Rubent autem ob sanguinem, per venas, à parte inflammatâ, eò missum: & præcedit plerunque vomitus & singultus: quia ventriculus cum cerebro consentit per nervos sextæ conjugationis, sat conspicuos. Hinc rectè Riverius, *fol. 597.* Hipp. *aph. 3. f. 7.* de febribus continuis præsertim intelligendum esse, insinuat. Nam in vomitu extra febrem facilè potest succedere singultus, propter adhærentem particulam materiæ evomendæ tunicis; & oculi rubentes, propter violentiam motûs: quandoquidem in quolibet ferè vomitu oculi illachrymant.

Prognostica mortis. Certius *Prognosticum*, sed triste, sumitur ab hoc; quando Ægri floccos carpunt, vel plicas supra lectum explicant, vel quodlibet objectum inordinatè arripiunt: quod qui faciunt, nunquam evadunt: quia significat delirium valde intensum, & non solùm meningum, sed & oculi tunicarum, inflammationem, & spirituum opticorum perturbationem incurabilem; propter

pter quam oculis varia & falsa objiciuntur, quæ Æger removere conatur. Hoc verum est, ubi febris ab *interna causa* sumit suum exordium; secus verò, si ab *externa causa*; v. g. potu Vini generosioris. Tunc etsi contingat, Ægros delirare, febricitare, floccos carpere; non tamen facilè moriuntur: ut hujus rei historiam habet Horstius, *Oper. Tom. 2. pag. 92. 93.* Nam inflammatio cerebri membranarum tanta non est, ut, discussis vini spiritibus, vapores oculis obversi simul non possint dissipari.

In hisce febribus, malignis præsertim, *Convulsio* epileptica superveniens plerunque Patientem enecat. Licebit tamen à Sennerto, *Tract. de Febr. fol. 577.* singulariter commendato *Pulvere* tali uti: Convulsio.

Pulvis in convulsionibus.

℞. *Rad. pentaphylli,*	*margar. pp.*
tormentillæ, ana ʒß.	*oc. cancr. pp.* ana ℈j.
rasur. ungulæ alcis ʒj.	*smaragd. Orient. pp.* ʒß.
cryst all. pp. ʒß.	*rad. pæon. mar.* ʒj.
corall. rubr. pp.	M. F. *Pulvis*, cui adde, si placet,

Bezoar Orient. gran. aliquot, & exhibe de Pulvere mixto ʒj. ℈iiij. aliquoties repetendo.

Habent *Cervi* foramina infra oculos, in quibus *Pinguedo* quædam flava reperitur, instar sordium, in auribus humanis. Hac utimur in convulsione pro singulari remedio. Facit quidem *lacrymarum Cervi* etiam mentionem Primirosius, *l. 4. cap. 36.* sed cum his nihil habent commercii. Lacryma Cervi. Pinguedo.

Hûc quadrat Hipp. *aph. 52. l. 2. Omnia secundum rationem facienti si minùs secundùm eam succedat, non est ad aliud transeundum, stante eo, quod ab initio visum fuit.* Sic in mediis etiam *Convulsionibus*, ubi Æger jamjam videtur moriturus, derelinquendus non est. *Non* enim *oportet multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt; quia multa hujusmodi stabilia non sunt &c. l. 2. aph. 27.* in acutis præsertim morbis, ubi prognostica & mortis & salutis incerta sunt: ut *supra* dictum.

Diarrhœa. Improbamus etiam, & metuimus, *Diarrhœam*, in febribus ardentibus non solùm quia humorum insignem putredinem, vel corruptelam arguit; sed &, quia diaphoresin impedit: ut insinuat Deusing. *de Pest. fol. 388.* Impedit autem diaphoresin, meo quidem judicio, hanc ob rem potissimum, quòd humores, qui per sudorem exire deberent, ad alvum, inverso ordine, derivantur: secundò, quòd ægri, sorditiem aversantes lecti, crebriùs surgere coguntur, & ita corpus detegere. Cui tamen contrairi facilè posset, si linteamina, vel *pelvis Fabriciana*, supponerentur.

Pelvis Fabriciana.

Rolfinc. *de Febr. c. 74. fol. 242.* observavit, febrem ardentem per *Sputum* copiosum & continuum, diurnum & nocturnum, felicissimè terminatum esse. Rara crisis. Ego verò judicarem, febrim potiùs catarrhalem, ex pituitæ putrescentis abundantiâ, cujus *supra* etiam fit mentio, quàm ardentem, fuisse.

Crisis per Sputum.

Surditas. *Surditas* in febribus, post delirium, pro bono signo haberi potest, quia tunc materia delirium causata ad aures protruditur, & secedit; monente Jonston. *l. 7. f. 324.*

Si febre detento suffocatio derepentè superveniat, nullo in faucibus existente tumore, lethale. Hipp. l. 4. aph. 34.

Si febre detento collum repentè pervertatur, ac vix deglutire possit, nullo tumore existente, mortiferum. l. 4. aph. 35.

Frigidi sudores, cum febre quidem acuta, mortem; cum mitiore verò, morbi longitudinem significant. l. 4. aph. 37.

Si, febre non intermittente, rigor ægrum jam debilem invadat, lethale. l. 4. aph. 46.

Excreationes in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ; commodè tamen si prodeant, bonæ: eadem est ratio eorum, quæ per alvum & urinas excernuntur. Si quid verò, quod non juvet, per hæc loca excernatur, malum, l. 4. aph. 47.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores algent, interiores uruntur, sitiq; vexantur, lethale. l. 4. aph. 48.

In

In quo morbo somnus laborem facit, lethale; si verò juvat, non lethale. l. 2. aph. 1.

In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus, pervertatur, si non videat, si non audiat, debili jam corpore, quidquid horum acciderit, in propinquo mors est. l. 4. aph. 49.

Ubi in febre non intermittente spirandi difficultas, aut delirium acciderit, lethale. l. 4. aph. 50.

Quibus utplurimùm tusses siccæ, leviter irritantes, in febribus ardentibus, ii non adm. siticulosi sunt. l. 4. aph. 54.

Si febre ardente laboranti superveniat rigor, fit solutio. l. 4. aph. 58.

In febribus circa ventriculum vehemens æstus, aut cordis morsus, malum. l. 4. aph. 65.

In febribus acutis convulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. l. 4. aph. 66.

In febribus per somnum pavores, aut convulsiones, malum. l. 4. aph. 67.

In febribus spiritus offendens, malum: convulsionem enim significat. l. 4. aph. 68.

Quibus die septimo crisis est futura, iis urina quarto die nubeculam rubram habet, cæteraq; pro ratione. l. 4. aph. 71.

Quibus urinæ pellucidæ & albæ, malæ; præsertim si in phreniticis apparent. l. 4. aph. 72.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium solvit. l. 6. aph. 26.

Deliria, quæ cum risu fiunt, tutiora; at quæ studio adhibito, periculosiora. l. 6. aph. 53.

In morbis acutis cum febre, quasi gementium suspiria, mala. l. 6. aph. 54.

A furore dysenteria, aut hydrops, aut vehemens mentis emotio, bonum. l. 7. aph. 5.

In morbis acutis rarò, & in principiis, utendum est medicamentis purgantibus; idq; cum magna cautione faciendum. l. 1. aph. 24.

Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move; vigentibus autem, quiescere oportet. l. 4. 29.

Circa principia & finem leviora sunt omnia; circa vigores verò vehementiora. l. 4. aph. 40.

Medicandum in valde acutis, si materia turgeat, eodem die; siquidem in his cunctari, malum. l. 4. aph. 10.

Ad extremos morbos remedia accuratè extrema sunt optima. l. 1. aph. 6.

Cùm igitur peracutus est morbus, extremos protinus labores habet, extremeq́; tenuissimo victu uti nesse est. Quùm verò non est, sed pleniorem victum exhibere licet, tantum ab extrema victûs ratione declinandum, quantò fuerit extremis morbus remissior. l. 1. aph. 7.

Cùm morbus in suo vigore constiterit, tunc vel tenuissimo victu uti necesse est. l. 1. aph. 8.

Sed & ex ægro conjectandum, an is victui sufficiat ad morbi vigorem usque, & nunquid ille priùs deficiat, nec cum victu perdurare possit; an morbus priùs deficiat, & obtundatur. l. 1. aph. 9.

Quibus igitur statim vigor adest, iis protinus victus tenuis est adhibendus: quibus verò posteriùs vigor est futurus, iis & sub ipsum vigoris tempus, & paulò ante, nonnihil subtrahendum. Antea verò pleniùs alendum, ut ægrotus perferre queat. l. 1. aph. 10.

Per somnum etiam, nunquid ex oculis subappareat, inspiciendum. Nam si quid non exactè commissis palpebris ex albo subappareat, modò non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione, contingat, malum est signum, & lethale valde. l. 6. aph. 52.

Quibus in urinis sedimenta biliosa, superiùs verò tenuia fuerint, morbum acutum significant. l. 7. aph. 32.

Caput III.

De Febre Tertiana, Quartana, Hectica.

FErnelius, *de abd. rer. caus. fol.* 108. postquam demonstravit, febrium intermittentium essentiam non consistere in intemperie, nec in putredine simplici, sed in occultâ quadam dispositione, quæ occultis remediis corrigenda est (de qua River. *Pr. t. 2. f. 635.*) subjungit pro sententiæ stabilimento: sæpe etiam vidimus, quartanam simplicem, duplicem, triplicem, ex impuro & putredine confecto corpore propriis antidotis abigi, nullâ purgatione præmissa, & persistente impuritate. Propterea pergit, non præter rationem propria quædam febrium remedia invulgari, quibus vel aniculæ optimis Medicis calumniam texunt.

Quòd *Julapium alterans* in ipsa accessione *Febris Tertianæ* tutò exhibeatur, idque *virium* etiam conservandarum gratiâ, testatur Horst. contra nimis religiosos Medicos, in paroxysmo omnia prohibentes; quin & ille ipse, *loc. cit. Jusculo* nutrire permittit febricitantem, circa declinationem paroxysmi, ubi paroxysmus longior, & æger debilior fuerit. Quod etiam Sennertus vult, *Libr. 5. Instit. parte 2. sect. 3. cap. 4. pag.* 1230. dum ait, non semper tempore paroxysmi instantis, vel jam præsentis, cibum subtrahendum esse. In febribus enim biliosis, ad retundendas bilis evaporationes, licet, imò oportet, Ægrum conveniente cibo reficere; aliàs ægrum facilè deduces in ardententem, vel hecticam, vel summam virium jacturam. Aliâs bonum est, non paucis horis priùs, quàm futurus est paroxysmus, exhibere cibum, ne natura, dum concoquendo cibo fatigatur, ab expulsione causæ morbificæ impediatur, & sic non corpus, sed febris magis nutriatur. Febr. Tertiana. Victus.

Somnus in *tertiana intermittente* priùs non concedendus, quàm adsit declinatio paroxysmi; per quam si obrepat somnus, Somnus.

mnus, ſudor multò copioſior manabit, & apyrexia fiet exactior: juxta Joubert. *l. 2. Pract. c. 9. ap. Mollenbrocc f. 209.*

Riverius, *Pr. tom. 2. f. 582.* in tertianâ diutius durante, ex hepatis caliditate, materiam bilioſam continuò ſuppeditante, & habitu corporis exucco, *Balneum aquæ dulcis*, die apyrexias, admittit, ſed ſine ſubſequente ſudore; diæta utitur refrigerante, deobſtruente: utique in hunc etiam finem, non ſolùm ſcil. ut bilem contumacem, & præcalidum hepar, demulceat, ſed & metuendam hecticam præcaveat. Quamvis balneum à noſtris Medicis & Ægrotantibus ſuſpectum ſemper habeatur in febribus; quaſi inde augeretur putredo.

Balneum aq. dulcis.

De *Febribus Tertianis*, *legitimis* præſertim, quas ex ſola bile putreſcente, vel potiùs fermentante, oriri credunt, etiam hoc nota; eas *paroxyſmos* calore tam moleſtos habere, ut, ſi continuæ febres eſſent ejusdem caloris, Æger vix unquam ad ſeptimum diem durare poſſet. Sed calor tantus in *exquiſita* te non terreat, etiamſi delirium acceſſerit. Nam hæ febres ſeptenis ad ſummum circuitibus judicantur, & vel ideo ſunt extra periculum: adeò ut hæc febris ſit omnium ferè putridarum curatu facillima, docente etiam experientiâ. Harvéus verò, apud Deuſing. *de motu cordis, fol. 82.* ubi probat, ſangvinem in circulatione per ipſos pulmones transcolari, exemplo tertianæ febris, in cujus principio mortuos apertos ſpeculatus eſt, ait, in ipſis pulmonibus ſanguinem incraſſatum, & detentum, repertum eſſe. Qualis autem tertiana fuerit, non explicat. Debet certè continua, non ſine malignitate, fuiſſe; aliàs propriam allegaret turpitudinem, quòd febrim tam benignam non potuerit curare, ſed & in principio acceſſionis vidiſſet vitâ functos.

Febr. tertiã. exquiſita. Paroxyſmi.

Frequentes etiam ſunt Febres *Tertianæ duplices*: ubi materia febrilis duobus in locis putreſcit, & ſingulis diebus fermentat. Tales à *quotidianis* (quæ ſunt rariſſimæ, adeò, ut nonnemo

Tertiana duplex.

mo Medicorum eas omnino negaverit; aliàs, si dantur, mulieribus ferè tantùm, & infantibus pituitosis, molestæ) sic distinguuntur: quòd Tertianarum febrium paroxysmi manè, & interdiu; *quotidianarum* verò circa vesperam maximè affligant; quòd illæ febres intensioris; hæ remissioris sint caloris; illæ breviores; hæ longiores habeant paroxysmos. Atque si frigus in quotidianis circa spinæ dorsum est molestius, ut ossa quasi frangi videantur, judica, etsi quotidie affligat, non quotidianam, sed *Quartanam triplicem* esse. Quartana triplex.

Febris tertiana maligna describitur à Riverio, *lib.17. p.634.* sed quæ apud nos est incognita. In febre quotidianâ, aliàs, ut dictum, rarissimâ, Zac. Lusitanus commendat *decoctum Ligni*: sed River. *lib. 17. pag. 589.* cautè adhibendum esse monet, pro ratione loci & victûs.

Intermittentium febrium *paroxysmos*, post opportunas evacuationes, Horstius, *Op. Tom. 3. p. 13.* commodè *intercipit* usu *Laudani opiati*, illud paulò ante paroxysmum exhibendo.

In *Febre Intermittente*, si unus paroxysmus tardiùs invadit, quàm antecedens, putant Practici, signum esse decrescentis febrilis materiæ. Sed hoc non est perpetuum. Potest enim seriùs venire paroxysmus, ob virium debilitatem, propter quam fermentũ impeditum vires suas satis maturè exercere non potest; & tunc minimè decrescit febris. Satius itaque est, aliquando *anticipare* paroxysmum. Et vidi ego plures sic curatos; ubi nunquam postposuit febris. Paroxysm. incipiens. Anticipatio & Postpositio.

Primirosius, ut se aliquo modo posset extricare ex difficultate *de Paroxysmis febrium*, *lib. de vulg. Error. fol. 211.* illos fieri à *congestione humorum*, ait. Quò autem illa *congestio* copiosior est, eò citius à naturâ, molestiam non patiente, expelli, & sic paroxysmum gigni. Sic quotidiana illa est, quoties humor adeò *copiosus* est, ut singulis diebus naturam sollicitet ad excretionem. Tertianam fore, si humor (qualis qualis. Nam omnes Paroxysmi febrium.

videtur confundere) non sit tam *copiosus*: quartanam demum, ubi *minor* adhuc est ejus *quantitas*. Quomodo autem doctrina hæc possit consistere, viderit Author. Ego judico, modum explicandi nostrum antiquum, & hanc, quæ videtur recentior, doctrinam simul stare posse, si dixerimus: hoc ipso, quia in homine pituitæ *major est copia*, ex putrescente hâc fieri *quotidianam*: quia humoris biliosi *minor quantitas*; hinc *tertianam* altero die moveri: & quia *adhuc minor* humoris melancholici; hinc putrescentem illum circuitus adhuc habere rariores.

Febris Quartan. Definitur à Riverio, *fol. 589. Pr. tom. 2. Quartana*: quòd fiat ab humore Melancholico, in prima regione putrescente. Talem ego judico febrem primariam, legitimam, & minimè exitiosam: cui opponitur Symptomatica, à nullo Medicorum descripta, sed è meo capite & observatione desumpta. Illa autem dependet minimè ab humore melancholico, in primâ regione putrescente; sed, quantum ego judico, ex viscerum, lienis, hepatis, mesenterii prægressa singulari corruptelâ, quam demum sequitur spuria quædam & symptomatica quartana, humoris melancholici putrescentis naturam mentiens. Et talis febris semper invadit cachecticos; & non curatur, quia viscera corrupta ad antiquam & meliorem crasin deduci non possunt. Comitantur autem hanc febrim (quæ nullam justam periodum observat, aliquando disparet, mox redit ante prandium, mox post prandium affligit) varia symptomata; virium imbecillitas, etiam die apyrexias, urinæ perturbatæ, pulsûs inconstantes, varii, summa inappetentia, oris inexpugnabilis siccitas, inquietudo, omnia corruptarum viscerum tecmiria. Sed dices; enarrata symptomata esse intensionem tantùm febris quartanæ ordinariæ: cui ego respondeo negativè, & ajo, etiam hinc differentiam hujus febris, à me symptomaticæ nuncupatæ, & ideò peculiaris dictæ, probari; quòd præcedant manifesta cacochymiæ singularis, & etiam cachexiæ, viscerumq; corruptorum

ruptorum signa, antequàm febris se prodat, lassitudinem scilic. spontaneam, gravitatem in hypochondriis, colorem faciei sublatum & lividum, excrementa alvi & urinæ minùs naturalia, sed varia, corrupta, liquida, omnium facultatum naturalium languor. Contra verò Febris Quartana, à Riverio & aliis Practicis descripta, quam ego primariam, strictâ; & legitimam voco largiori significatione, invadit homines ex improviso, autumnalibus fructibus aliquando vel levissimè abutentes: quod observavi an. 1655. Aulâ tunc Eberstorffii constituta, ad tales febres loco, aliàs, ob solum cœnosum, valde opportuno, nulla præcedente; vel saltem non valdè conspicuâ cacochymia, ne dicam cachexia. Atque hîc omnes curati fuêre. Idem esto judicium de febre tertianâ, & forte etiam de quotidianâ.

In febre quartana *hæmorrhagia narium* pessima & symptomatica censeri, &, ideo, si copiosa sit, statim cohiberi debet; quia melancholicus sanguis crassior per nares excerni non potest. Aperienda itaque vena brachii: sic hæmorrhagia sistitur, & sanguis crassus evacuatur. Hæmorrhagia in quartana pessima.

Dies accessionibus vacui sanguinis missioni, quemadmodum & purgationi, opportuni sunt. Nonnulli tamen ipso accessionis die sanguinem detrahunt, quinq; aut sex horis ante illius accessionem. Zacutus Lusitanus, V.S. in plenilunio celebratam plurimum conferre, asserit. Tunc enim, ob Lunæ vim, humor ille terrenus ebullit & fluxilior fit, promptiusq; venâ sectâ educitur. River, *f. 595.*

Singularem Febris *Quartanæ* tractandæ modum, & quidem facilem, vide apud Crat. *L. 5. f. 153.* ubi, advertendum esse, ait, singulariter, utrum ante paroxysmum aliquod *membrum* doleat; illius dein habendum respectum, tanquam *foci*. Ut si, v. g. ante paroxysmum *Ventris Tormina* sentiat Æger, usu crebriore *Enematum*, ex *Veronica*, & *carduo benedicto*, feliciter curatur, Quò enim natura vergit, eò ducere oportet. Sic, dum Febris Quartana. Tormina.

 febres

febres quartanæ Viennæ, in Autumno, Anno 1655. valde essent frequentes, præter alios multos Nutricem in Domo Excellentissimi Comitis de Porcia &c. duplici Quartana laborantem, & subitò *doloribus quasi colicis* afflictam, unico *Clystere emolliente & carminativo* ab una statim; & *Syrupo magistrali* bis terve repetito, ab altera febre, brevi temporis spatio, liberavi: dum illa de novo morbo sibi, ob *ventris dolores eximios*, metueret.

Methodus curandi Quartanæ Glanzii.

Sæpe citatus M. & E. D. D. Glanz, de *febre Quartana* citò & certò *curandâ* ita discurrit: *Apud Medicos receptum est, quòd febris quartana ab humore fiat melancholico; qui, ex doctrina Philosophorum, frigidus & siccus statuitur; & hic proinde, ob frigiditatem, difficilis accensionis; unde fortassis duæ in quartana intermissionis dies; ob siccitatem verò adhuc difficilioris solutionis, siquidem tenaciter tunicis vasorum adhærens, non facilè mobilis redditur. Verùm, cùm febris sit calor præter naturam, in corde accensus, &, mediantibus arteriis, in universum corpus diffusus, fieri paroxysmus necessariò non potest, quin hæc materia febrilis, humor nempe melancholicus, frigidus & siccus, à calore præter naturali attenuetur, rarefiat, fermentetur, ac denique accensus in actum deducatur. Ex quo arguitur tempus, pro expurgando hocce humore, nullum magis, quàm in ipso paroxysmo, conveniens reperiri, maximè cùm, ex mente Hippocratis, purgare volentem oporteat corpus & humores fluidos facere; qui fluidores nunquam, quàm in accessione sunt: quod de Quartana dictum velim. Itaque præmissis aliquoties alterantibus, ex jusculo caponis, cum radicibus & herbis deobstruentibus & appropriatis, addendo colaturæ justa dosi cryst all. tartari, vel, si magis placet, tartarum vitr. cum modico salis tamarisci, centaurii min. &c. similem aliquoties repeto Purgationem:*

quando purgandum.

℞. *Rad. polypod.*	*rad. helleb. nigr. pp.*
epithym. ana ʒiß.	*tartar. vitr.* an. ʒß.
summit. cent. min. p. I.	*semi. fœnic.* ℈ij.
fol. sen. el. ʒß.	*macis* ℈j.
rhab. el. ʒj.	*passul. min.* ʒj.

M. &

M. & coq. leviter in aq. fumar. & stent infusa noctu. Manè repetitâ levi ebullit. exprimantur, & colat. adde Manna ℥j. *Potio, quæ, pro ratione febris, tribus vel quatuor successivè vicibus, duabus semper ante accessionem horis, exhiberi poterit: licet tunc temporis repugnare videatur corporis debilitas, aut virium dejectio; quæ tamen hactenus expertis tanta non fuit, qualis timetur. Quibus sic ritè peractis, non obliviscor eorum, quæ à proprietate febri opponuntur, & putredini resistunt, ut est Elixir Propr. Specificum Febrile Croll. Gentiana, Centaur. min. Theriaca, Arcanum duplicatum Minsichtii; Rad. China China* (quæ nihil aliud esse videtur, quàm gentian. Indicæ frutex, respectu nostræ herbæ. Rolfincc. appellat *Corticem Senensem, de febr. c.92. f.314.* ubi usum ejus fusiùs describit: sed non ita formam, & speciem plantæ, seu arboris) à ʒß. ad ʒij. *in vino. & tandem Spiritus Salis armoniaci*, admirandarum in hoc affectu virium. Et hac methodo plures (quos inter Illustr. & Excell. D. D. Franciscus Comes de Harrach &c.) *à Quartana, Dei auxilio, feliciter à me sunt restituti.* Hactenus Ille. Chin. Chinæ. Spirit. Salis armoniaci.

Jonstonus, *l.5. f.337.* Feliciter, *ait*, purgatio brevi ante paroxysmum, viribus stantibus, & coctione apparente, datur. Cui consentit D.D. Glanz. Appropriata hic esse, addit *ammoniacum* septies sublimatum: pulverem *serpentum* à ℈j. ad ʒß. in convenienta vehiculo: Item *Cor leporis*, ut pulmo vulpis præpatum; *ol. myrrhæ* à gutt. iiij. ad viij. ante paroxysmum data.

Confirmatur hæc *Curandi methodus* Autoritate RR. PP. Wranovviensium (de quibus plura *circa finem libri*) qui plures, quàm quinquaginta, Quartanarios à febre liberarunt, *Auri fulminantis* (cujus compositionem tradit Schröderus) *granis quinque*, cum *modico vino*; dum paroxysmus incipit, propinatis, & si opus, bis terve repetitis. Eadem curandi methodus nec Quercetano Redivivo displicet, *in Pharmac. fol. 386.* ubi de *Pilulis Camilli ex Sagapeno*, paulò ante paroxysmum, *grana vij.* aliquoties propinat: præstat autem duplicare, aut triplicare, pondus; aliàs parum, vel nihil, operantur. Aurum fulminans. Pil. de Sagapeno.

℞. *Gum. sagapeni*, *resinæ scam.* ℈j.
ammoniaci, an. ʒj. *salis gemmæ* gr. xv.
troch. alhand. ℈iiij. M.F. *Pil.* e granis vij. N. 1.

Experta mihi quoq; ie methodus hæc curandi jam sæpius est; sed non festinandum cum exhibendis *Purgationibus*; quæ in tribus septimanis, aut minimum duabus, semel sufficiunt.

Quoties purgandum.

Riverius, *Pr. t. post. f. 599.* examinat Quæstionem: an ante paroyxsmum purgans sit exhibendum, ex Arculani, Gentilis, & Amati Lusitani sententia: a deo q; nihil novi affert, nec uni Recentiori adscribenda est hæc curandi methodus.

Crato, *L. 3. f. 153.* postquam *Purgantia* in *Quartana* improbat, & *Clysteres* commendat, dubitat etiam; utrum quartanæ febris *causa* sit humor melancholicus; an pituitosus. Eodem loco, & in seq. Consilio: *in Quartana*, inquit, *exactam victûs rationem non requiro*. Quamvis aliàs in quamplurimis locis strictissimam semper solitus sit inculcare *Diætam*. Ratio esse potest, quòd Febris *Quartana* sit morbus chronicus, cui diæta exactior, sive tenuior, non competit; ne ob diuturnitatem morbi vires dejiciantur. Deinde *Appetitui*, qui plerunque diebus intermissionis *vehemens* est, ob stimulum humoris acidi prædominantis, aliquid meritò condonandum. Ubi verò appetitus in hisce febribus *dejectus* est, pro malo habetur signo, & Ægri non durant; præsertim ubi ætas senior accedit, & corpus per se est cacochymicum; ne dicam cachecticum. Tales certè raro evadunt, juxta proverbium Italorum: quod non ita pridem experti sunt in Aula nostra Magnates tres, unius anni spatio, cum dolore & commiseratione plurimorum, sic extincti. Contrà arbitror: qui in juventute sunt victu immoderati, ventriculum plus justo dilatare: quo fit, ut imposterum victu moderato magna cum difficultate uti possint. Exemplum est in Serenissimâ Domûs Austriacæ Principibus, qui omnes, à juventute cibi copiâ assueti, ventriculum ita dilatant, ut in virili ætate

Causa.

Diæta.

Appetitus nimius.

Deficiens. Prognosticum.

malè

malè concoquat; nihilominus ex consuetudine multum appetat. Adde, quòd cibum manè commansum avidiùs ingerant, unde præmaturè senescunt & moriuntur. Hincque Sacratiss. Imperator FERDINANDUS III. ventriculum in morte tam extenuatum habuit, ut chartam tenuissimam.

Idem Crato, *Epist. 112. pag. 197.* commendat singulis diebus vesperi *Decoctum raparum*, cum *corticibus*, & *butyro*, tanquam appropriatum & specificum remedium: quo & ego, pro digestione humoris quartanarii, & impedimento indurationis viscerum, feliciter apud multos usus fui. Decoctum raparum.

Monavius, apud Crat. *Epist. 229. p. 404. & 245. p. 453.* pro *Secreto* commendat *Cor Leporis*, ita pp. ut pulmones vulpis: hincque in pulverem redactum, & pulverem illum dividit in partes tres; unam propinat ægrotanti in, vel ante paroxysmum, in *vino*, aut alio liquore conveniente dissolutum: si continuaveris tribus vicibus, quartâ non videbis febrim. *Modum præparandi cor leporis*, *usum genuinum*, & insignem *commendationem* ejus, vid. ap. Diomed. Cornarium, *Observ. Medicinal. Præmeditation. cap. 3.* Verùm non semper prodesse, & me docuit experientia, & idem de se alisque scribit Sennert. *de Febrib. libr. 2. pag. 313. c. a. f. fin.* Vide & Horst. *Op. Tom. 2. p. 232. & 529.* Cor leporis.

Idem, *Op. Tom. 3. p. 15. Quæst. 9.* proponit quidem *Theriacam*, paulò ante paroxysmum, sed non, nisi purgato corpore, & præm. præm. ne augeantur obstructiones, & febris intendatur, vel ex simplici fiat duplex & triplex; quando scilicet materia cum impetu plus justo agitatur. Fernelius, *de abdit. rerum caus. fol. 130.* jubet *vivam araneam*, avellanæ inclusam, de collo suspendere. Sennert. *L. 2. de Febr. fol. 312.* præm. præm. ex Pedemontano singulariter commendat *Vini Cretici poculum unum*, *asari pulverisati* ℥ij. si bibat illud calidè, horâ unâ ante paroxysmum, & procuret sudorem Æger. Cùm autem sudaverit, sume *salviam*, *rutam*, *bursam pastoris*, an. p. j. M. & contunde Theriaca. Sudoriferũ Vomitoriũ, & Alvidu-cum.

tunde cum *aceti* parum, & ligentur supra brachii pulsus 24. horis: & sic cessabit febris. Non autem hæc sudore tantùm, & ut amuleta, juvant; sed asarum, sic sumptum, præter *sudorem*, etiam *vomitum*, &, in fine paroxosmi, etiam *alvum* movebit: ut ex Sennerto colligitur, & experientia demonstrabit. Propterea ubique bene additur: *Præm. Præm.* Si enim ullus est morbus, qui festinantem eludit Medicum, Febris est *quartana*, quæ crises suas non per dies, sed per menses ferè, molitur. Et quamvis dentur remedia, quæ *Paroxysmos sistere*; & febrim sic occultare possunt, Welche das Fieber wenden / hoc est, quæ impediunt, quò minùs natura suo destinato tempore (cujus motûs rationem nemo satis intelligit) per ebullitionem humorum, purum ab impuro segreget, & tandem vincat: periculosa tamen ea sunt, & plerunque Ægrum in graviorem morbum deducunt; nisi ipsa simul evacuent, aut evacuantia, ut decet, præcesserint. Filiolum Ill. ex Nobilissima familia Preunerorum, vix quatuor annos natum, *Quartana* sesqui anno afflixit: quæ tandem, nullum observans typum, bis terve in septimana illum molestavit. Is, post multa incassum adhibita, per Excell. Virum, D. Joann. Fischer, Super. Austriæ Medicum, &c. præmisso *Syr. de tribus*, per *pulverem* ex *sale absinth.* & *armoniaco*, à febre hac pertinacissima liberatus est.

Paroxysmi interceptio.

Wierus, *de febre Quartan. fol. 49.* *Inunctionem* talem proponit dorsi; de cujus dolore Ægri, maximè in rigore, conqueruntur, & gravior plerunque ipsis est, quàm subsequens calor febrilis:

Inunctio dorsi.

℞. *Ol. laurini* ℥iß. *spir. vini* ℥ij.
succi rutæ ℥j. Coq. mista paulatim, ut formam induant *Linimenti*; quo dorsum paulò ante paroxysmum illinatur.

Febris Hectica.

Symptomatum febris *Hecticæ* causas, & ipsam etiam methodicam curam, bonamque diætæ præscriptionem, vide apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 25. & seqq. it. Tom. 3. p. 16.*

Inter

Inter causas internas, *febrem Hecticam* producentes, referuntur etiam à Riverio, *Pr.tom.post.f.508.* affectûs peculiares alicujus visceris, ut inflammatio, ulcus, putredo, vel ipsius membri corruptio, veluti jecoris, in hominibus vinosis, & qui calidis multis aromatibus utuntur: quâ ratione Austriacorum & Moravicorum *Hecticam* attigisse videtur Fernelius, qui utplurimum hepatis vitio, & corruptelâ, hecticam contrahunt; cujus signa Fernelius dicit esse, quòd vinum avidissimè cupiant, carnes verò maximo odio prosequantur. Causæ.

Quia in principio facilè curatur, sed difficulter *dignoscitur*, Medicus circumspectus esse debet, & ad *Signa* diligenter & maturè attendere, antequam in marasmum Æger deveniat: ubi proprium & inseparabile traditur à Sennerto, *de Febr. f. 339.* si unâ, vel alterâ horâ post cibum sumptum calor augeatur, & pulsus ad magnitudinem & velocitatem mutetur, sine frigore, rigore, horrore; quod putridis familiare est. Ratio hujus signi, & symptomatis, inde petenda: cùm calor hujus febris sit in partibus solidis, parum est, quod inde evaporare potest: hoc ipsum, parum, augetur supervenientibus cibis humidis, vel potiùs tenuioris alimenti, mox distributi, vaporibus: hinc sudor levis exprimitur, & ventriculus compressione quadam gravatur, ut cibum molestè ferat; dum calor scil. augetur, donec alimentum integrum sit distributum. Quia autem fieri potest, ut in putrida, etiam sine præcedente frigore, à cibo sumpto, aliqua fiat exacerbatio, & caloris intensio, ne decipiatur Medicus in dignoscenda hectica, horam cibi per triduum mutabit: si deinde idem calori accedat incrementum, firmatur Medici sententia. Signa. Calor auct. post cibū, & Pulsus. Ratio rei.

Idem Sennertus, *loc.cit.f.343.* carpere videtur homines illos Viennenses, quos *Mortuorum Inspectores* vocant: horum officium est, quælibet cadavera inspicere, & schedis suis inscribere causam mortis. Hi, dum vident cadaver morbo qualiquali Todtenbeschauer.

extenuatum, nullâ consideratâ circumstantiâ, hominem Hecticâ occidisse judicant, & pro eo inscribunt. **Stirbt alles an der Dörr und Lungensucht**: cùm tamen ad extremam maciem nos multi morbi, chronici præsertim, tandem deducere possint; neque ideo moriatur homo, quia *Hecticus*; sed quia præcedente alio morbo fuit exhaustus: sicut & senio, & laboribus confecti sine succo moriuntur. Siquidem senescere nihil aliud est, quàm siccescere.

Hecticos, tanquam specificum, reficere *Magist. hyacinth.* scribit Jonstonus, *l. 4 f. 411.* Sennertus v. *supra loc. cit.* in *Hecticis* hanc *Mixturam* commendat:

Mixtura.

℞. *Sacchar. albiss.* ℔iß. *ol. amygd. dulcium* ℥iij.
amyli subtiliss. pulv. ℥iiij. Dissolve super igne, in *aq. cordial.* &, cùm inspissari ceperit, adde alternatim amylum, & oleum, cum spatula continuò agitando: F. *Pasta*, in & extra mensam usurpanda, & cum *jusculo, cremore ptisanæ, gelatinâ*, vel alio *amico liquore*, dissolvenda.

Doloris absentia. Lassitudo totius.

Id. *in Epit. Instit. fol. 75. 76.* ubi de Morbis Intemperiei tractat, causam innuit, cur *Hectici* plerunque *Dolorem non sentiant*, neque de eo multum conquerantur; sed de nudâ quadam *lassitudine totius corporis.* Est enim hîc æqualis intemperies totius; ubi nihil ampliùs alteratur, sive in fieri est; & illa ipsa corpori quasi connata, sive nativa, & domestica redditur. In inæquali verò intemperie natura, vel potiùs ipsa morbi causa, in alterando adhuc occupatur, adeoque, propter motum, vellicatio & solutio fit continui; & tunc dolor & molestia sentitur. Idem fit in conficiendo pure, ubi dolor cessat, eo confecto; juxta *aph. Hipp.*

Febres symptomaticæ.

Rectè monet Riverius, *fol. 528.* advertendum esse, ne *febres symptomaticas* cum *essentialibus* confundamus: sæpe enim adesse febrim continuam, & lateris alterutrius dolorem, ubi nihilominus non est febris symptomatica. Sed facilè distinguuntur

guuntur utræque febres, si animadverteris, an dolor prior sit ipsâ febre. Si enim febris sit prior, judica, ipsam essentialem esse. Quatenus enim accenditur sanguis circa præcordia, fit aliquando depositio febrilis materiæ, naturæ bonitate, ad certum aliquod externum membrum: ut in erysipelate & arthritide manifestum est. Si verò ad nobiliora viscera, & partes, detrudatur, manet nihilominus febris essentialis, non tamen sine periculo.

Item, non semper Febres symptomaticæ *continuæ* esse solent, sed æmulantur nonnunquam periodos *intermittentium*: id quod me experientia docuit I. in cognato meo Friderico Höfero, qui, in fronte lapide percussus, Viennæ, nihil fere incommoditatis sensit, donec in viâ esset Lyncium versus; tunc invasit ipsum tertiana, quæ ultimis demum diebus transiit in continuam, cum vehementi delirio; quâ etiam extincto apertum est cranium, & inventus abscessus grandis circa frontem. II. Febres etiam *intermittentes* symptomaticæ sequuntur post internorum viscerum corruptelam & putredinem lienis & mesenterii præsertim. Tunc plerunque accedunt Quartanæ, omnes lethales; qualis an. 1657. 25. Decembris sustulit Excellentiss. Campi Marschallum à Buchheim: anno v. 1654. tres in Aulâ nostra Grandes, Illustr. & Celsiss. Principem à Dietrichstein, Excell. Comitem Maximilianum à Wallenstein, & Excell. Comitem Fuggerum. In hisce febricitantibus observatum est, eos statim in principio de oris siccitate conquestos esse, appetitum cibi perdidisse; vires præter modum fuisse debiles: omnia lethalia signa, quæ corruptelam singularem viscerum indicabant: de qua *supra* quoque. Quemadmodum in febribus acutissimis magna ratio est habenda partium inflammationem suscipere valentium: qualis plerunque conjungitur; ut refert River. *libr. 17. p. 572.* sic ego, in similibus, præsertim si Austriacas Provincias & Regna spectavero, judico, maximè respici-

endam esse malignitatem, quæ vel nunquam, vel rarissimè, deest.

Quibus accessiones fiunt, si febris, quâ hora dimiserit, eâdem postero die prehenderit, judicatio difficilis esse solet. Hist. l. 4. aph. 30.

Febres, quæ, tertio quoque die vehementiùs affligentes, non intermittunt, periculosiores; quoquo autem modo intermiserint, periculum abesse significant. l. 4. aph. 43.

Tertiana exquisita septenis ad summum circuitibus judicatur. l. 4. aph. 59.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit, reverti solet. l. 4. aph. 61.

In exacerbationibus oportet subducere: nam apponere, noxium est; & quæcunque per circuitus ingravescunt, in exacerbationibus oportet subtrahere. l. 1. aph. 11.

Accessiones & constitutiones morborum indicabunt, tum ipsi morbi, tum anni, tempora, tum reciproca circuituum incrementa, sive quotidie, sive alternis diebus, sive per intervalla longiora fiant; sed & ex iis, quæ postea apparent, sumuntur indicia &c. l. 1. aph. 12.

Quibus per circuitus accessiones fiunt, his nihil dare, nec cogere, sed ante judicationes adjectionibus subtrahere oportet. l. 1. aph. 19.

Æstivæ quartanæ plerunque breves; Autumnales verò longæ; & inter eas maximè quæ Hyemem attingunt. l. 2. aph. 25.

A quartanis correpti non admo. convulsione tentantur: si verò priùs tentati fuerint, & quartana supervenerit, liberantur. l. 5. aph. 70.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut per vulnera, aut per alium quemvis modum, extenuatis, atra bilis, aut velut sanguis niger, subierit, postridie moriuntur. l. 4. aph. 23.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet; quæ verò brevi, celeriter. l. 2. aph. 7.

Si quispiam, à morbo nutrimentum capiens, vires non recipiat, alimento copiosiore corpus uti, significat. Quòd si nutrimentum non capienti hoc accidat, vacuatione indigere sciendum est. l. 2. aph. 8.

Faciliùs

Facilius est, potu refici, quàm cibo. l. 2. aph. 11.

Si cui ex morbo corpus non proficiat, bene comedenti, malum. l. 2. aph. 31.

Utplurimùm omnes malè habentes, initio bene comedentes, nec quidquam proficientes, in fine rursus cibum aversantur. Contrà, qui initio cibum valde fastidiunt, posteà verò probè sumunt, invaletudine faciliùs liberantur. l. 2. aph. 32.

Quibus tabe laborantibus capilli defluunt, ii, diarrhœâ accedente, moriuntur. l. 5. aph. 12.

Si tabe detento profluvium alvi superveniat, lethale. l. 5. aph. 14.

Crisis.

URinæ quoque, & feces alvi, & sudores, apparentès, & judicatu faciles aut difficiles, & breves, aut lóngos, morbos fore, demonstrant. l. 1. aph. 12.

Quæ per morbus intus relinquuntur post crises, morborum reversiones facere consueverunt. l. 2. aph. 12.

Quibus fit crisis, iis nox, accessionem præcedens, gravis; quæ verò subsequitur, levior fere solet existere. l. 2. aph. 13.

Acuti morbi intra quatuordecim dies judicantur. l. 2. aph. 23.

Index septimi quartus. Octavus est initium sequentis septimanæ. Spectandus quoque est undecimus: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Spectandus rursum decimus septimus: is enim à quarto decimo quartus est, ab undecimo verò septimus. l. 2. aph. 24.


Quibus per febres sanguinis undecunq; eruperit copia, iis convalescentibus, alvi humectantur. l. 4. aph 27.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, iis ad articulos, & juxta maxillas potissimùm, abscessus fiunt. l. 4. aph. 31. Abscessus.

Quibus ex morbo resurgentibus pars aliqua laborat, illuc abscessus fiunt. l 4. aph. 31.

Quibus febres longæ, iis turbercula ad articulos, vel labores fiunt. l. 4. aph. 44.

Quibus tubercula ad articulos, vel labores post febres, fiunt, ii pluribus utuntur cibis. l. 4. aph. 45.



Liber VII.

De Mulierum, & Infantium morbis.

Caput I.

De Sterilitate, & Mensibus.

Mulier dignitate Viro æqualis.

Disputatur nonnunquam, *utrum mulier*, & *quâ ratione, viro sit ignobilior:* ludicrè magis, quàm seriò. Videtur Thomas, apud Horst. *in Proœm. Probl. dec. 9. Op. Tom. 3. p. 91.* in eam sententiam inclinare, quòd mulier, respectu viri, sit animal imperfectum; quia genitum ex activæ virtutis debilitate, materiæque ineptitudine. Ad quod respondet Horst. Imperfectionem, & imbecillitatem, in generatione fœmellæ, absolutè non esse considerandam, sed tantùm respectu individui; quæ, propter speciei propagationé, singulari naturæ providentiâ talis requirebatur. Ideoque *fœmina*, in suo genere, *æqualem cum viro præstantiam & perfectionem obtinet;* nihil obstante, quòd excretio sanguinis menstrui videatur opus esse imbecillioris naturæ. Ille enim debuit in fœminis naturaliter abundare, ut conceptus ex eo fiat, eoque nutriretur. Et quando *Menses* fluere incipiunt, tunc demum *perfectionis* suæ *terminum* se attigisse credunt Mulieres: & Hispanæ quidem

quidem sibi invicem magnificè gratulantur, linteamina Virgineo cruore tincta gloriosè ostentantes.

Si verò *Menses Mulieri non fluunt*, *Sterilitatem* inde necessariò sequi, credunt: hincque omnes eas existimant steriles, quæ menses ad annos aliquot non patiuntur; multò magis eas, quæ illos nunquam expertæ fuerunt: unde Germanis cessit in proverbium: Wann der Baum nicht blüet/so kan er auch keine Frucht tragen. Et, mensibus non fluentibus sterilitatem sequi, consentit etiam Primirosius, *de Mulier. morb. p. m. 232.* ubi historias aliquot narrat: sed rectè concludit, ordinario modo hoc nunquam contingere, nisi mulieribus, mensibus carere, naturale sit: quæ tamen concipere possint, si tantum illis colligatur sanguinis, quantum iis, quæ purgantur, restare solet; neque tales vias habere debent obstructos, ut sanguis, pro nutritione fœtûs sufficiens, permeare possit. Et sic confirmatur opinio Fabricii Hildani, *pag. 427.* qui contrarium habet exemplum *de muliere* quadragenaria, quæ, septem liberorũ mater, nunquã experta est menses. Hinc est quæstio: undenam fætus in utero conceptus alimentũ suum sumpserit: & respondet Idem, *ibid.* hoc ideò contigisse, quia mulier fuit robusta, vegeta, laboribus assueta, cujus calor nativus superfluum sanguinem gigni non fuerit passus. Conceptionis autem tempore aliquid sanguinis, & quantum suffecerat, naturâ providâ, ad uterum, ut formaretur & nutriretur fœtus, confluxisse. Equidem credo, mulierem hanc gestationis tempore factam fuisse macilentam; fœtum verò robustum, utpote bene elaborato sanguine nutritum. Sed hæc rara sunt, & insolita.

Sterilitas. Ejus causæ.

Mensium defectus.

Altera *Sterilitatis causa* est *Pinguedo*. Mulier enim, quæ solito fit *pinguior*, sterilis ideò evadit, quia *pinguedinis* & seminis materia est eadem, sanguis scil. subtilissimus, floridus, pinguis, aëreus. Jam si ille in *pinguedinem* vertitur, necessariò sequitur, ut desit materia semini, &, si semine aliquando abundant mulieres,

Pinguedo. Seminis materia.

res, illud tamen est fluidum & infœcundum. Idem sentiendum de Maribus; quos ideò *effœminatos* dicimus. Hinc fit, ut, si velimus saginare animal, illud priùs *castremus*, ut seminis generationem præcidamus, & plus apponamus *pinguedini*. Hæc innuit Andr. Laur. *in Anat. f. 218.* Habitus autem corporis pinguis unde proveniat, & quomodo curetur, vide ap. Jonst. *Id. l. 6. fol. 247.* Est & alia sterilitatis *causa*, nimirum defectus proportionis inter semē virile & fœmineū, qui partim inter manifestas, partim occultas, qualitates consistit; maximè autem oritur ab incantationibus: & tum vir cum sua conjuge coire non potest, cùm eum aliis fœminis possit: appetitum quidem cum sua congrediendi habet, sed si cum ea coit, semen emittere non potest.

Effœminati, Castratio.

Sterilitas ex incantatione.

Ex *incantamento* autem contractæ sterilitati sic medetur Jonston. *l. 10. f. 664.* utique ab anu quadam collecto consilio. Laudatur, ait, haustus aquæ frigidæ, ex ore Equi masculi non castrati, in præterfluente potantis elapsæ, ac subitò vasculo collectæ.

Fœminæ, Maris generatio.

Rationem, cur aliquando *fæmella*, aliquando *mas*, *concipiatur*; & quare à *dextris* genitaliū partibus *Mares*; à *sinistris Fœminæ* prodeant, idem docet, *f. 91.* quia dextrum semen calidius est, sinistrū dilutius, & frigidius. Ex Anatome enim constat, surculum è vena cava descendente, *dextri* lateris, immediatè ferri ad vasa spermatica, pro deferenda seminis materia; à *sinistro* autem latere ferri primò surculum spermaticum in venam emulgentem, & tunc materiam seminis sero copioso dilui; utique ob singularem naturæ providentiam, ne masculi, vel fœmellæ, solùm ob seminis æquale temperamentum generentur.

Fonticuli:

Quod *Fonticuli plures gestati Sterilitatem* inducere possint, credit Sennertus, *L. 3. Pract. f. 946.* An quia residuum concoctionis ultimæ per *Fonticulos* attrahitur, & consumitur? Si hoc ita est, confirmatur mea, de *Fonticulis*, opinio, *supr. libr. 1. cap. 4. pag. 34.* hîc allegata: non semper scil. per eos evacuari materiam

riam catarrhi, sed illud duntaxat in pus vel ichorem converti, quod parti excavatæ cessisset in nutrimentum, sponte affluens.

Steriles etiam fiunt Mulieres *Ebrietate*, vel multis *Diætæ erroribus*; quin & *Prægnantes* inde *abortiunt*. Propterea rectè, *in lib. Judicum, cap. 13.* Angelus admonet uxorem Manue, quæ Samsonem peperit, his verbis: *Sterilis es, & absque liberis: sed concipies, & paries filium. Cave ergo, ne bibas vinum ac siceram* (omnem potum, qui inebriat) *nec immundum quicquam comedas.* Idque, quod præcepit matri Angelus, filio quoque observandum, *eodem cap.* insinuavit. Ebrietas. Diæta.

Sterilitatem experimento abolet, teste Thoma Mermanno, Bavarorum Galeno, *in Consf. Mss. fol. 76.* tale *Vinum medicatum:* Sterilitatis remedium. Vinum medicatum.

℞. *Ligni Indici* ℔ß.	*rhab. el.* ℥iß.
sarsf. parill. ℥iß.	*fol. sen.* ℥iß.
sassafras ℥ij.	ʒʒ.
rad. Chinæ,	*calam. arom.* an. ℥iß.
liquirit. an. ℥ß.	*rad. ireos* ℥ß.
cortic. ligni ℥v.	*h. veronicæ*,
turbith alb. ℥iij.	*beton.* ana M. 1.

Incisis & contusis affunde *vini Rhenani* ℔x. Stent in infusion. 24. horis: postea bibatur quotidiè ℔ß.

Vel, præmissis *Purgationibus*, *Balneis*, *Suffitu* &c.

℞. *Ol. nardini*,	*styrac. liq.* an. ℥ij.
moschel. an. ℥iß.	*ambræ*,
chejrin. ℥x.	*moschi*,
spec. diambr.	*Zibeth.* ana gr. iij.
diamosch. dulc.	Cum pauca *cera* F. *Linimentum*; quo uteri regio illinatur.

Linimentum.

Mulier *sterilis* plerunque *magno* aliquo *Morbo* tandem corripitur. In tali enim utero succus aliquis teter & feculentus retinetur, retentus fermentat, malitiam acquirit, ac tractu temporis fit gravissimorum Morborum seminarium: teste Barth. Turriano, *in Jatrotrib. f. 211.* Sterilitas morborum causa.

Furor uterinus.

Inter alia admiranda nonnunquam ſymptomata, *Furor uterinus* nominatur: ubi Mulieres delirant ſine febre, ſine metu & triſtitia: & in hoc à melancholico affectu furor hîc diſtinguitur; obſcœna quoque loquuntur, audaces fiunt, & loquaces, ſuſpendium quærunt: quaſi phantaſiæ obverſaretur uteri ſtrangulatio. De his vide Horſt. *Op. Tom. 2. p. 95. & 194.* ubi in hoc, & in reliquis *Mulierum affectibus*, *Margaritis* præponit *Matrem Perlarum*, tanquam ſpecificum quid. In omnibus aliàs uteri morbis nihil eſſe præſtantius, quàm *Theriacam* & *Mithridatium*, ſæpius uſurpata, monet Schönborn. *in Manual. Med. Prax. fol. 202.*

Mater perlarum.

Theriaca. Mithridatium.

Quia Sterilitatis non ſolùm, ſed plurimorum aliorum malorum, cauſa ponitur in *Menſium defectu*, ideò Mulieres de iis promovendis, mirum quantum, ſunt ſolicitæ; non ſemper ratione habitâ, nihil debere effluere, eò, quòd nihil adſit ſuperflui. Propterea ſe ipſas, & alias, ſuis ineptis conſiliis ſæpiſſimè deſtruunt. Sic Illuſtris puella de Rorbach, prope Styram, Sup. Auſt. annorum 17. dum, ob venarum exilitatem, & ſanguinis paucitatem, ipſi tunc *naturalem*, *Menſes non pateretur*, per medicamenta Menſes ducentia, & repetitam Venæſectionem in talo, ad cachexiam, & extremam maciem, viriumque debilitatem, deducta eſt: donec ego vocatus, rejectis muliercularum ineptiis, per epicraſin curationem inſtitui, ipſam per *Syr. chalybeatum Magiſtr.* ſuaviter purgando, & per diætam optimè inſtitutam reficiendo: ita, ut poſt paucas ſeptimanas ſalva, & integrè reſtituta ad Nundinas Lyncenſes properaverit, & anno ſubſequente Illuſtri Juveni nupſerit.

Menſium defectus naturalis.

cum damno ſollicitantur.

Rectè itaque mecum ſentit River. *libr. 7. fol. 254.* ex Oribaſio, mulieribus extenuatis, & pauco ſanguine conſtantibus, in menſium defectu venam non eſſe aperiendam: ſed paulò pòſt, ex Galen. limitationem ſubjungit, quæ notatu digna eſt: licere nimirum aliquando, Galen. exemplo, etiam extenua-

tis

tis venam secare; ubi constat, mulierem in venis copiosum sanguinem quidem, sed talis constitutionis habere, ut eo corpus nutriri non possit: quod apparebit ex totius corporis marcore, venis nihilominus turgescentibus.

Hinc patet, *venæsectionem & menses ducentia non temerè* esse *administranda*; sed ubi sangvinis copia adest, & viæ, per quas fluere debet, sunt obstructæ; vel ubi sangvis, per quemcunq; errorem, aliò divertitur. Tunc, viis reseratis, tuta sunt *menses promoventia*. Sed cave, ne instituas *Venæ S. in brachio*, ne retrahatur sanguis, juxta animadversionem Constantini Lucæ, apud Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 92. c. b.* Vid. etiam totam hanc *Quæstionem I. ibid. à pag. 91. An, & quomodo in suppressione menstruorum vena secanda.* Vid. etiam *Op. Tom. ejusd. p. 96. c. a.* Nihil etiam obstat, mensibus actu fluentibus, sed paucioribus, venam *in talo* aperire. Aliàs Venæsectio mensib præsentibus omnino improbatur, ne naturæ cursus interturbetur: nisi ubi summa urget necessitas; ut in Pleuritide, Anginâ, necessariâ revulsione, propter mensium nimis copiosum fluxum &c. Vide Forest. *Lib. 16. Observat. 33.* ubi ancillæ Plevriticæ, postquam menstrua passa esset aliquot diebus, iis nondum omnino cessantibus, venam in *brachio* aperuit.

Menses quando promovendi. Cautela.

In Mulieribus, *venam aperire* Verno & Autumnali tempore consvetis, semper est habendus respectus ordinariæ *Purgationis menstruæ*: ita, ut medium tempus inter antecedens & consequens purgationem eligatur. Atque ubi menses parciùs fluere solent, & sanguinis copia adest, aperienda imprimis, totius evacuandi gratia, vena *brachii*, paulò pòst, aliquando eodem die, ne naturæ cursus, deorsum vergens cum sanguine, impediatur, repetendo venæ sectionem *in talo*. Hac ratione effeci, ut aliquot matronæ Steriles factæ fuerint fœcundæ. Nota, si *purgatio Medica* instituitur paulò *ante consvetos menses*, tunc ij medica-

Venæ S. anniversaria quomodo instituenda. quando Purgatio.

mento purgante irritantur, & sic subsequens venæ S. locum non habet. Si verò statim *post fluxum mensium* exhibueris purgans, periculum est, ne iterum, præter naturæ commodum, menses elicias; propterea, quantum fieri potest, medium tempus eligendum. Quod idem svadet Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 95.* etiam in *Scarificatione* observandum; ut hystericis, & ubi menses sunt parciores, paulò ante consvetam purgationem, adhibeantur *Cucurbitulæ*: non autem in brachiis; sed cruribus, & dorsi parte inferiore, ob prædictam causam. Sennertus quidem, *L. 4. Pract. f. 151.* dissvadet *Purgantia*, paulò ante consvetum fluxum mensium exhibita, quasi ea, humorem aliò divertendo, impedirent magis fluxum. Cui equidem assentiri non possum, crebrâ ductus experientiâ, plerunque sic institutam purgationem irritare potiùs menses, quàm divertere; eò, quòd pleraque, si non omnia, *purgantia vim ducendi menses habeant*; idque vel per se, vel per accidens. Propterea gravidæ Mulieres ab his tantopere abhorrent, & malunt aliquando, non sine damno sui fœtûs, cacochymiam ad partum usque perferre, quàm lenioribus etiam evacuari; quod tamen tutò fieri posset, medio præsertim gestationis tempore: svadente Hippocr. *in Aphorism. 1. l. 4.*

Scarificatio.

Purgantia simul sunt

Menses ducentia.

Gravidæ an purgandæ.

Terror.

Quid *Terror* possit in mensium defectu, testatur historia Illustrissimæ Comitissæ Magni in Ebersdorff; quæ de se ipsâ, coram me, testabatur, se per integrũ annum, dum in Polonia esset, menses passam non fuisse, donec pontem transiret, & ferè in foveam, Morioni Regio factam, incidisset. Tunc nimir. subito erupisse menses, cum magnâ sui lætitiâ, ob signum nullius imprægnationis, quamvis per integrum annum molestiæ nihil sentiret, ne à marito Zelotypo, Italorum more, pro adulterâ haberetur; qui sciebat, ex se gravidam pluribus annis non extitisse. Sic *terror* sanguinem commovet, &, quia hîc vias obstructas ad uterum non repererat, menses movit; qui aliàs, uteri vasis aliter

ter constitutis, sanguinem ad superiora nonnunquam pellit, & ita defectum mensium parit: quod multæ experiuntur mulierculæ: adeoque ex una causâ diversissimi possunt oriri effectûs, sed non eodem modo.

Dictus Sennert. *loc. cit. fol. 140.* inter alias mensium deficientium causas refert *Balnea sudatoria*, & si fœminæ menses patientes nimium sudent. Nam tunc non solùm sanguis versus ambitum corporis rapitur, sed serosa ejus pars, quæ imprimis fluxibilitatem ei præstat, absumitur. Mensium paucorum causa sudatorium Balneum.

Propterea rectè monet River. *fol. 262.* Mulieribus, quibus menses deficiunt, posse quidè dari *decoctum Ligni*, & alia sudorifera, sed *sine* subsequente *sudore*; quia sudor, dum serum evacuat, etiam humores ad circumferentiam trahit, & hac ratione menses potiùs sistit.

Plurima *Menses ducentia* remedia non Medicis solùm, sed & Mulierculis, nota sunt. Forestus, *de morb. mulierum, Obs. 2. 4. 6.* *Pulverem* componit, quem *Dominarum* vocat: Menses moventia quæ. Pulvis Dominarum.

℞. *Rad. dictamn. alb.* ℥iij.	*ligni Ind.*
Zedoar.	*troch. de myrrha,*
calami aromat.	*boracis Ven.* an. ℈iiij.
cass. ligneæ,	*sem. nigellæ* ʒij.
cinnamomi,	*fænic.*
macis,	*cumini,*
croci,	*anisi,*
corticum citri, an. ʒj.	*baccar. lauri*, an. ʒj.

M. F. *Pulv.* Dosis ʒj. sæpius exhibita. Jacchinus, apud eundem, ad miraculum usque menses restituit solo *Potu* ordinario ex *Indico ligno*, & *rad. dictamni, in aq. simpl.* coct. vel, ejus loco, bibe de *sem. nigellæ* &c. Si vis menses ducere, da pro *Potu decoctum centaur. min. cum tot.* ex *vino.* Albert. Magnus. *Vinum chalybeatum* duplex in hunc usum vid. ap. Quercetan. *Pharmac. Dogmat. restitut. pag. 135. 136.*

Horst. talia præscribit:

Pil. hysteric. ℞. *Spec. hier. simp.* ʒß. *opopan.* an. gr. xv.
castor. *galbani* gr. v.
asa fœt. ana ℈ß. *cinnam.* ℈j.
ammon. *croci* gr. iij.

M. cum *aq. artemis.* F. *Pilul.* N. xxv. de quibus singulis octo diebus sumantur v. vel vj. Alias vide apud eundem, *Oper. Tom. 2. pag. 268. c. b.* Vide etiam *ibid. pag. 289. c. b.* Interjectis hisce diebus sume *Pulveris* sequentis dosin integram: ℞. *Fecul. bryon.* ℈j. *salis artemis.* ℈ß. M. cum *aq. artemis. pulegii, cinnam.* ana q. satis. *Emplastrum* umbilico applica ex *galbano, Magnete* &c. præm. tamen universalibus. Vid. iterum *Oper. Tom. 2. p. 289.* Maximè quoque laudantur *Pil. Montagnana*, à Riverio, *Prax. Tom. poster. fol. 258.* descriptæ, quæ

Pulvis hysteric. Emplastrũ uterin.

℞. *Troch de myrrhâ* ʒiß. *cinam.* an. ℈j.
sem. petrosel. *moschi* ℈ß.
castorei, Cum *succo api* F. Pil. num. 22.

de quibus ægra duas capiat mane, vel in ingressu lecti. Nota: addi *Moschum*, quamvis mulierculæ pleræq; eum improbent, nimium utero metuentes. Sed habet moschus singularem virtutem sanguinem movendi, ut supra, ex Sennerto, annotavimus.

Splen bovis. Sennert. *L. 4. Pract. part. 2. s. 2. cap. 3. f. 152.* proponit *Extractum splenis bovis*, vel idem *in clibano exiccatum.* Commodè etiam exhibemus *Pilulas* factas ex *extracto calam. aromat. helenii, Zedoariæ, rad. gentianæ, card. bened. aloes*; cui, si menses cum dolore fluunt; quod fit ob humorum acrimoniam, vias, per quas in motu transeunt, vellicantes, licet addere nonnihil *laudani*, & *extracti ligni aloës.* Affectus hic quamplurimas molestat, etsi cacochymiæ magnæ indicia nonnunquam absint, teneriores imprimis, & hystericis affectibus obnoxias, ut & eas, quibus sanguis seriosior & acrior, membranosumque genus delicatius est. Sie bekommen ihr Zeit mit einem Reissen. Quibus proinde,

Menses cum dolore.

ut

ut dictum, mederi possumus. Si verò manifesta *cacochymiæ* indicia adsint, licebit hisce extractis *electivè purgantia* addere. V. g.

Pilulæ hystericæ, purgantes.

℞. *Extr. cephalici Minsichtii* gr. xv.
trochiscor. alband. ℈ß.
extr. lign. aloes,
extr. helenii,
Zedoariæ, an gr. v.
laudani opiati gr. iiij.
M. cum gutt. iij. *ol. sabinæ*. F. *Pilul. Aureæ*, benè compactæ & æquales, num. xiiij. sumantur vij. tribus ante mensium eruptionem diebus, &, si opus erit, reliquæ septem altero statim die. De usu *Aquæ pulegii bis destillatæ*, in provocandis mensibus, vid. Craton. *Epist. Medicinal.* 192. *p.* 310. *c. b.* Aqua autem bis destillata forsan est, quæ herbis recentibus denuò infunditur, & iteratâ destillatione extrahitur.

Mensium defectui opponitur *Superfluitas*, quæ plerunque Mulieres ad cachexiam & hydropem ducit. Propterea, habito respectu causæ, sanguis, vitæ thesaurus, omni modo conservandus est. Ubi varia iterum proponuntur. Menses Superflui.

Ludovicus Septalius valde commendat *Cortices aurantiorum viridium*, & coquit in s. q. *aq.* ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ expressæ manè exhibet haustum aliquoties. Camerar. *in hist. camph. fol.* 28.

℞. *Rad. tormentill.*
serpentariæ (h. e. bistortæ, Natterwurtz) ana ʒij.
cinamom.
galang.
caryophyllor. anâ ʒß.
Contus. simul Coq. in *vin. rubr. adstring.* ad ℥iij. Colato vino immisc. *camphor.* ℈j. Bibantur manè cochlearia iij. calidè.

Pulverem Foresti *libr.* 28. *obs.* 10. ex *Turture*, vide apud Sennert. *Libr.* 4. *Pract. part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 6. *fol.* 177. Idem fere præstat *Pulvis ex ossibus humanis*, ad ʒj. cum *vin. rubr.* vel *cinis stercoris caprini*, ejusdem ponderis, ex Guainerio sumptus. Vel Pulvis ex Turture.

℞. *Aq.*

℞. *Aquæ plant.* coch. iij. *vini rubri adstring.* tantundem, *vitelli ovi* N. 1. Bulliant parum, & dentur manè, jejuno ventriculo: ex eod. Foresto, *d. libr. obs. 18. in schol.*

Item, ℞. *Succi stercoris asinini, syrupi myrtillor.* an. ℥ß. *aq. plantag.* ℥ij. M. & exhibe sæpius, *loc. cit. Obs. 16.*

Mulieri si velis menstrua sistere, *cucurbitulam* quàm maximam ad mammas apponere jubet Hipp. *l. 5. aph. 50.* Nota tamen, ad mammas, non supra mammas: quia sic, ut bene notat Aëtius, *Tetrab. 1. serm. 3. c. 20. ap. Mollenbroccium, p. 563.* illabentes in cucurbitas mammas, & tumescentes, non facilè tollimus.

Ligaturarum modus. *Frictiones* & *ligaturæ* partium multum etiam hîc valent. Sed noli admittere muliercularum morem, quo supra & infra tales ligaturas instituunt: oportet enim partes superiores tantùm ligare, ut retrahatur sanguis,

Secundinæ pp. Obstetrix quædam Cæsarea conjugi meæ *Secundinam exiccatam* & *pulv.* intra corpus exhibuit, cùm, post abortum, menses tam violenter fluerent, ut nullâ arte cohiberi potuerint; & sic paulò pòst restitêre: sed si ejus pulveris nimium quæpiam sumpserit, ajunt, eam sterilem omnino fieri.

Quamvis fœminas adultiores, & ætate maturas tantùm, *menses albos* & *decolores* pati, nonnulli asserere ausi sint, viarum angustiam accusantes, temereque pronunciantes, tales corruptas esse; nec virgines tamen ab eo semper sunt immunes: quod confirmat experientia, à Doctissimis Medicis prolata; castissimas scil. atque integerrimas virgines, de quibus nulla corruptionis suspicio esse potuit, hunc affectum passas esse. Et testatur Fernelius, se vidisse puellam, octavo ætatis anno hoc malo obsessam, ac diu postea graviter afflictam: qualem & ego in eâdem ætate, cæteroquin sanam persistentem puellam, vidi Viennæ, Sollicitatoris cujusdam, quondam Pharmacopœi, filiam.

Menses

Menses albi, vel *decolores*, cacochymiæ sunt indicia; quæ, præmissis universalibus, quibusdam appropriatis emendatur: qualia sunt, apud Obstetricem Gallicam, *fol. 76 sem. citrulli*, si singulis diebus N. xij. deglutiantur, superbibito haustu *lactis*. Vel — Menses albi.

℞. *Camph.* ℈ß. — *aq. rosar.*
scobis eboris ℈ij. — *nymphaæ*, an. ℥iß.

M. & repetatur sæpius pro dosi. Camerar. *in Hist. Camphoræ*, *fol. 28.*

Mensium fluxum mentiuntur interdum *Hæmorrhoides uteri*; ut notat Sennert. *Lib. 4. Pract. part. 1. sec. 1. c. 7. per Quæstion. f. 24.* eásque dicit inseri non in cervicem, vel orificium uteri, sed circa pudendum, & esse venas, quæ pudendo nutrimentum advehunt. Est autem inter illas tale discrimen: quòd Menses sine dolore, modo ordinario, erumpant circa pudendi partes interiores: hæmorrhoides autem dolent, & manibus dolor demonstrari potest. Vide *loc. cit.* ubi hæmorrhoidum talium *Curam* invenies, nihil ferè discrepantem à *Virorum hæmorrhoidibus*. Vide etiam Hieronym. Fabric. *in Opere Chir. f. 339.* — Hæmorrhoides uteri.

Morbus virgineus, ab Hippocr. *Chlorosis*, à Recentioribus, *febris Alba*, *Amatoria*, & *Icterus albus* dictus, nihil aliud est, quàm obstructio venarum circa matricem; quæ liberum sanguinis affluxum ad uterum impediunt: cujus ratione sanguis superfluus ad venas majores regurgitat, & cor, hepar, lienem, diaphragma, aliasque partes sanguificationi dicatas, opprimendo, earum calorem nativum obruendo, & vasa obstruendo, sanguificationem lædit; qua læsa crudi humores in toto corpore cumulantur; qui, ad habitum corporis delati, cachexiam & sevcophlegmatiam producunt. Hinc color pallidus, tumores pedum, ventriculi inflatio, cordis palpitatio, dolor capitis gravans, inappetentia, omnes pravæ nutritionis effectûs. — Morbus virgineus. — Levcophlegmatia.

River. *Tom. 2. pag. 242.* præter dicta, alia quoque numerat signa, videlicet inflammationem, & quandam intumescentiam in facie, & palpebris (præcipuè post somnum: quia per noctem conclusus calor plures vapores elevat, quàm dissipare potest) gravitatem & segnitiem totius corporis, crurumque tensivam lassitudinem, respirationem difficilem, præsertim post motum corporis etiam levem, & locorũ acclivium adscensum; pulsus celeres & frequentes, ut febricitare videantur (& hinc *febris alba* nuncupatur) somnum gravem, longum, & profundum; tandemque mensium suppressionem consequi, scribit. *Remedium esto*, præm. præm. *Chalybs*, qui qualiter usurpetur ab Obstetrice Gallicâ, vide *supra*: item *Tartarus Vitriolatus*, in jusculo alterante. River. *c. l. p. 246.* in hoc affectu singulariter commendat *Balneum* ex matricalibus, emollientibus & aperientibus præparatum, si bis in die, ante pastum, Ægra tepidè insideat. Vid. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 269. 270. 271.* de Morbi Virginei, seu Levcophlegmatiæ symptomatis & caussis, & cura, *ex professo.*

Tartar. Vitr.

Huc spectat *aphorism. 72. l. 7. A pituita alba hydrops supervenit.*

Lactis mammi materia.

Rationes Deusingii, sanguinem sive menstruum, sive alium, lacti materiam non suppetere, hæ potissimæ sunt: 1. Nulla est proportio sanguinis menstrui cum lacte: 2. nulla etiam cum sangvine sincero. Quomodo enim mulier lactans tantum sangvinis singulis diebus deperderet; cùm constet, puellum singulis diebus ultra libras duas lactis sugere? 3. Habent lac in mammis ipsi infantes, viri, mulieres seniculæ. 4. Si ex utero transveheretur sangvis ad mammas, altero statim die, quo plerunque magna jam adest lactis copia, sisterentur lochia. 5. Si sanguis lactis materia est, quomodo copia lactis generari & conservari potest, etiam lactantibus menstrua patientibus? 6. Lactis suctio non impedit fluxum menstrui: atqui per venæsectionem

unciæ

unciæ pauculæ, revulsionis gratiâ emissæ, fluxum sistunt. 7. Mulier mediocriter obesa, cum venis exilib9, plus lactis habet, quàm extenuata, cum tumentib. venis. Ergo: 8. Lac sæpe assumptorum redolet qualitates; sanguis nunquam: purgantia item communicantur lacti; ut per suctum lac infans etiam purgetur. 9. Assumpta citissimè mammas attingunt, antequam in sangvinem possint converti. Ut verò difficultatem effugiat, quòd sanguis menstruus non sit materia lactis (*libello de Lacte, fol. 334.*) attribuit sanguini menstruo retento singularem aliquam virtutem fermentativam, quâ mammas ad generandum lac possit disponere; non autem, quòd ipsi lacti suggerat materiam.

Quæ, p. n. crassæ, non concipiunt, iis ab omento os uteri comprimitur, & non concipiunt, priusquam extenuantur. Hippocr. l. 5. aphorism. 46.

Quæ frigidos & densos uteros habent, non concipiunt; & quæ prahumidos uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in ipsis genitura; & quæ sicciores & æstuosos: alimenti namque defectu semen corrumpitur. At quæ ex utrisque moderatam habent temperiem, eæ fœcundæ sunt. l. 5. aph. 62.

Si mulier non concipiat, & scire velis, num conceptura sit, vestibus undique obvolutis, per inferna suffitum apponito. Quòd si videatur odor per corpus ad nares & os usque pervadere, non suâ culpâ sterilem esse scito. l. 5. aph. 59.

Suffitus aromatum muliebria ducit; ad alia verò multa utilis esset, nisi capitis gravitatem induceret. l. 5. aph. 28.

Mulieri sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus, fit solutio. l. 5. aph. 32.

Mulieri, deficientibus menstruis, sanguis è naribus profluens, bonum. l. 5. aph. 33.

Mulieri menses decolores, nec eodem semper tempore prodeuntes, purgationem necessariam esse significant. l. 5. aph. 36.

Si mulier nec prægnans, nec puerpera, lac habet, ei menstrua defecerunt. l. 5. aph. 39.

Mulieri si velis menstrua sistere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas apponito. l. 5. aph. 50.

In fluxu muliebri, si convulsio, aut animi defectio, superveniat, malum l. 5. aph. 56.

Menstruis immodicè fluentibus morbi fiunt; non autem fluentibus, ab utero morbi eveniunt. l. 5. aph. 57.

Mulier non laborat podagrâ, nisi ipsam menstrua defecerint. l. 6. aphor. 29.

Si leucophlegmatiâ detentæ, fortis diarrhœa supervenit, morbum solvit. l. 7. aphor. 29.

CAPUT II.

De Hysterica suffocatione, & Utero.

Uteri Ascensus.

RECtè negat Sennert. *l. 4. Pract. part. 1. sect. 2. c. 14. f. 90. Uterum ascendere* posse ultra diaphragma, ut globos in ventre faciat; prout vulgus credit: sed provenire, ait, vagos illos, in ventre, tumores à testibus aliâs pendulis, & vinculis eorundem relaxatis, ubi semine seroso & flatibus distenduntur: talemq; affectum mitiorem esse, quàm *Uteri suffocationem*; & in hoc differre, quòd absit sopor, delirium, metus, syncope, convulsio. Tumores verò vagos tales comitari compressionem præcordiorum, & spirandi difficultatem; cæteroquin esse indolentem.

Uteri suffocatio.

Id. *loc. cit. part. 2. sect. 1. cap. 4. fol. 128.* difficilè ait, causam reddere, *cur nonnullæ mulieres suaveolentia naribus objecta ferre non possint.* Arbitratur autem, fieri ex singulari sympathia, quam olfactus habet cum utero; & propterea materiam in utero vitiosam commoveri, per suavium odorum perceptionem, si quæ est in utero talis materia. Hinc non omnes Mulieres aver-

Odor suavis & teter quibus conveniat.

averſantur ſvaveolentia; ſed eæ, quibus uterus impurus eſt, & quæ ſunt ſuâ culpa ſteriles, & hyſtericis affectibus obnoxiæ. Eandem quæſtionem tractat Horſt. *Oper. Tom.* 1. *pag.* 70. *c. b. Quaſtion.* 5. & Conf. Ludov. Mercat. *de Mulier. affectib. libr.* 2. *cap.* 3. *pag.* 18. *Gynæc. Tom.* 4. Sed non promiſcuè omnibus Hyſtericis, præſertim convulſione vehementi, & epilepticis inſultibus tentatis *Fœtida* naribus objicienda; beneolentia verò inferioribus: ut rectè id disſvadet Horſt. *Op. Tom.* 2. *fol.* 285. quia *Fœtida* offendunt nervos & cerebrum; quod iis præſertim Mulieribus aliâs debile eſt, quæ in juventute convulſionibus fuerunt obnoxiæ. Sic obſervavit Horſt. *loc. cit. caſtoreum* naribus objectum offendiſſe; *moſchum* vero, & *ambram*, conduxiſſe. Atque hoc eſt, ex juvantibus & lædentibus materiam Medicam elicere. Idem, *Op. Tom.* 2. *p.* 482. in hoc affectu etiam *ambra* gr. v. cum *mag. corall.* intus exhibet; quod mulierculæ, nimis in his caſibus religioſæ, ſi ſcirent, non admitterent, veritæ, ne magis irritarent matricem. Hyſtericus ſuffitus. Ambra.

Quòd *Pragnantes* etiam poſſint *hyſtericis affectionibus* eſſe *obnoxia*, aſſerunt Riv. *Pr. f.* 318. & Horſtius, *Op. Tom.* 2. *p.* 275. qui per hiſtoriam idipſum teſtatur, gravidæque *præſcripſit Nodulum* naribus objiciendum ex *galbano, aſſa fœtid.* & *caſtoreo.* Ego quidem ſolo *caſtoreo* hîc contentus fuiſſem. Nota: ſi prægnans hyſterica eſſe poteſt; ſequitur, *uteri ſuffocationem* ab ejus *aſcenſu* non provenire: quia tunc ſuo pondere deprimitur, & neque aſcendere, neque loco moveri per ſe poteſt; ſed ſufficit, ſi vapores circa uterum, & vaſa ſpermatica, ſemine vel ſanguine corrupto turgentia, aſcendant: & ſic confirmatur ſententia Sennerti, de motu Uteri, *paulò antè* allegata. Mulier prægnans hyſterica.

Inter alia, quæ *Mulieres hyſtericas* moleſtant, *odor Roſarum* eſt, aliquando animi deliquia, convulſiones, & ipſam etiam mortem, inferens. Exemplum in Matrona Illuſtriſſima, Domina in Horn, Inf. Auſtriæ, quæ, ob pulchritudinis ſuæ præ- Roſa.

ſtantiam, totius Provinciæ formoſiſſima credebatur. Cùm illa partum felicem enixa eſſet, ſtrophiolum ab aſtante petiit, quo faciem ſudore madidam abſtergeret. Arripit per incuriam rogata ſtrophiolum, cui, pro more quorundam, *roſa* inſperſæ erant. Inde commota Matrona: Væ, inquit, mihi miſeræ! moriar; idque tuâ culpa, nequam, accidet; quo dicto, convulſionibus maximis correpta, paulò pòſt obiit, annis abhinc triginta aliquot.

Mulieres hyſtericas excitantia. Mulieres *hyſtericas* ſubitò à paroxyſmo excitat *fumus tabaci*, in faciem illis inſufflatus; item *ſuffitus ex verrucis*, quæ *tibiis equorum* adnaſcuntur; quæ ſi in calente furno exſiccentur, & in pulverem redigantur, ac narib9 Ægrarum inde *ſuffumigium* fiat, tanquam præſentaneo remedio, & magna adſtantium admiratione, hæ liberantur, teſte River. *Tom.2.p.314.* Auſtriacæ verò obſtetrices multum gloriantur de *Suffitu*, qui paratur ex *ſtercore columbarum rubrarum*, *flor. carthami*, *ſem. cumini*, *garyophyll. aſſa fœtida*, *cort. capar. rub.* partibus æqualibus, quibus lintea extra cubiculum ſuffiantur. Ejusque formulam ex libro Collectan. Comitiſſæ Vorgatſchin adſcripſi. Idem River. laudat *Clyſterem* injectum, ex *oxycrato* præparatum, qui hyſtericum paroxyſmum ſtatim cohibeat, vapores illum efficientes comprimendo & coagulando.

De *Venaſectione*, utrum ſcil. in ipſo paroxyſmo conveniat, River. citatus dubitat. Concludit tamen, in ſanguinis copiâ, & pulſu minùs languido, ſaphenam tali tundi poſſe; quod ego experientia didici, cùm ab imminente morte puellam Magdalenam, in aulâ Dominæ Comitiſſæ â Brandeis, per utriusq; pedis ſaphenam apertam, in ipſo paroxyſmo, præmiſſo clyſtere, liberavi.

Crocus. Mulieribus hyſtericis *Crocus* intrò ſumptus nonnunquam moleſtus eſt. Propterea bene monet Horſt. *Op. Tom. 2. pag. 398.*
Laud. opiat. ut in compoſitione *laudani opiati* pars ſine *croco* conſervetur, ut

tutiùs

tutiùs exhibeatur; quod sæpe ad miraculum usque ægras restituit. Sicut & *oleum stanni* umbilico hystericæ illitum, vel ad *gr. iij. pondere* intus propinatum, à Sennerto, *Libr. 4. Pract. fol. 241.* proponitur. De *Magisterio Jovis* in hunc usum vide Minficht, *p. 21, 22.* Vide & Schröder. *Pharmac. Med. Chym. libr. 3. cap. 14.* A Dan. Stolcio autem perpulchro carmine, apud Horst. *Oper. Tom. 2. fol. 503. Sal* ejusdem *Stanni*, sive *Jovis*, mirè prædicatur. Crato, *Epist. 279. f. 532.* pro singulari remedio laudat *julos*, sive *catulos, juglandis, ad* ℈ij. cum gutt. ij. *succini* exhibitos. Riverius, *l. supra cit.* duo efficacissima remedia, & à se pluries experta, proponit; quorum unum fit ex *secundina* primi partûs in camino exsiccata, & in pulverem redacta: cujus dosis est ʒj. in liquore idoneo, confestim liberans à paroxysmo: alterum conficitur ex duabus partibus *sulphuris*, & una parte *nucis moschatæ*, redactæ in pulverem, & ʒj. pondere exhibitæ. Ol. Stanni. Juli jugland.

Nonnulli *Castoreum*, utut appropriatum convulsioni remedium, tamen non admiscent *Clysteribus* in hoc affectu, atque hinc ortâ epilepsiâ, ne uterum magis turbent, & vapores ad superiora attollant. Horstius autem non videtur adeò aversari *castoreum*, uteri vicinitati applicatum. Quandoquidem *Oper. Tom. 2. pag. 283.* Mulieri, propter secundinas retentas, & ob alias causas, inflammationem uteri passæ, talem *Sacculum* extra applicavit, nihil metuens fœtorem castorei; quamvis ille tunc materiam utique copiosam præsentem in utero commovere, & sic hystericam passionem facilè inducere potuisset: Clyster. Castoreum.

℞. *Meliss.*	*sem. anis.*	Sacculus hystericus.
artemis.	*fœnic.* ana ʒj.	
matricar.	*baccar. laur.* ʒiß.	
flor. chamam. ana M. j.	*castorei* ʒß.	

M. & F. *Sacculus* cum *vino* coquendus. Cohibemus etiam vapores ascendentes, & testes in tumorem sublatos, nec non commotum uterum, applicatione *Emplastri ex galbano*, in cujus medium. Emplastrū uterinum.

dium ponimus gr. ij. vel iij. *moschi*; illudque paulò infra umbilicum applicamus; cavendo, ne sponte decidat, & sic odor moschi nares feriat. Vid. ap. Forest. *libr. 28. obs. 31. pag. 190.* & *ibid. obs. 32. pag. 199.* emplastrum pretii nimis intensi. Ad affectûs uterinos componitur etiam *Balsamus de Galbano, in Dispensatorio Augustano*, sub Titulo *Balsamum Galbanicum uterinum:* & est ipsum *Balsamum galbani terebinthinat.* Sennerti, *in Institutionib. Medic. pag. 1494. c. a.*

Moschi historia.

Quia *Moschi* mentio hîc sæpe fit, placet, ejus Historiam afferre ex Joann. Kellner, S. R. I. Judicii Prætoris Francofurtensis, **in seinem verteutschten Buch der Beschreibung des Königreichs China**, *fol.* 12. ubi dicit, *Moschum* provenire ab animali formam Vulpis habente; quod verberibus tamdiu tractatur, donec moriatur; cavendo, ne sanguinem profundat. Propterea obturant omnes meatûs cutis, & tamdiu animal percutiunt & contundunt, usquedum omnia ossa comminuantur; tandem exiccant, inque frusta concidunt: & sic omnis substantia in *moschum* suâ natura convertitur, & in cutis particulis conservatur. Quod ideò verisimile videtur, quia tales particulæ capillatæ cutis, *moscho* repletæ, ad nos perferuntur. **Mit den Bisenhäutlein verkaufft man den Bisem.** Vidi ego Frisingæ Bavarorum, in horto Aulico, animalculum ex India transportatum, de quo, ut ferebatur, *Moschus* depromitur; non autem illud Vulpis, sed Hinnuli Cervorum, speciem habebat. Iterum aliter sentit Matthiolus de origine *Moschi*, apud Weckerum, *in Antid. special. fol.* 153. Vide etiam Bodinum, *in Theatri nat. l. 3. fol.* 144. & Maphejum, *l. 6. Hist. Indic. fol.* 109. Hoc certum est de *Moscho*, illud solâ fragrantiæ excellentiâ dignosci posse. Tot enim fraudulentorum hominum sunt deceptiones, ut neque sapor, neque color, neque gravitas vel levitas, soliditas vel friabilitas, &c. dolum detegere sufffficienter possint.

Martin.

Martin. Zeilerus, *in Itinerario Italiæ, f. 115.* dum Florentinum thesaurum describit, confundit animalia *Moschum* & *Zibeth* proferentia, sed malè, his verbis: Man hält darinnen eine grosse Zibeth/ oder Bisemkatz/ die etwas grösser/ doch in Gestalt einer Katzen/ mit grossen Augen. Ihr Speiß ist Eyr und rohes Fleisch/ von der alle vier Tag hinten einer Haselnuß groß Biesem (Zibettum voluit scribere) genommen wird.

Ambra grisea colligitur circa maris alveos, & fontes. Est medicamentum cephalicum & cordiale præstantissimum: odorata tamen ante vinum ebrietatem promovet; cum vino, & plus justo sumpta, auget, & caput gravat: teste Schönborn. in *Man. Med. Pract. f. 24. sub. Titul. Capiti nociva.* A gr. j. ad iij. cum *saccharo rosato* pulverisato datur; vel *vino* etiam infusa: quomodo etiam præservat à Peste. Horst. *Oper. Tom. 3. p. 188. c. 6.* Aliàs difficulter dissolvitur, aut in pulverem teritur, nisi cum aliis mixta, v. g. cum oleo aliquo destillato, vel cum sacchàro; quod Pharmacopœi norunt: sed si cum oleo, vel aliquo odorifero, misceatur, omnem perdit odorem: quia odor ejus subtilis est & volatilis, & facilè à quocunque odorifero obscuratur. Ambræ historia.

Per ambram citrinam verò intelligitur succinum, electrum, carabe: Germ. Agdstein / Gentar / Bernstein.

Hæc tria: *Moschus, Zibeth, Ambra,* simul composita, uteróque subdita, mirabiliter uterum recreant, Venerem stimulant, & mulieres fœcundas reddunt.

Porrò, de *Uteri constitutione* admirandâ, Sennert. *L. 4. Pract. fol. 52.* notat, eum, pro fœtus magnitudine, in immensum extendi, & rursus contrahi posse, ut in non prægantibus minimam cucurbitulam æquet. Contrahitur autem post partum plerunque quindecim dierum spatio. Unde subsumitur, mulierem tunc sine noxa Venerem exercere & perferre posse; quod mulierculæ assistentes, die Bschnerin / vel Kellerin / probè norunt, & fortè maritis nonnunquam ipsæ ansam præbent, maturiùs accedendi; ut honorarium aliquod reportent. Uteri constitutio.

Hymen virgineum an detur.

Wierus, *fol. 108.* docet, *hymen* in Virginibus reverà dari, id est, membranam supra insertionem colli vesicæ, claudentem muliebrem sinum, in medio foramen habentem, ut menstrua exeant. Anatomici verò plerique id pernegant, & existimant, naturalem quandam esse angustiam, ex adnatis caruncùlis genitam, quæ in corruptis sensim dilatetur. De hac quæstione vide etiam, præter Sennert. *libr. 4. Pract. pag. 108. 109.* Severini Pinei, Regii Chirurgi Medici, *libellum* doctissimum, *de Notis Virginitatis*: in quo diligentissimè hæc pertractantur.

Uteri flatus.

Continentur nonnunquam *Flatûs* in Utero, quemadmodum in aliis corporis partibus, cum magno mulieris cruciatu; quin & inter crepitûs ani quandoque erumpunt, ut ab astantibus audiri possint. Tunc per inferna fiat *Suffitus* ex *nuce moschata*, præsentaneo auxilio: teste Solenandro, ap. River. *fol. 361.*

Venus in homin.

Manifestum certè est, Deum & naturam, in exercendâ Venere (loquor de ea, quæ Christianis legibus concessa est) plurimum indulsisse homini, proculdubio ad solatium, nec non ærumnarum plurimarum oblivionem, & ad firmiorem inter conjuges nexum. Neque enim animalia reliqua, quæ semel conceperunt, marem ulteriùs admittunt, neque ipsi mares prægnantem appetunt. Sola mulier gravida à mare non abstinet, neque ab ipso repellitur. Quin & majorem sentiunt

Coitus.

prægnantes voluptatem, & coitu magis delectantur, quàm non gravidæ: cujus rei ratio habetur apud Laur. *in Anat. f. 270.* *Habent*, inquit, *mulieres duos processûs à testibus: unus terminatur in uteri fundum, & est brevior: per hunc, cùm non est gravida, effundit semen: alter terminatur in cervicem uteri, & est longior, per quem mulier gravida semen effundit. Quia autem hic processus longior est, ideò major etiam delectatio. Hic in mulieribus gravidis multò est amplior; in non gravidis vix est conspicuus.* Natura autem ideò geminos construxit, ut semen in gravida suum habeat exitum, & non debeat in fundum uteri deponi, ut fœtum lædat.

Simi-

Similem fere naturæ providentiam spectare licet in *Venis uteri*, *per quas sanguis menstruus excernitur.* Sunt enim Mulieres quædam plethoricæ, quæ, etsi tribus, quatuórve mensibus sint *gravidæ*, nihilominus, donec fœtus grandior copiosiore alimento indigeat, sanguinem statis periodis effundunt; non verò per consvetas vias, ex uteri fundo, vel lateribus, ne fœtus suffocetur; sed *per venas uteri cervici insertas.* Atque hoc est, quod Mulieres, de conceptionis signis, & tempore, tam crebrò facit incertas: quando scil. à repressis mensibus computationem instituunt, & sic quoque Medicos fallunt, qui, pro consvetudine, Venæ sectiones & Purgationes, non sine periculo abortûs, administrant. Menses in Gravida. Conceptionis tempus.

Uterus aliquando, ob partum difficilem, aliàmve causam violentam, *procidit.* Huic Guil. Fabric. *fol. 335.* indit *Globulum* ex *subere* factum, ad magnitudinem & formam ovi gallinacei, jubetque continuò gestari, filo alligatum, ut extrahi possit, si necesse est. Inungit autem tali *Cerato* globum: Uteri prolapsus. Globus ceratus.

℞. *Ceræ novæ* ℥j.	*pulv. myrtill.*
colophon.	*balaust.*
gum. elemi, an. ℥iiß.	*rad. consol. ma.* an. ℈j.
terebinth. ℈iiij.	*mastich.*
pulv. rosar. odor.	*olibani*, an. ℈iiij.

M. cum *oleo rosar.* F. *Ceratum.* Facit etiam *Sacculos* intersutos ex astringentibus, *fol. seq.* Crato, *Consil. 363. pag. 1008.* hoc proponit: ℞. *Tantum pinguedinis, quantum pro frigendo ovo satis est, ovum infunde, & torre, donec livescat, pinguedinem elue aquâ, elota adde pulv. nucis mosch. unius. Medium impone putamini ovi, vel nucis juglandis, & applica umbilico*, repetendo, si evanuerit, vel exiccatum fuerit, sæpius. *Bardanæ majoris, sive Personatæ folium* matricem sursum tollere, si summo capite gestetur, habet Schönborn. *Manual. Prax. Med. fol. 226.* A Jonston. laudatur suffitus ex *pelle anguillæ salitæ, fumo exiccatæ & pulverisatæ, l. 10. f. 640.* Remedia singularia.

In ulcere verò colli uterini, ex coitu laborioso & violento, utitur Guilh. Fabric. *fol. 576.* nullis pinguibus, sed *mucilagin. semi. cydonior.* cum *aq. plantag.* & *rosar. tutiâ præp. cerussâ*, C.C.

Uteri Gangræna mentionem facit Guilh. Fabric apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 223.* Ibidem nihil aliud remedii proponit, in affectu planè difficili, & vix curabili, quàm *Aquam ordinariam*, *in summis doloribus* potandam, quæ Gangræna.

℞. *Herb. agrim.*	*liquiritiæ* ℥j.
veronicæ, ana M. j.	*aq. fontis* ℔ix.
ficuum ℥iiij.	Coq. ad tertias.

Aqua ordina.

Vino, & *piperatis*, omnino interdicit, & maximo cum fructu, in mensa, *Jusculæ* ex *avena decorticata*, cum *butyro*, proponit. Vide ipsius *Cent.* & conjunge, quæ Sennert. & alii, habent. Affectus, inquam, gravis est, & ob id multò gravior, quia tardè se insinuat, neque per signa certa facilè innotescit, intus obscurè latet, ob pudorem diu supprimitur, & omnis generis morbos mentitur.

Hoc ipsum experta est Illustr. Matrona quædam Moravica, quæ, per longos & crudelissimos *Uteri dolores*, nullâ arte placabiles, exhausta, & à morbo victa, Ann. 1655. obiit. Huic post mortem uteri particulæ putridæ partim sponte exciderunt, partim per astantis mulieris manûs fuerunt exemtæ. Et sic demum morbus innotuit; qui fortè manu Chirurgicâ tolli maturè potuisset. Siquidem multæ testantur Historiæ, mulieres *exemto utero diutius supervixisse.* Vide Francisc. Roussetum, *de partu Cæsareo.* Dolor. Uterus exemptus.

Provenire autem Uteri dolores interdum ex *grumo sanguinis*, in uteri cavitate hærente, & tum sanguinis fluxum copiosum ex utero processisse, dolorem fixum esse, & maximè circa orificium uteri percipi, habet Jonston. *l. 10. fol. 644.* Dolores.

Inflammatio ejus à proprietate sistitur *decocto serpilli*, *cum aqua chalybeatâ* parato, si extrinsecus cum spongiis applicetur. Jonston. *l. 10. fol. 636.* Uteri inflammatio.

De *Uteri coalitu* vid. Wierus, *Observation. fol. 105.* ubi *Turundam* proponit, ne caro abscissa iterum coalescat, ex spongia, quæ ceram liquefactam imbiberit, dein brevi extrahendam, ne comburatur. Sic licebit pro usu commodo efformare Turundam, ad plures usus utilem, ubi coalitus impediendus est: ut in ano, in naribus, &c.

Phyma, Tuberculum furunculo simile, sed rotundius & planius, Uteri cervici interdum adnascitur: quod, si manibus apprehendi potest, exscindatur ex meo consilio, ut adnatus digitus; vel serico forti ligetur, indiesque magis constringatur, auctore Wiero, *fol. mihi 1101.*

Mulieri hysterica, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens, bonum. Hipp. l. 5. aph. 35.

Quibus os uteri durum est, iis connivere necesse est. l. 5. aph. 54.

Ad intestini recti, & uteri, inflammmtionem, purulentosque renes, stranguria supervenit. l. 5. aph. 58.

Si prægnanti purgationes prodeant, fœtus ut bene valeat, fieri non potest. l. 5. aph. 60.

Si in coxam decumbens uterus fuerit suppuratus, emmotis curari necesse est. l. 5. aph. 47.

Quibus mulieribus sanguis ad mammas in tumorem colligitur, furorem significat. l. 5. aph. 40.

CAPUT

Caput III.

De iis, quæ Ante partum *accidunt.*

Hoc, inquit Sennert. *L. 4. Pract. part. 2. sect. 5. cap. 1. f. 354. nonnulli pro certo* Conceptionis signo *habent: si urina fœmina, in vitro bene clauso, per triduum conservetur (addunt quidam, ad radios Solis) & postea per linteolum rarum coletur; apparere vermiculos quosdam, pediculorum instar, si mulier sit gravida.* Aliud ab Obstetrice non vulgari exhibetur *Signum impregnationis:* Si mulier, antequam cubitum eat, in pelvim æneam, ubi acûs Hispanicæ impositæ sunt, *Urinam* mittat, & acûs inde inficiantur maculis quibusdam albis: si verò acûs non conspergantur similibus maculis, judica, mulierem non esse gravidam. Sed in utroque signo ratio desideratur. Propterea ad Experientiam confugiendum, quæ, si justa est, meritò rationi hîc vacillanti præfertur; juxta dictum Aristotelis, *8. Phys. tex. 22. Relinquere sensum propter rationem, est imbecillitas quædam intellectus.* Neque ex *Urinis*, ut ut constitutis, imprægnationis signum, vel conjecturale, haberi potest. Certiora docet Hipp. *aph. 41. & 61. lib. 5.* Conceptionis signa. Incerta.

Quòd *Prægnantes liceat, si necessitas requirat, medicamentis Purgantibus evacuare*, dictum est *supra*; scilicet secundùm Hippocrat. *l. 4. aph. 1.* si materia turgeat, quadrimestres, & ad septimum usque mensem; sed has minùs: junioribus verò, & senioribus, abstinendum. Et, si in cacochymicis, in hoc genere valde religiosis, omittatur, mirum videri non debet, si statim à puerperio in morbos graviores incidant puerperæ, præsertim si non bene & copiosè per uterum sponte purgentur. Sanguis enim, & vitiosi humores, qui per gestationis tempus cumulati sunt, ad venas majores regurgitant, ibique putrescunt, & interdum ad viscera feruntur: hinc morbi quamplurimi: quod insinuat River. *Tom. 2. pag. 437.* Purgatio.

Sic

Sic Horst. quoque pro *Gravida Claretum laxativum* tale præscripsit: *Oper. Tom. 2. p. 284.*

Claretum lax.

℞. *Fol. sen. el.* ℥j.	*sem. anisi* ʒß.
rhabarb. ʒij.	*Zedoar.*
agarici ʒß.	*sassafras*, ana ℈j.
herb. card. bened.	*sacch. cand. alb.* ℥iij.
absinth. ana p. 1.	*vini albi* ℔vj.
sem. carth. ʒß.	F. Infus. horis 24. in loco cal.

pòst per manicam Hipp. coletur aliquoties: cujus Dosis ad ℥v. Addi etiam potest aliquis *Syr. purgans*, cum *crem. tart.*

Cassia & diuretica prægnantibus non exhibenda.

Ubi notandum, *Cassiam* prægnantibus non exhibendam, ut & pleraque *diuretica*; quia, ob vicinitatem uteri cum vesica, quam ad expellendum solicitant, multum obesse possunt: adeò, ut malè asserat Schönborn. *in Manual. Med. Pract.* cassiam prægnantibus esse utilem.

V.S. in gravidis.

Communis jam, in Gallia & Germania præsertim, introducta est consvetudo, ut *Prægnantibus*, contra legem Hippocraticam, *mittatur sanguis medio gestationis tempore*, ex *Salvatella*, vel *Cephalica*, alterutrius manûs. Hoc, ubi sanguinis copia adest, ne fœtus suffocetur, transire posset: sed promiscuè, si non omnes, saltem pleræque, nullâ habitâ ratione plethoræ, Chirurgiam hanc sustinent. Quin & Viennæ, inter Matronas præcipuas, novus mos, nescio quo dictante Medico, vel Obstetrice, invaluit, ut, præter hanc ordinariam quasi Venæsectionem, *paucis ante partum diebus*, adhuc aliam instituant: & sic, ajunt, facilitari partum. Ne autem nutrimentum fœtui satis grandi subtrahant, parcissime sanguinem, & vix ad unciam unam, emittunt, ventilationis potiùs, quàm evacuationis gratiâ: Eine Lufftlässe. Aliter se res habet in plethorâ, vel morbis prægnantium acutis. Tunc enim nullus præscribitur terminus V. S. Sicut notatu dignam rei affert historiam River. *fol. 395.* de muliere, ob copiam sanguinis ter abortum passâ, quæ cùm quartâ vice conciperet,

& circa

& circa finem secundi mensis iisdem caperetur doloribus, & abortûs signis, Riverii consilio, ad uncias quatuor sanguinis emisit, & spatio dimidiæ horæ optimè habuit, donec finis tertii mensis, &, unâ cum illo, dolores antiqui redirent, circa illud nimirum tempus, quo aliàs menses pateretur. Repetiit itaque non solùm tunc, sed & usque ad finem octavi mensis, plethorâ sic urgente, venæsectionem, & conservavit fœtum masculum ad justum tempus; qui absque V.S. unâ cum turgente, per consuetas vias vergente, sanguine immaturè fuisset ejectus.

Mutuarunt fortè Medici hi venæsectionis usum, in mulieribus partui vicinis, à loco Hipp. *l. 1. de morb. Mulier. ap. Riolanum, fol. 90*, ubi ait, si prægnans parere non possit, venas pedis secare oportet in malleolis; si juvenis, in vigore, & multo sanguine referta fuerit: virium tamen respectu semper habito. Hinc quoque Joh. Claudius de la Courvee &c. *Paradoxor. de nutrit. fœtûs in utero, pag. 249.* pro singulari curâ fœtûs in utero laudat venæsectionem, & inclinat in apertionem venæ, instante partu, ut is facilitetur, dum ipse mulieri, difficilem partum habenti (tres enim dies in doloribus fuit) venæsectionem suasit, quæ unâ horâ post sanguinis detractionem feliciter peperit vivam & vividam filiam. Idem scribit, *pag. supra citat.* Quid ampliùs dicam ad commendationem hujusce remedii planè divini ad omnia mala, quæ gravidis puerperisque accidunt? Fieri scilicet illa propterea, quòd hoc remedium nunquam satis laudatum nec opportunè unquam, nec debitè celebretur. Non enim solùm plethoræ præservandæ, sed etiam cacochymiæ, (quod multis erit parodoxon) vitandæ gratiâ, celebratur in gravidis Venæsectio. Hujus paradoxi veritas elucescet nostra hâc vel novâ, vel renovatâ sententiâ. Nam alimentum, quod decidit ab utero fœtui, ab arteriis omne decidit, estque totum spirituosum: & consequenter, qui restat matri sanguis, minùs spirituosus est, sed impurus & cacochymicus. Hoc usque adeò

guinis profluvium, necessariò debent adhuc magis debilitari: & sic duplicatur morbus; vel ipsis Mulierculis attestantibus, quæ *malunt, decies parere, quàm semel abortire.* Propterea quæstio illa; *utrum præstet, matrem conservare, vel fœtum*, omnino vana est, & nunquam stat in nostra potestate, alterutrum, cum alterius interitu, conservare. Sic Flavius Domitianus, XII. Cæsar. Rom. cùm fratris sui Titi, etiam Cæsaris, filiam impraegnasset, & ei, ut fœtum præmaturè excuteret, persvasisset, matrem quoque ipsam interemit, quamvis aliâs bene valentem: teste Abr. Osmanno, Laubanense Historico, *de El. & Cor. Cæs.* 94. ex Svetonio.

Quia ergo Mulieribus tam difficilis & periculosus est *Abortus*, in *causas* ejus plerunque satis abditas diligenter inquirendum, ut iis ablatis abortus præcaveatur. Inter alias abortûs *causas*, recensetur ab Obstetrice Gallica, *part. 2. fol. 42. humor serosus*, in *toto corpore*, & præsertim *circa uterum*, collectus. Talibus, ipsâ referente, gestationis tempore ordinavit D. Ponsons, Prof. Paris. præter *Decoctum Chinæ*, & *sarsapar.* hos *Morsellos*: Abortûs causæ.

℞. *Santal. citr.*	*corall. pp.*
macis,	*fol. sen.* ana gr. xxv.
rhabarb.	*facch.* q. s.
margar. pp.	F. *Conf.* in *Morsulis*: capiat ℥iij.

Morsuli contra abortum.

singulis septimanis bis, à tempore certæ impraegnationis, ad partum usque.

Non solùm autem abundans in corpore *Serum* causa est abortûs; sed plurimorum etiam aliorum morborum. Atque propterea, tanquam elegantissimus, liber Caroli Pisonis, *de morbis ex illuvie serosa* oriundis, non immeritò commendatur ab Horst. *Op. Tom. 2. p. 414.* Et sanè plurimorum morborum causam consistere in *Sero*, ipsa docet experientia, per purgationum effectûs ordinarios. Tunc enim *Purgatio feliciter instituta* est, quando in fecibus crassioribus, sive biliosæ, sive pituitosæ, sive melancho- Serum. Purgatio sufficiens quando.

 licæ

licæ intelligantur, non subsistit, sed eousque progreditur, donec *serosi* secessus aliquot, plerunque acres, & sine singulari fœtore, urinæ instar, deponantur. *Exemplum* unum, præter quotidiana plurima, sic feliciter institutæ purgationis, quondam in Sup. Aust. propè Lyncium, exhibuit R. & Doct. Parochus in Ansfelden, D. Abrahamus Rab &c. qui, cùm diu variis, & quidem satis intensis, laboraret symptomatibus melancholiæ hypochondriacæ, & ab alio timidiore aliquoties purgaretur superficietenùs, tandem à me in curam susceptus, unicâ sic evacuante *purgatione*, à dictis symptomatibus liberatus, & diu postea meliori valetudine usus est, etiam nunc superstes. Propterea rectè dicit Hipp. *l. 1. aph. 23. Quæ vacuando prodeunt, multitudine non sunt æstimanda, sed, si prodeant, qualia oportet, & facilè ferat æger. Atque ubi ad animi deliquium usque ducere convenit, faciendum hoc est: si tamen ægrotus par esse possit.*

Abortum præcavētia: Magnes: Lapis Ætites.

Abortum præcavet jam imminentem *Magnes* in manu gestatus, vel umbilico appositus: brachio verò alligatus, vel sub axilla portatus, *lapis Aquilæ*. Idem præstat *lapis*, qui *in utero Cervæ* aliquando reperitur, vel *corallium*, *Jaspis*, *Smaragdus*, *Adamas*. Sennert. *L. 4. Pract. part. 2. sect. 6. cap. 2. f. 408.* Item hæc *Mixtura:*

Symptomata gravidarum.

℞. *Fol. auri* num. 12. *gallatur. ovor.* num. iij.
spodii ʒj. vel ʒij. Misce cum cyatho dimidio *vini albi*,
& detur manè per triduum. Eodem tempore
℞. *Thuris masculi pulv.* ℥ij. *album ovor.* num. 5.

agitatis continuò super prunas, adde parum *terebinth*, & applicetur umbilico, cum stupis, calidè, Riverio authore, *Pr. Tom. 2 f. 410.* Aretæus testatur, *ap. Eundem, Tom. 2. f. 403.* nullam se vidisse mulierem abortientem, & convulsionibus tentatam, evasisse. Ratio esse potest humorum circa uterū, & fœtum interdum ipsum, contracta corruptio, & malignitas, nervis inimicissima, ipsi denique cordi communicata. Quemadmodum videmus, secundi-

cundinarum etiam particulam retentam, & ex suâ naturâ citò putrescentem, gravissimos affectûs, & ipsam etiam mortem, nisi ocyùs excernatur, generare.

In *Malacia*, seu *Pica*, an similia humori incitanti appetantur, vel dissimilia, disputatur inter Medicos: & quidem ideò, ut humoris, tanquam causæ, qualitas indagari, & cura aptiùs institui possit. Jonstonus, *l. 10. Prax. f. 497.* in principio, ait, dum causæ adhuc alterant, contrariarum rerum cupiditas excitatur: quando verò longâ consuetudine familiaritas est contracta, similia efflagitantur. Quomodo autem subsistere possit hæc sententia, videantur Sennert. *Lib. 3. Prax. cap. de Pica:* Rondeletius, & Lud. Mercatus, *de intern. corp. morb. curat. l. 3. cap. 3.* & alii. Pica.

Quæ prægnantes *Absurda appetunt*, hauriant *succum è tenellis vitis foliis expressum*, vel *solum*, vel cum *miva cydoniorum*; vel *aquam mense Majo è foliis Vitis destillatam.* Id. *f. 369.* Malacia.

Vomunt prægnantes aliquando ad medium gestationis tempus; quia fœtus puriorem sanguinis partem attrahit, in visceribus relictis cruditatibus; quæ ex singulari naturæ providentia ad ventriculum ablegantur, & ex eo per *vomitum* rejiciuntur. Tales prægnantes plerunque habent *fœtûs pulcherrimos*, quia nutriuntur per vomitum depuratâ sanguinis materiâ. Temerè autem hic Vomitus *sistendus non* est, sed vel sinendus, vel strictissimâ diæta sensim corrigendus. Proponit Obstetrix Gallica, *L. 4. f. 55.* hîc *Tabulam ex ebore gestatam, à collo dependentem, ut ventriculum attingat:* quæ, ut securum remedium, concedi potest. Vomitus: non sistentus.

Ob eandem fere causam ipsis Prægnantibus contingit *Dolor Dentium*, propter corruptos vapores è ventriculo ascendentes: teste Crat. *L. 5. f. 37.* at qui per applicata dentibus remedia non tollitur, sed ablatâ causâ. Corrumpuntur autem humores, ut proximè annotatum, ideò, quia fœtus subtiliorem san- Dentium dolor.

 guinis

Facies pallida. Pica. guinis partem ad se attrahit. Hinc mulieres gravidæ *Pallent*, similes fiunt cachecticis, varia & absurda appetunt &c. quod tamen de iis potissimùm intelligi debet, quæ aliâs sunt cacochymicæ, vel inordinatioris diætæ. Aliâs inclementiùs de natura provida dictum esset, quasi nullam sineret mulierem gravidam bene valere: quod nec bestiis denegavit.

Pallorem autem in gravidis provenire arbitratur Jo. Claud. de la Courvée, *Paradox. de Nutritione fat. in Utero, fol. 251.* quia ex materno sanguine amica in uterum depluat serositas, pro fœtûs nutrimento, remanente, pro mulieris nutritione, deteriore. Propterea ita suadet prægnantibus venæsectionem, non tam plethoræ, quàm cacochymiæ ipsius respectu.

Spasmus. Hinc quoque Mulieres gravidæ *Spasmo* molestantur: quando scil. ob caloris nativi penuriam, fit recursus ejusdem ad nobiliora membra, & serum, in artuum musculis relictum, ebullit, & in flatûs convertitur: quod symptoma *Parturientibus* etiam valde molestum est. Potest enim dolor ille dolores partûs pervertere, & ita exeuntem fœtum impedire: qui enim dolor major est, alterum obscurat.

Remedia. Remedium esto *oleum lauri* calidè inunctum, vel, ex Cratone, *l. 5. fol. 340. folia tiliæ contusa*, cum vino cocta, & apposita: fricentur quoque pedes *Spiritu vini*; vel *furfures* madefiant *vino Hispanico*, & applicentur pedibus: Helidæo Autore, *Consil. p. 34.* Idem habet Phil. Jac. Sachs. *in sua Ampelographia, fol. 408.*

Casus: Concussio. Ubi metus est abortûs, propter *Concussionem, contusionem*, vel *Casum* ventris inferioris, gravidam dispone in lectum, ut quiescat, & singulis diebus manè exhibe, cum *ovo recenti cocto*, *Gallaturas N. 7.* vel *8.* cum *serico Carmasino, ad* ℈j. *inciso minutissimè*; vel tantundem *granorum chermes*. Ventri autem, pro *confortando Fœtu*, impone *Sacculum è foliis cupressi, majoranæ, rorismar.* in *vino* & *aq.* coctis. Sic conservabitur fœtus ad justum pariendi tem-

Fœtum confortantia.

di tempus. Obstetrix Gallica, *cit. part. 1. fol. 49.* ubi paulò pòst in eund. finem idoneum etiam *Emplastrum* invenies.

Si dubitas, *fœtus ne vivus* sit, an *mortuus*, comminue *majoranam* digitis, & umbilico matris admove: *vivus* statim movebitur. Eadem, *part. 4. f. 40.* *Mortui* fœtûs in utero latentis signa, & illius artificiosam extractionem, tradit D. Eysselmenger/ apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 293.* Mulieris color est cachecticus, anhelitus gravis, olens, ardor stomachi, capitis & oculorum dolores, deliquia animi frequentia, epilepticæ convulsiones, ventris moles aucta, ejusdem ad tactum frigiditas, præcedens aliquando his omnibus magna hæmorrhagia &c. Atque hæc spectant ad *Examina* quoque *Obstetricum*. an Fœtus vivus: an Mortuus.

Andr. Laurentius, *in Anat. f. 102.* & *f. 221.* parum *ante partum*, ait, nonnunquam Mulieribus contingere, ut, loco *urinæ*, emittant *lac*: ubi scil. propter sanguinis affluentis copiam, mammæ turgent; & plus recipere non possunt, refluit sanguis jamjam in lac conversus, & in via nihil alteratus, per certas venas, ad uterum & vesicam: quomodo autem hoc fiat, & quales illæ sint venæ, ulteriùs non explicat. Quid de tali urinâ habeat Joh. Dan. Horst. vid. in ipsius *Decad. Epist.* hinc inde, de nutritione embryonis per lac in utero: ex quâ doctrinâ melior lacteæ urinæ elucescet: si vera est. Urina lactea.

Imprægnationem veram mentitur Conceptus falsus, *Mola* dictus: de qua disputant Medici: *utrum mulier viro non usa, vidua, vel virgo, Molam concipere possit?* quod Plutarchus voluit. Et Deusingius, *in parergis, num. 8. fol. 620.* vult, Molam non nasci ex semine: neque, ob solam ejus generationem, pudicitiam alicujus fœminæ temerè in dubium esse vocandam. His quoq; adstipulatur Gordonius, scribens, *f. 809*, generari molam, cùm multitudo seminis calidi currit ad matricem, cum carentia seminis virilis. Jonstonus quoque hoc ipsum, confirmat *cap. proprio Idea Med. pract. pag. 66.* dum, *in definition.* inclinat, Mola.

molam

molam fieri conjuncto utroque semine; sed statim, *altero folio*, insinuat, causam molæ etiam esse posse vitium seminis fœminini, separatim cum sanguine juncti; & tum molas esse planè rudes, &, aëri diutius expositas, in aqueam liquefactas solvi substantiam. Negat tamen, tale quid in virginibus fieri posse, quia semen ipsorum debile sanguinem ad conformationem non attrahat: tum quia ipse sanguis, ob angustiora vasa, vel insvetudinem, non affluit. Videtur Guilh. Fabric. *f. 436.* inclinare in Affirmativam; ubi meminit honestæ cujusdam viduæ Molam gestantis. Consentit Levinus Lemnius, ap. Horst. *Op. Tom. 2. p. 293.* & *Tom. 3. p. 100.* Quod equidem vero consentaneum esse existimo. Siquidem, ad aliquam rudem & indigestam molem formandam, fœmineum semen non tam materiæ, quàm formæ, vices agens, per imaginationem noctu in uterum injectum, & reservatum, affluente sanguinis menstrui tantillo, sufficere planè videtur; quod sensim, utero clauso, vim formatricem calore suo naturali non parum fovente, crescit; etsi rarissimè contingat. Contradicit quidem huic nostræ opinioni, *in Anat. f. 301.* etiam Andr. Laurent. quem vide, &, si rationes ejus validæ satis videntur, sequere. Ego verò hîc non muto sententiam, nisi aliter edoctus: præsertim cùm & præallegatis Autoritatibus satis probetur mea sententia.

Joann. Claudius de la Courvée, Reginæ Poloniæ Medicus, *in libr. de Nutritione fœtûs in uter. fol. 178.* negat, veri conceptûs principia esse semen, nec etiam sanguinem menstruum: sed per totum librum non decernit, qualia ergo sint principia. Et *fol. 18.* putat, molam eodem modo generari (sine affluxu sanguinis menstrui) ut verus conceptus; nisi quòd interveniat error externus, tunicæ amnios ruptura v. g. unde alimentis confusio, & perversa conceptûs formatio. Quæ nec ipsa veritati minùs videntur consentanea.

Exem-

Exemplum *Molæ* ingentis, feliciter à se *curatæ*, profert Lotichius, *Obs. Med. fol. 464.* & seq. quæ tandem, post plurima remedia, sensim, & absque virium jactura, evanuit (scil. ut conglomerata nix in aqua tepida sensim liquescit) juxta Autoris historiam. Quæ si quis vel parum accuratè legerit, jurabit, nec parvam fuisse Molam, nedum ingentem; sed Ægræ ventrem intumuisse, vel ob principium hydropis; de quo ipse Autor dubitat: vel ob retentos menses. Neque enim Mola sic, ut putat Lotichius, evanescit, sed vel integra, informis carnis instar, quæ fibris & venulis intertexta est candicantibus & confusis, vel frustatim ejicitur, & non in liquorem, sanguinem menstruum æmulantem, resolvitur.

Mulieres gravidæ parturientibus assistere non debent, ne fœtibus suis nævum imprimant vel ex imaginatione, vel ex *Fœtore* tunc *noxio*. Exemplum vide apud Horst, *Op. Tom. 2. pag. 554.* ubi ex Sigism. Schnizero narrat, puellam, cæteroqui sanam, *odorem* spirasse *cadaveris*. Is cùm causam requireret ab Andr. Libavio, responsum tulit; per idiosincrasiam contraxisse *fætorem* illum in utero, matre forsitan apud parturientem nimis copiosè per nares Fœtorem secundinarum intra se contrahente. Hinc Germanis cessit in Observationem, legis instar: **Schwangere Weiber gehören nicht zu denen gebärenden.** Aliam insuper allegat causam probabilem; puellam hanc fortè, dum matri menses fluerent, & tunc, more nonnullarum, mater *fæteret*, commoto scil. sanguine cacochymico, & exhalationes nescio quales emittente, conceptam esse. Fœtor noxius.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre superveniente, cibiq; fastidium accidat, prægnantem esse judicato. Hipp. l. 5. aph. 61.

Si nosse velis, an mulier conceperit, dormitura aquam mulsam potui dato, & si ventris tormina patiatur, concepit; sin minùs, non concepit. l. 5. aph. 41.

Prægnantes sunt medicandæ, si materia turgeat, quadrimestres, & ad septimum usque mensem; sed hæ minùs. Junioribus & senioribus abstinendum. l. 4. aph. 1.

Mulier utero gerenes venâ sectâ abortit; eoq; magis, si fœtus est grandior. l. 5. aph. 31.

Mulierem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi, lethale. l. 5. aph. 30.

Mulieri gravidæ si multum profluat alvus, periculum est, ne abortiat. l. 5. aph. 34.

Si mulieri prægnanti mammæ subitò extenuentur, abortit. l. 5. aphor. 37.

Mulieri geminos ferenti si mamma altera extenuetur, alterum abortit. Et quidem, si dextra extenuetur, marem; si sinistra, fœminam. l. 5. aph. 38.

Mulier gravida, si marem gerit, coloratior est; sin fœminam, decolor. l. 5. aph. 42.

Si gravidæ mulieri in utero erysipelas fiat, lethale. l. 5. aph. 43.

Quæ præter naturam tenues utero gerunt, abortiunt secundo mense, donec habitiores fiant. l. 5. aph. 44.

Quæcunque mediocriter corpulentæ abortum faciunt secundo tertiòve mense, citra manifestam causam, iis acetabula mucoris plena sunt, nec præ pondere fœtum continere possunt, sed abrumpuntur. l. 5. aph. 45.

Fœtûs, mares quidem uteri parte dextra, fœminæ sinistrâ magis gestantur. l. 5. aph. 48.

Quæ utero gerunt, iis os uteri connivet. l. 5. aph. 51.

Mulieri gravidæ, si lac copiosum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat: quod si mammæ fuerint solidæ, fœtum saniorem significat. l. 5. aph. 52.

Quæ fœtûs sunt corruptura, iis mammæ extenuantur; si verò rursus duræ fiant, dolor erit aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non abortiunt. l. 5. aph. 53.

Si præ-

Si prægnanti purgationes prodeant, fœtus ut bene valeat, fieri non potest. l. 5. aph. 60.

Si verò hyems austrina, & pluviosa & serena fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in ver incidit, quavis occasione abortiunt; quæ vere pepererint, tam infirmos & morbosos infantes edunt, ut vel ipsi statim intereant, vel tenues & valetudinarii vivant &c. l. 3. aph. 12.

Caput IV.

De iis, quæ In partu *accidunt.*

INter *Dolores Partûs*, & aliarum partium, bene distinguendum est: ne idem nobis contingat, quod non ita pridem Cognatæ meæ, Annæ Sabinæ Karchin, in Gunderstorff, prope Viennam, accidit, quæ, cùm *Nephriticis* doloribus vexaretur, *pariendi* tempus adesse rata, vocavit paganas mulieres, cum indocta Obstetrice. Hæc, sine omni consideratione doloris, mulierem eò adegit, ut quoquo modo adjuvaret dolores, & eniteretur in partum: quia autem irritus erat labor, cum dedecore illa discessit. Commodè tunc Laxenburgo, ubi cum Aula Cæsarea constiti, eò vocatus, miseram extremè debilitatam & semianimem reperi, ipsique, præter ordinatam victûs rationem optimam, circa renes *Ung. refrigerans Gal.* & *Anodinum*, nobis consvetum, inungi curavi, adoremque urinæ, ex arenulis conciliatum, per *Emulsion. sem. melon.* & *cannabis*, mitigavi. Sic paulò pòst à *doloribus* liberatam Viennam secedere jussi, ut legitimo partûs tempore assistentes circumspectiores nancisceretur. Ubi demum Julii die 5. duobus, post dolores perpessos, mensibus filiam feliciter peperit, remanente adhuc tumore infra umbilicum, ad tactum dolente, mobili, duro; quem discutere conatus sum carminativis & emollientibus: sed tumor iste in hyemem usque duravit, & forsitan, instar adnati ponderis sub omento, ad ultimum vitæ terminum perdurabit.

Partûs dolor.

Nephritis pro Partu.

Partus pro Nephritide. Huic errori contrarium, minùs tamen noxium, deprehendi olim in Sup. Austria; ubi ad Præfecti Monasterii Cremiphanensis Celeberrimi Uxorem, partui vicinam, Lyncio vocatus, ut ipsam à *doloribus Nephriticis*, quibus credebat se detineri, liberarem, adverti, etiam negante ægrâ, partum jamjam imminere; atque, ubi ad cœnam, ipso festo D. Martini, unâ cum Marito, in Monasterium ingrederer, subitò revocatus, invenio Obstetricem, quam interim, meo jussu, compellarunt, filium satis robustum excipientem. Et sic sine dato consilio, non tamen sine remuneratione, discessi. Rectè igitur Hipp. *l. 6. aph. 5. Dolores*, inquit, *in lateribus, & in pectore, & in aliis partibus, an multum differant, perdiscendum.*

Nota pro Obstetricibus. Hinc etiam patet, Obstetrices, quando ad mulieres vocantur, non statim debere festinare ad extremos partûs conatûs; sed naturæ cursum diligenter perpendere, ut eam in opere nulla ratione turbent, sed potiùs quoquo modo impeditam adjuvent. Nam *quò natura vergit, eò ducere oportet.* Hipp. *l. 1. aph. 21.* Ubi

Partus quando accelerandus. tamen diligenter observandum, quod Obstetrix Gall. *part. 1. f. 66.* & seq. bene docet, mulieri, partui aliàs vicinæ, vel propter externam, vel internam causam multum sanguinis, cum virium imbecillitate, ex utero emittenti, satius esse, partum promovere, quàm negotium naturæ committere; præsertim si indicia aliqua adsint fœtûs ad exitum quoquo modo proclivis, septimo imprimis & nono mense. Nam aliàs & mater & fœtus de vitâ periclitantur, dum, quando viribus exhaustis, sanguis, vitæ thesaurus, exiit, simul fœtui nutrimentum, & matri vita subtrahitur; nisi maturetur partus.

Ossa partus disjuncta. *Utrum Ossa circa vulvam relaxentur in partu*, disputant Auctores. Guil. Fabric. *fol. 547. Verissimum*, ait, *est, in partu non solùm ossa pubis, verùm etiam ossa ilii, ab osse sacro disjungi: id autem plus, aut minus fit, secundum constitutionem parturientis.* Huic opinioni quamvis contrarium habeat Andr. Laurent. *in Anat.*

libr. 8. Quæst.33. fol. 65. & tantùm de osse coccygis concedat, nihilominùs consentio; auctoritate & ratione ductus Severini Pinæi, Carnutensis Medici, *in Opusculo Anat.* cujus mentio fit apud Obstetricem Gall. *part. 3.* ubi illud, *fol.30.* manifestè demonstratur. Non autem credendum, ossa divelli violenter, in partu; quod forsitan nimis difficile videbatur Laurentio: sed ea ex symphysi sua relaxari successivè; cujus rei initium fit circa septimum mensem. Tunc scil. natura, de excludendo fœtu solicita, mucorem quendam circa hæc loca generat, &, mediante illo, ossa paulatim sejungit; quæ iterum, post partum, lentore illo exiccato & consumpto, coalescunt: sicut uterus maximè extensus, dum fœtum continet, in se iterum subsidet & contrahitur. Vide etiam Casp. Bauhin. *in Theatr. Anat.* Contrà Forest. *libr. 28. obs. 70.* os pubis, quod firmiter per cartilaginem ligatum sit, & per ligamentum transversum, parte inferiori positum, dilatari ad meatûs amplificationem, non posse, scribit. Affirmativa etiam exploditur falsè, in *Gynaciorum Hippocr. Tom. 3. libr. 1. de Muliebrib. comm. 1.* Maurit. Cordæi, *pag. 17. s. fin.*

Sæpe citata Obstetrix Gall. *part. 2. fol. 52.* postquam causas Gibbositatis enumerat, dicit, mulieres *Gibbosas* plerunque grandiores fœtûs parere, & illos feliciùs & citiùs, quàm proceras & rectas. Quia *Gibbosæ*, dum partes superiores, propter angustiam, ipsis gracilescunt, inferiores amplianturs; & quò majus spatium invenit fœtus, eò fit grandior. Dein quia profundiùs jacet fœtus in *gibbosis*, deprimit & dilatat inferiora; adeóque facilior his partus est, quàm proceris; in quibus fœtus magis ad superiora trahitur. Gibbosæ.

Confugiunt Jure-Consulti ad Medicos, ubi disceptatur de *Partu Legitimo.* Tunc, circumspectus Medicus sit, oportet, ne injuriam alicui faciat. Fernelius, *in Consiliis à Guil. Capello, Med. Paris. collectis, f. 118.* demonstrat, quomodo partus, à nuptiis celebratis, Partus legitimus.

lebratis, post ducentissimum diem editus, legitimus & septimestris esse possit; mensium spatium non vulgariter, sed secundum Lunæ reversionem, accuratè computando, ad Hippocratis & Veterum normam.

Joan. Claudius de la Courvée, Reginæ Poloniæ Medicus, *libr. de Nutritione fœtûs in utero, fol. 242.* quærit: an ob defectum nutrimenti; an ob excrementorum copiam, fœtus partum urgeat: & rectè statuit posterius: quamvis à naturâ fœtui terminus sit constitutus, ut neutra dictarum causarum necessaria sit. Propter cacochymiam in utero contractam exhibet idem, *loc. cit.* recens nato parum *mellis*, aut *ol. amygdal. dulc.* cum *syrup. capill. Vener.*

Partum facilitantia. Thermæ Badens. *Promovet* partum *Balneum Aquæ dulcis*, ultimo mense aliquoties adhibitum (quin & *Thermas Badenses*, prope Viennam, tunc temporis frequentare licet) *aqua liliorum alborum* hausta, *amygdalæ, pistacia, nuces pineæ* cum *melle* coctæ & comestæ, *emul-* Ardor ventriculi. *sio seminis cannabis* bibita: quæ *ardori* imprimis *ventriculi*, gravidis molesto, medetur. *Amuletorum* verò loco, quæ à Sennerto, *L. 4. Pract. fol. 419.* enumerantur, & inter hæc singulari- Aëtites. ter commendantur, sunt, *lapis Aëtites*, si crassiori femori, non procul à pube, applicetur, & statim à partu amoveatur, ne & uterum alliciat: ex Craton. *Epist. Medicinal. 35. p. 46.* & *Magnes* gestatus in manu parturientis: (vid. Helmont. *de magn. vulner. curat. pag. 597. m. 19.*) item *exuviæ serpentum*, eorumque *pinguedo*, cum *ol. succini* illita, *corallia, Jaspis, radix polygoni, coriandrum viride*, femoribus & plantis pedum applicata &c. Vide Examen Obstetricum. caput integrum, & antecedens, quod etiam spectat ad *Examen Obstetricum.*

Tale quoque *Examen* apud Cratonem, *Consil. Medicinal. 363. pag. 1020. in Gravidarum regimine*, invenies: ubi prohibet præsentiam *Pyrorum* in conclavi parturientis; quasi à proprietate quadam partum retardarent.

Sennert. *L. 4. Pract. part. 2. sect. 6. cap. 4. fol. 417.* singulariter, ait, *promoveri partum* per hunc *Pulverem*:

℞. *Secundinæ & chordæ umbilicalis, in fumo siccata & pulv.* ʒij.	*cinnam.* ʒj. *croci* ℈ß.

Cum *succo sabinæ* f. *Trochisci.* Dentur ʒij. in vehiculo apto. Vel exhibe gutt. iij. iiij. *ol. cinnam.* Ibid. proponit aliquot guttul. *ol. Heraclini, è ligno* scil. *coryli*: cujus fructus dicitur *Nux Heracleotica.* Secundin. pp. Ol. Heracl.

Calcinetur *Talus Leporis*, Hasensprung / pulverisato adde *stanni rasi* quantum mucro cultri capit: hæc *Mixtura* detur in *aqua violarum, lilior. alb.* tunc præsertim, quando mulier de fœtu ad partum inclinato certa est: Wenn sie das gewendte Kind hat: item *pellem leporinam recentem*, non elaboratam, in *lacte* coctam, ventri parturientis impone. Ex libro Collectaneo Illustrissimæ Dominæ à Lamberg. Talus lepor. præpar.

Experimentum Parentis mei optimi, p. m. ad fœtûs exitum maturandum, sæpissime expertum, hoc fuit: Experimentum singulare.

℞. *Boracis* ʒß.	*dictamn. alb.* ℈ß.
baccar. lauri. ℈j.	*sacch.* parum M. f. *Pulvis*:

Detur cum *aq. artemis. puleg. chamam.*

Quòd *Argentum Vivum* intra corpus tutò assumi possit, præsertim *in difficili partu* (ubi datur ʒß. pondere) testatur Primirosius, *l. 4. c. 29.* modò in quanto non excedatur: quia pondere solùm, quatenus eo intestina lædit, noxium esse potest. Argentum vivum.

Quando inter parturiendum *Dolores* partum comitantes subitò *cessant*, plerunque vel interituræ matris, vel fœtûs jam mortui, vel utriusque vitæ exitûs, signum est. Rationem hujus ait Guil. Fabric. *fol. 328.* & seq. esse vel rupturam uteri; ob violentum conatum: hinc actio ejus necessariò cessat; vel vasis alicujus majoris; hinc sanguinis profluvium, spirituum perditio, & iterum facultatis expultricis cessatio. Dolores partûs cessantes quid significent.

Idem

Colli tumor. Varices.

Idem validus parturiendi conatus *Tumoribus* in *Collo*, & *Varicibus in utroque Pede*, deformat Mulieres. Illos Germ. vocant Godhals / quos non curamus emollientibus vel discutientibus. Proveniunt enim tales tumores à dilatatis arteriis, haud secus ac in aneurismate; ubi astringentibus opus est: unde quoque ad *curationem Strumæ* laudatur *pulvis fol. cupressi*, in *cataplasmatis* formam cum *Vino* redactus, & applicatus per triduum, à Jonston. *l. 9. fol.* 445. Nos verò hos, quia non multum dedecoris, nihil verò incommodi afferunt, non attingimus. Neque enim nostræ mulieres delicatulæ crudelem admitterent exsectionem, quam Arabes proponunt. Nam quòd *varicum excisio*, ut plena doloribus, merito rejiciatur, testatur etiam Cicero, *l. 2. Tuscul. quæst.* ap. Rolfinc. *in Anatomic. f.* 820. ubi de Cajo Mario, Conf. *Tulit dolorem*, ait, *ut Vir, &, ut homo, majorem ferre, sine causâ necessariâ, noluit. Hinc alterum crus exhibere recusavit.*

Aneurisma.

Arteriæ quidem *dilatatio*, etsi periculo omni non careat, mortem tamen subitam non affert, nisi omnimoda fiat ruptio, & sanguis in cavitatem nobiliorem effluat, vel inadvertenter, ex incuria astantium, violentiâ quâdam prorumpat: quod parturientibus interdum contingit; & sic etiam, dum videntur feliciter peperisse, *subitò possunt interimi*, ob sanguinis defectum: cujus mortis causam vel substrata linteamina sanguine turgentia produnt, vel Anatomia, si admitteretur, detegeret. De causâ subitaneâ mortis post partum, ex tali causâ, vid. Horst. *Oper. Tom. 2. p. 283. c. b.*

Mors subita.

Partus Cæs.

De *Partu Cæsareo* multa passim disputantur. Mihi opinio valde probabilis videtur Casp. Bauhini, *in Præfat. ad Lector. libell. Francisci Rosseti*: ubi non contemnendis rationibus probat, *fœtum vivum ex matre mortua exscindi nulla arte posse*. Et, si exemplum aliquod adducitur (qualis *in Epist. Crat. 289. p. 304.* ex Julio Cæs. Arantio fit mentio) illud existimat, vel cum injuria matris nondum mortuæ, vel fortuitò, contigisse: quando scil.

punctum illud ultimum, quo jamjam anima è corpore discedere vult, casu Chirurgus tetigerit. Huic sententiæ non subscribere videtur Sennert. *L.4. Pract. part. 2. sect. 6. cap. 8. fol. 443.* dum ait, esse etiam *fœtui animam*, quæ aliquandiu supervivere faciat corpus, extinctâ matre. Nec non Gordonio, *in Lilio Medico, fol. 303.* placet, fætum vivere posse per aliquod tempus, extincta matre: nec enim carere omnino anhelitu. Imò fœtus attrahit aërem attractum in arteriis matris, & potissimum vivit, quando os matricis manet apertum; ideoq; apertum conservari debet, matre extincta, donec operatio Chirurgica accesserit. Vivit *propriâ vitâ, nec matri communi vitâ conjunctus est*, sed ipsi tantùm adhæret: siquidem matre mortuâ vivit infans, eâque, moritur, vivâ; ait Joh. Claudius de la Courveé *libr. de nutrit. fœtus in utero, f. 246.* utitur suis sensibus, est animal integrum.

Horstius verô, apud Guil. Fabric. *fol. 239.* it. *Op. Tom. 1. p. 124.* & *Tom. 2. p. 535.* fœtum, ait, in utero *non propriâ vitâ* vivere, sed ex *matre* ipsius vitam dependere: quod demonstrat Anatomiâ infantis, promittitque ulteriorem demonstrationem, *in L. 2. Exercit. nob.* Idem demonstrat Andr. Laurentius, *in Anat. f. 324.* & seq. ubi antea probavit, fœtum in utero neque respirare, neque spiritum vitalem gignere, neque per se cor & arterias pulsare; adeóque membra omnia ad hæc pertinentia, sicut & concoctioni primæ & secundæ dicata, in fœtu quiescere & inutilia esse, sed hæc omnia per matrem communicari. Jo. Claud. de la Courveé, *lib. de Nutrit. fœt. in Ut. fol. 122. de Formatione Embryonis* ita discurrit: delineari statim omnes partes spermaticas, easque statim functiones suas exercere; sed successivè perfici. Ita distinguit inter delineationem, quæ visum effugit, & perfectionem, Idem, *ibid. fol. 27.* cum Aristotele affirmat, pituitam esse excrementum tale, quod iterum converti potest in alimentum; exemplo fœtûs, qui suturas & ossa palati habuit

Fœtus vita.

Embryo.

Fœtus nutritio paradoxa.

valdè hiantia, ut cerebrum amplum, & pituitâ plenum, sese exonerare possit; & quidem in involucro fœtûs, ubi cætero alimento miscetur. Idem, *ibid. fol. 208.* compendium totius suæ doctrinæ habet his verbis: Fusiori oratione comprobatum est, liquores hosce, qui continentur inter membranas, non esse excrementa, sed verè fœtûs alimentum, quod sumit ore. Itaque liquor, inter amnion contentus, est cibus puero proximus; remotus ille, qui intra chorion est; & adhuc remotior, qui defluit ab utero; remotissimus autem ille sanguis, in vasis maternis contentus. Capit ergo ore fœtus primum liquorem hunc, qui continetur in amnio; sed is brevî deficeret, nisi alter à chorio suppeditaretur: & hic quoque brevî deficeret, dum continenter ab amnio rejicitur, nisi novus continenter ab utero deflueret. Itaque alimentum fœtûs ab utero depluit in placentam; à placêta in chorion; à chorio in amnion: ubi tandem exsugitur ore à fœtu. *Hæc ille.* Sed nullibi explicat, quomodo depluat; nisi quòd mentionem alicubi faciat raritatis omnium membrorum per διαπνοίαν illorum; quod in utero imprimis verisimile videtur; quia indies extenuatur magis. Propriam fœtûs circulationem Riolanus, *de Circulatione sanguinis, fol. 135.* & seqq. ait fieri circa tertium mensem; citiùs autem non: ob cordis imperfectam fabricam.

Mulieri hystericæ, aut difficulter parienti, sternutatio superveniens, bonum. Hipp. l. 5. aph. 35.

Quæcunque utero gerentes febribus corripiuntur, & citra manifestam causam vehementer extenuantur, eæ difficulter, & cum periculo, pariunt, aut abortientes periclitantur. l. 5. aph. 55.

CAPUT

Caput V.

De iis quæ Post partum *contingunt*.

POstquam fœtus in lucem prodiit, Obstetricis munus est, ut ad *Secundinas* separandas, &, si intus lateant, *extrahendas*, attendat, & inter tunicas uteri & secundinarum bene distinguat: propterea ad Anatomias publicas, & privatas, Obstetrices etiam admitti debent, & instrui. Secundinarum promotio.

Quando igitur involucra fœtûs, illo etiam feliciter enixo, subitò *retinentur*; uterus statim clauditur, mulier fit anxia, novos dolores, conatûs & labores pertimescens, ut etiam propter sanguinis ad superiora regurgitationem, & præproperam secundinarum putrefactionem, illa suffocari possit. Propterea nullum tempus perdi debet, sed quantocyus mater à secundinis liberanda est. Exemplum sic, post felicem partum, mense Augusto, 1656. editum, *retardata* magnæ partis *Secundinarum*, vidi in Secretarii cujusdam Aulici Nobilissima conjuge, quæ nihilominus, post plura adhibita, tandem ab iis, per Dei gr. & singularem vigilantiam & dexteritatem Mag. & Ex. D.D. Joan. Guil. Junckeri, S. C. M. Consf. & Personæ Medici, nunc Academiæ Rectoris, liberata est. Et quidem ipsa nobilissima Ægra, me quoque præsente & annuente, *Cataplasma* sequens apposuit, non aliter credens, quàm hujus cataplasmatis usu, quidquid erat in utero de Secundinis relictum, se deposuisse. Secundinarum retentio. Cataplasma.

℞. *H. malvæ*,
althææ,
parietar. an. M. j.
melissæ,
artemis.
matricar. an. M ß.
rad. lilior. alb. ℥ i ß.
althææ ℥ j.
flor. chamam. Roman. M. 1.
sem. lini ℥ j.
fœni Gr. ʒ vj.
malvæ,
althææ, an. ʒ ij.
caricar. ping. N. x. M.
Incis. coquantur in *s. q.*

Fff. 2 *aq. ar-*

aq. artemis.	*aq. petrosel.* ad formam Pulmenti; cui adde
meliss.	*ol. lilior alb.*
matricaria,	*chamam.*
chamam.	*amygd. dulc.* an. ℥iß.
malva,	

M. F. *Cataplasma* calidè pectini & dorso applicandum.

Abortus. Adhuc faciliùs retinentur secundinæ in *Partu præmaturo*, quia tunc utero adhuc firmiùs adhærent. In hoc casu Horst. *Op. Tom. 2. p. 283. Potum* exhibet talem, præter alia externa:

Potus.

℞. *Cicer. rubror.* ℥j.	*caryophyl.*
flor. calendul.	*macis*, an. ʒß.
genista. an. M. I.	*sacch. cand. alb.* ℥ij.
galang.	Coq. ad tertias, in s. q. *aq. s.* Colati dentur Mens. ij.

Pulvis. Idem, *loc. cit.* ex Foresto, componit *Pulverem ex troch. de myrrha, sem. violar. rad. dictam. rasura nucl. dactylor.* Omnia denique, quæ menses movent, pellunt secundinas.

Coquunt etiam in *vino plumas Gallinæ nigræ*, *Suffitum* per inferna apponunt, plumas dein imponunt pubi. Ubi aliquâ cautelâ opus est, ne per suffumigia talia menses nimis violenter concitentur.

Haustus. Forest. *de morb. mul. libr. 28. ob. 32. in schol.* exprimit *succum levistici*, cum *aq. artemis.* quem vid. ulteriùs, *ibid.* vel coque *flores chamam.* cum *cerevisia*, & exhibe haustum. Nos commodè

Pessus. utimur *fæculâ rad. bryon.* Camerarius v. *in histor. Bryon. pessum* facit ex *rad. eadem*: sed non facilè eum admittunt mulieres, sapienter timentes, ne collum, & uterus, tunc à partu tener, & sensilis, offendatur. Tutiùs

℞. *Herb. matricar.*	*fl. chamam.* an. part. æq.
menth. hort.	*vitell. ovi* q. s. Pistentur, &
parietar.	cum *ol. lilior. alb.*

Placenta umbilicalis. F. Placenta umbilico imponenda. Id. *in hist. Matricaria.* Fiunt

Clyste-

Clysteres, *Suffitus*, & *Fomenta*: v. g. ex *abrotano*, *absinth. calend. stercore gallin.* & *equino*. Vel exhibe *boleti cervini* ʒß. cum *aq. artemis.* Impone coxendici mulieris, in ventrem positæ, *stercus equorum recens*, sæpius calefactum, & juvabit, certo experimento Obstetricum Viennensium.

D.D. Hieronymus Animæus, Antecessor meus Styræ, Sup. Austriæ, Vir in Praxi Medica, & imprimis quidem in affectibus Mulierum, valde acceptus, vel ideò quoque, quia, quod maximè desiderant Mulieres, *remedia facilè parabilia* & *domestica* ipsis familiariter præscripsit, & quidem multa *Germanicè*. Is, inquam, pro Secreto post se reliquit, ad pellendas secundinas, *Emplastrum* ventri apponendum, *ex albumine ovi* & *rubrica*, Zims merrôthe. Quod, quia valdè astringit, meritò in dubium vocari posset, utrum non potiùs fœtûs tunicas intra uterum cohiberet, quàm expelleret. Sed quia musculos ventris constringit, qui antea, ob parturiendi conatum, & extensum uterum, relaxati, & in opere suo debilitati fuerunt; ideò, credibile est, tale emplastrum juvare; musculi enim abdominis constricti, & in se redeuntes, uterum quoque, superiùs deprimendo, ad expellendas secundinas aptiorem reddunt. Sicut & ad alvi feces excernendas illorum musculorum actio non parum est necessaria. Propterea mulieres gravidæ plerunque sunt *pigrioris alvi*; cui accedit, quòd ab utero grandiore intestinum ipsis comprimitur.

Medicamenta mulierum.

Emplastrũ secretum.

Alvus pigra.

Cautiores mulieres, partui præsentes, non facilè statim *à partu Somnum* admittunt, ne inter dormiendum inadvertenter sanguis extremus effluat. Sicut contigisse tale quid iis, qui venam secarunt, compertum est; præsertim si negligentiùs vulnus fuerit ligatum.

Somnus à partu.

Nec Riv. quidem, *f. 428. somnum à partu* admittit, vel saltê cum summâ cautelâ, per pulsûs & respirationis continuam explorationem, concedit; quia multæ ex eo de medio tolluntur: siquidé ca-

lor, ad interiora retractus per somnum, majorem lochiorum fluxum efficiat.

Auditus diminutus. Causa.

Mulieres post partum sæpe sæpius *Auditûs difficultate*, nonnunquam etiam Surditate, laborant. *Causam* tradit Horst. *l.3. pag. 40. 41.* quia, propter conatum validum, circa spinalem medullam maximus fit spirituum animalium influxus: pro ut autem vehementissima est hæc movendi intentio; ita fieri non potest, quin simul principium nervorum, potissimum circa posteriorem partem capitis, afficiatur: ubi nervus quintæ conjugationis statim auribus inseritur, qui, calore suo nativo destitutus, humores noxios faciliùs recipit. *Medemur* huic *Surditati*, præm. præm. sic;

Mixtura acovistica.

℞. *Castorei* ʒß.	*myrrhæ*, an. ℈ß.
olibani,	*rad. asari* ʒj.

Incis. & contus. coq. in *vino*, & de *colatura* crebrò immitte aliquid auribus. Hîc enim ex Hercule Saxonia notandum, potiùs *siccis*, quàm *humidis*, utendum esse; ne membrana, Tympanum dicta, lædatur, néve humida, in gyro aurium detenta, putrefiant. Præponuntur itaque sicca: *Suffitus* scil. ex *styrace*, *myrrhâ*, *lign. aloës*, *thure* &c. quod idem supra monuimus, ex Guil. Fabr. Vide Horst. *alleg. loc. pag. 41. c. a.*

Hæmorrhagia uteri.

Nonnunquam *Hæmorrhagia immodica per uterum à partu* mulieribus succedit; horrendum certè, & miserabile symptoma; quod, si vires languent, & recusant V. S. supprimitur, in vulvam profundè intruso fasciculo *cannabino* oblongo, & imbuto emplastico liquore conveniente, & validè adstringente. Riolan. *de Circul. sangv. fol. 85.*

Febris lactis.

Est peculiaris febris species, quæ omnibus propemodum puerperis contingit, *febris Lactis* vulgò à Mulieribus nominata: eaque circa tertium aut quartum puerperii diem accidere solet; cùm lac in mammis copiosiùs generari incipit, oriturque ex sanguinis ab utero ad mammas refluxu, ejusdemque motu & agitatio-

gitatione. Et hæc febris inter *Ephemeras plurium dierum* recensetur, nec ullis indiget remediis; quia intra triduum, vel quatriduum, nempe circa nonum, sudore solvitur. Hæc verò si intendatur, mutatur in putridam; quæ gravissimæ phrenitidis causa esse potest, juxta obstetricem Gallicam, quæ, *part.1.f.166.* proponit observationem lectu dignam Mulieris, aliâs bene enixæ, sed paulò post partum in *Febrim ardentem* & *Phrenitidem* lapsæ; idque tribus vel quatuor vicibus: cujus rei causam absconditam illa tandem acutâ conjecturâ indagavit, & revelavit: febrim scil. accensam esse circa præcordia, ob sangvuinis ad mammas nimium fluxum; unde vapores ascendentes *Phrenitidem* causarunt; quæ nulla ratione curari potuit priùs, quàm lac è mammis diverteretur. Phrenitis in Puerpera. Febris continua.

Facit etiam ejus mentionem Deusingius, *de lacte, fol. 467.* quòd sc. fiat ob nimis copiosum & vehementem lactis ad mammas affluxum: fortè ob motum humoris violentum: das Ungesegnete. Item Joh. Antonid. von der Linden/ ap. eundem Deusingium, *de lacte, fol. 581.* ex eâdem causâ; vehementiori scil. sangvinis ad mammas confluxu.

Idem, *de lacte, fol. 376.* narrat, mulierem apud Mesuen sanguinem spuisse, delitescente lacte in mammis; qui sangvis restrictus sit, lacte provocato: quia ex materiâ lactis, sivè chylo, fit sangvis; non autem contrà. Hinc cùm chylus, qui priùs magnâ copiâ ad mammas ferebatur, postmodum, mutato cursu, ad cor & hepar transiret, haud mirum, si vasa sangvine referta sese exoneraverint. Ob eandem causam potuit facta fuisse febris hæc ardens, quatenus scil. venis distentis sangvine, cui materiam præbuit lac retentum, inflammatio ejus subsecuta fuit. Materiam lactis chylum esse, & hinc liquet, quòd error in victu nutricis statim sentitur à nutrito: quod fieri non posset, si chylus priùs in sangvinem; dein sangvis, per tot ambages, demum in lac mutaretur. Lactis recessus. repercussio.

Etsi

Etsi causa hæc accensæ Febris meritò considerandа venit; plures tamen adhuc restant *Causa*, ob quas mulieres *post partum* facilè in febres incidunt ; quas inter hæc est primaria : quia propter violentum menstrui sangvinis exitum, & laborem conatumque validum, spiritus & sangvis commovetur, & plus justo incalescit. Hinc illud : *parturire, febricitare est.* Qualis, & quidem intensissimæ, *febris*, nec levioris quoque *delirii*, *statim à partu*, exemplum dedit An. 1636. insignis Bavariæ Matrona & Domina &c. quæ tamen per prænominatú D.D. Juncker &c. ex Comitiis Ratisbonensibus eò tunc accitum, consentientibus quoque aliis Excell. D. D. Medicis, administratâ in talo *Venæsectione*, etiamnum superstes, conservata fuit.

Causæ.

Venæsectio.

Qualiter autem V.S. in puerperis, si urserit necessitas, sit adhibenda, pulchrè docet River. *L. 15. Prax. fol. 439.* & seq.

Et hæc ipsa est ratio, quare mulieribus puerperis primis statim diebus *Aromata* & *Vinum* minimè concedamus. Ab his quæ non abstinent, & sibi & fœtui injuriæ sunt. Tale vidi exemplum Ingolstadii, in filia natu maxima Excell. Viri, D. Alberti Menzelii, Professoris & Præceptoris mei p. m. quæ cùm primipara esset, & *vino Malvatico*, pro viribus reparandis, statim à puerperio abuteretur, in *Febrim ardentem* incidit, & die septimo *Phrenitide* vehementissima, non sine maxima Parentis, & aliorum, commiseratione occubuit.

Vinum puerperis noxium.

Et quamvis vulgus opinetur, *vina rubra* refrigerare, quale est & *Reinfalicum* : hoc tamen jure ridet R. P. Drexel. *in libr. de jejun. l. 1. c. 4. f. 75.* Quis, *inquit*, obsecrò, unquam audiit ullâ in Orbis parte, vinum, præsertim generosum, ac potens nasci, quod vim habeat refrigerandi ? Dico ego, vina talia nullo modo refrigerare, sed saltem minùs esse calida ; vel quia minùs per se sunt spirituosa ; vel quia crassioris substantiæ : quò fit, ut eorum spiritûs tardiùs segregentur, & ad cerebrum rapiantur.

Vinum Reinfalicum.

Solent

Solent profectò eundem errorem errare multæ Mulieres, in iis præsertim locis, ubi vini copia crescit. Hinc etiam fit, ut convulsiones epilepticæ in his locis, ubi Matres & Nutrices potu vini abutuntur, Infantibus maximè sint familiares, eorumque quamplurimi *Epileptici* moriantur : utique à certa quadam lactis materni corruptione, quæ fovetur à certa quadam discrasia viscerum coctioni dicatorum, calidâ nimirum & sicca, per *Vini* potum superfluũ contractâ. Hinc lac, sero bilioso dilutum, in ventriculo infantis variè corrumpitur, concrescit, & acescit; quale nonnunquam per vomitum rejicitur ; nonnunquam verò, in feces alvi porraceas conversum, per inferna secernitur : vapores autem corrupti inde elevati ad principium nervorum rapiuntur, & illud molestiâ afficiunt; hinc *convulsivi motûs*. Neque obstat, *Lac* per se frigidum censeri & humidum, adeóq; ad convulsionem inferendam minùs aptum. Qualecunque enim illud sit, sive sani, sive ægri animalis, habet tamen suos etiam vapores ac *spiritûs calidos*, & *vim inebriandi*. Sic videntur capreoli saltantes, & quasi delirantes, post lactationem, vel quasi ebrii, ex lacte materno, quod herbæ calidiores suppeditant. Sic Infantes quoque, post suctum lac imprimis hilariores, paulò pòst in somnum proclives observabis, ebriorum instar; ut bene notat Sennert. *de Infantium curation. f. 42. Quidquid enim*, ait, *in destillatione multum suppetit olei, ut lac, multos etiam habet spiritûs. Videtur enim spiritus ab oleo vix aliter, quàm substantiæ modo, differre.*

Epilepsiæ Infantium Causa.

Lactis qualitas.

Solent mulieres delicatulæ, quamvis ad lactandos liberos aptissimæ sint, *Nutrices* proli suæ constituere. Quàm bene faciant, experientia docet; quâ constat, sæpius prolem à Nutrice noverca interfici, quando vel lac peregrinum, quod cum nutrimento fœtûs in utero nihil habet analogi, propinant, vel ob levissimam causam irascuntur, vel prolem alienam indignabundæ negligunt, vel diætâ minùs consvetâ, &, si possunt, furtivè

Nutrices peregrinæ.

Earum incommoda.

Etsi causa hæc accensæ Febris meritò consideranda venit; plures tamen adhuc restant *Causæ*, ob quas mulieres *post partum* facilè in febres incidunt; quas inter hæc est primaria: quia propter violentum menstrui sangvinis exitum, & laborem conatumque validum, spiritus & sangvis commovetur, & plus justo incalescit. Hinc illud: *parturire, febricitare est*. Qualis, & quidem intensissimæ, *febris*, nec levioris quoque *delirii*, *statim à partu*, exemplum dedit An. 1636. insignis Bavariæ Matrona & Domina &c. quæ tamen per prænominatum D.D. Juncker &c. ex Comitiis Ratisbonensibus eò tunc accitum, consentientibus quoque aliis Excell. D. D. Medicis, administratâ in talo *Venæsectione*, etiamnum superstes, conservata fuit.

Causæ.

Venæsectio.

Qualiter autem V.S. in puerperis, si urserit necessitas, sit adhibenda, pulchrè docet River. *L. 15. Prax. fol. 439.* & seq.

Et hæc ipsa est ratio, quare mulieribus puerperis primis statim diebus *Aromata* & *Vinum* minimè concedamus. Ab his quæ non abstinent, & sibi & fœtui injuriæ sunt. Tale vidi exemplum Ingolstadii, in filia natu maxima Excell. Viri, D. Alberti Menzelii, Professoris & Præceptoris mei p. m. quæ cùm primipara esset, & *vino Malvatico*, pro viribus reparandis, statim à puerperio abuteretur, in *Febrim ardentem* incidit, & die septimo *Phrenitide* vehementissima, non sine maxima Parentis, & aliorum, commiseratione occubuit.

Vinum puerperis noxium.

Et quamvis vulgus opinetur, *vina rubra* refrigerare, quale est & *Reinfalicum*: hoc tamen jure ridet R. P. Drexel. *in libr. de jejun. l. 1. c. 4. f. 75.* Quis, *inquit*, obsecrò, unquam audiit ullâ in Orbis parte, vinum, præsertim generosum, ac potens nasci, quod vim habeat refrigerandi? Dico ego, vina talia nullo modo refrigerare, sed saltem minùs esse calida; vel quia minùs per se sunt spirituosa; vel quia crassioris substantiæ: quò fit, ut eorum spiritûs tardiùs segregentur, & ad cerebrum rapiantur.

Vinum Reinfalicum.

Solent

Solent profectò eundem errorem errare multæ Mulieres, in iis præsertim locis, ubi vini copia crescit. Hinc etiam fit, ut convulsiones epilepticæ in his locis, ubi Matres & Nutrices potu vini abutuntur, Infantibus maximè sint familiares, eorumque quamplurimi *Epileptici* moriantur: utique à certa quadam lactis materni corruptione, quæ fovetur à certa quadam discrasia viscerum coctioni dicatorum, calidâ nimirum & sicca, per *Vini* potum superfluū contractâ. Hinc lac, sero bilioso dilutum, in ventriculo infantis variè corrumpitur, concrescit, & acescit; quale nonnunquam per vomitum rejicitur; nonnunquam verò, in feces alvi porraceas conversum, per inferna secernitur: vapores autem corrupti inde elevati ad principium nervorum rapiuntur, & illud molestiâ afficiunt; hinc *convulsivi motûs*. Neque obstat, *Lac* per se frigidum censeri & humidum, adeóq; ad convulsionem inferendam minùs aptum. Qualecunque enim illud sit, sive sani, sive ægri animalis, habet tamen suos etiam vapores ac *spiritûs calidos*, & *vim inebriandi*. Sic videntur capreoli saltantes, & quasi delirantes, post lactationem, vel quasi ebrii, ex lacte materno, quod herbæ calidiores suppeditant. Sic Infantes quoque, post suctum lac imprimis hilariores, paulò pòst in somnum proclives observabis, ebriorum instar; ut bene notat Sennert. *de Infantium curation. f. 42. Quidquid enim*, ait, *in destillatione multum suppetit olei, ut lac, multos etiam habet spiritûs. Videtur enim spiritus ab oleo vix aliter, quàm substantiæ modo, differre.*

Epilepsiæ Infantium Causa.

Lactis qualitas.

Solent mulieres delicatulæ, quamvis ad lactandos liberos aptissimæ sint, *Nutrices* proli suæ constituere. Quàm bene faciant, experientia docet; quâ constat, sæpius prolem à Nutrice noverca interfici, quando vel lac peregrinum, quod cum nutrimento fœtûs in utero nihil habet analogi, propinant, vel ob levissimam causam irascuntur, vel prolem alienam indignabundæ negligunt, vel diætâ minùs consvetâ, &, si possunt, furtivè

Nutrices peregrinæ.

Earum incommoda.

tivè etiam & perversè acquisitâ utuntur, vel morbis occultis laborant, vel nimis arctè, præter consvetudinem, inclusæ, mærore conficiuntur & otio torpescunt: unde nullus lactis boni proventus. Et si ad justum ablactationis tempus minimè morbosum infantem perferunt: sæpissime tamen tam malè moratum efficiunt, ut, nisi succedat morum corrector optimus, quamplurimi degeneres & filii Heroum noxæ observentur.

Cur Matres constituant Nutrices.

Constituunt autem matres fœtibus suis tales Nutrices, aliquando ex *necessitate*, propter lactis, ex quacunque causa, defectum vel improbitatem, mammarum tumores, & ulcera: vel propter varios morbos, quos ipsæ post puerperium patiuntur: & tunc meritò excusantur. Aliquando verò à lactatione suæ prolis abstinent, ut delicatulæ, ne mammas acquirant flaccidas & indecoras, neve ad strictiorem diætam, & fortè etiam liberioris Véneris abstinentiam, obligentur. Quæ omnia multum crudelitatis ergà fœtum proprium, amoris verò materni nihil, præ se ferunt; & meritò â Christiana Rep. proscribenda essent.

Lac reprimentia.

Ubi itaque, ob allegatam aliquam causam, sive ea justa sit, sive non, Nutrici proles committitur, Matres necessariò remedia adhibent, & nonnunquam non sine periculo, ut sanguinis ad mammas affluentis naturalem impetum *repellant*. Tunc tale conficiunt *Emplastr.*

Emplastrũ repulsorium.

℞. *Ceræ alb.*	*camphoræ,*
flavæ,	*myrrhæ,*
ping. gallin.	*assæ fœtid.* ana ʒß.
axung. cervin. an. ℥ß.	*croci* ℈j.
M. & liquatis adde	F. *Emplastr.*

in quo tingantur lintea formam mammarum habentia, sed perforata, ut papillæ exeant. Sic gestentur sex septimanis. Aliæ imponunt *chartam cæruleam*, cum *butyro recenti*, & linteamina intingunt in *album ovi* cum pauxillo *croci* & *camphoræ*, & exiccata superponunt chartæ.

Utimur

Utimur a. *Repercussoriis* remediis ad mammas, rectiùs ad brachia applicandis; juxta sententiam Discipuli Herm. Conring. apud Deusing. *de lacte*, *f. 602.* qui putat, materiam lactis per brachii venas deferri ad mammas. Idem, *loc. cit. f. 607.* ubi lac diminuendum est, ait, victum non esse diminuendum quoad cibos, sed quoad potum; siquidem, materiam lactis serum esse potissimùm, statuit. Quò applicanda.

Papillarum Fissuris medetur *ol. è vitell. ovorum*, vel, postquam suxit infans, inunge *mel rosatum*, vel *syr. è rosis siccis*, & appone *ceratum* simplex, ne indusium adhæreat. Papillarum fissuræ.

In *tumoribus mammillarum* & *duritie* earum, nec non reliquarum partium corporis, singulariter commendat *Unguentum* hoc Gvilh. Fabricius, *fol. 208.*

℞. *Gumm. ammoniac.* ℥j.	*pingvedin. gallin.* ana ℥ij.
ol. amygd. dulc.	*succ. cicutæ* ℥iiij.
lilior. alb.	*acet. squillitic.* ℥ij.

M. & maneant in infusion. hor. 24. in loco calido: postea coq. lentissimo igne, non ad omnimodam succ. & aceti consumption. Colatura fortiter expressa servetur. Membro inuncto tale applicetur etiam *Emplastrum*:

℞. *Emplastri de mucilaginib.*	*gumm. ammoniac. in acet.*
de melilot, an. ℥ij.	*squillitic. dissolut.* ℥j.

M. F. Emplastrum.

Ad *Mammarum inflammationem* in augmento laudari *cerevisiam calidam*, cum *butyro* applicatam, notat Jonston. *l. 9. f. 477.* mammillam verò affectam rarò, quin alterius sanæ lac simul exsiccetur, sanari, ob sangvinis æqualem effluxum. Mammar. inflammatio.

Idem, *fol. 151.* *mammis* ex lacte coagulato *Induratis*, post fœtûs ablactationem, circumcirca inungit *ol. rosac.* cui parum *aceti* addit, ad præcavendum affluxum sangvinis. Dein ipsis durioribus partibus inungit hoc *Ungvent.* Mammæ induratæ. Ungventū.

℞. *Empl. de mucilag.* ℥ij. *ping. gallin.* an. ℥j.
ol. lilior. alb. *gumm. ammoniac. in acet. scillit. diss.* ℥ß.
amygd. dulc.

Cataplasm. M. F. *Linim.* Tandem applicat *Catapl.* quod ℞. *Fol.* & *rad. malv.* q. s. cocta pistent. Fiatque, cum *farina fabar. axungiâ porci, gallin. anat.* & *proprio decocto malvæ, Catapl.* purgato corpore per intervalla applicandum. Simile, simplicius, vid. ap. Forest. *l. 1. de Feb. obs. 6.* Ubi sangvinis copia adest, *secetur Vena*, imprimis brachii, deinde tali. Idem Fabric. ubi tumor est pertinacior, devenit ad *Ung. de cicuta.*

Concidentes: (flaccidæ. *Concidunt* aliquando mammæ puerperarum, ob causam externam, iram, terrorem, ut lac subitò deperdatur, sanguine scil. ad interiora recurrente. Mulierum vulgus plerunque ad superstitiosa confugit remedia. Quia enim causam investigare nesciunt, veneficium accusant. Sic mulieres Patavinæ, teste Hercule Saxoniâ, apud Sennert. *L. 4. de Feb. cap. 5. fol. 440. 441.* ad evitandum *Fascinum*, quo lac absumi puerperis credunt, *argentum vivum* collo appensum gestant: quamvis etiam cum ratione *lac augere* possit; attenuando nimirum sanguinem crassum, qui affluere ad generationem lactis non poterat. Quid Deusingius de hydrargyro appenso sentiat, in lactis perditione, vid. eundem, de Peste, *fol. 346.* Aliæ intra mammas gerunt *lapidem Aëtitem.* Guil. Fabric. *fol. 301. purgat* leviter corpus, & singulis diebus in aurora propinat *Pulv. lumbricorum terrestrium pp.* ℈ij. cum *Decoct.* conven. ex *sem. fænic. anethi, liquirit.* &c. mammis etiam inungit *ol. lumbric.* & diætam nutrientem præscribit. Dr. Heinrich von Schenis / *in Pharmac. Sacr. Cas. Rudolphi* &c. mammis sæpius inungit *ol anisi.*

Fascinum.

Lac augentia.

Aëtites lap.

Nutrix bona. *Nutrix eligatur* non primipara, non ultra annum ætatis trigesimum, boni corporis habitûs, lati pectoris, bene morata, à Venere abstineat, menses non patiatur &c. Si de *graviditate* suspicio adsit, emulsum lac infunde in vas aquâ repletum; si in fundum

Proba graviditatis.

fundum cadit, prægnantem esse judicato; si supernatat & diffluit, contrà. Experimentum Ill. D. de Lamberg &c.

Circa *electionem Nutricis* etiam hoc notandum, ut illius, quantum fieri potest, partus cum lactandæ prolis partu proximè coincidat, neque ultra mensem distet. Siquidem recens natis infantibus lac serosius & dilutius debetur, quale matri recens puerperæ natura concessit, ut magis abstergat sordes in ventriculo tenelli fœtûs hærentes: atqui lac vetustum, non statim à puerperio haustum, crassius est, adeoque minùs aptum. Sed hoc plerunque à nostris negligitur; quæ aliquando unam Nutricem continuo opere pro duobus partubus conservant, & putant, satisfieri Infantibus, si, abstersionis gratiâ, statim à partu exhibuerint *mellis rosati* aliquid, vel *ol. amygd. dulc.* cum *sacch.*

Non adulta puerpera.

Abstersorium.

Hoc, *Nutricem* deberi recens nato infanti non adultam, cujus lac serosius sit, & proximum à partu, pernegat Jac. Primirosius, *libell. de vulg. errorib. l. 3. fol. 284.* quasi lac quotidianâ generatione maneat semper recens. Atqui de hoc non est quæstio. Etsi enim in suo genere lac possit semper gigni bonum, in ordine tamen ad recens natum infantem potest esse crassioris & uberioris nutritionis, privatum facultate detersoriâ, in recens natis utique necessariâ. Sic memini, duobus abhinc annis, ablegatam fuisse nutricem ex Aulâ Cæsaris, non, quòd non fuerit mulier sana, lacque per se bonum, ac bene nutriens; sed quòd lac nimis pingue, serique parcioris habuerit, quàm quod necessarium videbatur in Serenissimo tenello Infante.

Quando verò *Nutrice* suâ omnino *privatur* Infans, præbeatur ipsi, pro *Ordinario potu*, *lac*, cum tertiâ parte *aquæ*, & pauxillo *sacchari*, coctum. Hoc modo Carolus Josephus, Adolphi à Buchaim Filiolus, quatuor mensium, ablegatâ nutrice, nutritus est Cremonii, mense Decembr. 1658.

Potus Infantis.

Dolor post partum. Nachwehē. Est *Doloris* species, parturientibus *statim à partu* familiaris, & valde molesta: Germ. die Nachwehen: quasi diceres *Dolores*
Unde. *Secundinos.* Hi utique *oriuntur* à valido conatu, membra ge-
Cura. nerationi inservientia vel dilacerante, vel distendente. *Medetur* hisce non solùm præsentibus, sed & futuris, Obstetrix Gall. *part.*
Pulvis. *1.f.105.* hoc *Pulvere*, statim à partu exhibito, quem vocat der Königin Pulver.

℞. *Rad. consolid. ma.* ʒj. *nuc. mosch.* an. ℈ij.
nucleor. Pers. *ambr. gris.* ℈ß.

M. Dosis ʒj. cum *vino albo*; vel, si febricitant, in *jusculo convenienti.* Forestus, *de morb. Mul. libr. 28. obs. 81. fol. 551.* in hisce doloribus commendat *flor. chamam.* decoctum in *cerevisia bibitum*, & *ol. amygd. dulc.* cum *sacch.* vel decoctum *artemis.* & *flor. chamam.* cum *jure pingui*, & per *Clysterem* injectum.

Camerar. *in histor. Matricar.*

℞. *Herb. ejusd.* *fl. chamæmel.* ana part. æ-
menth. hortens. qual. *vitell. ov.* q. s.
parietar. Pistentur in sartagin. &, additâ *ol. lilior. alb. s. q.* F. Placenta: quam post partum umbilico mulieris imponere jubet.

Alius. Alius etiam *Dolor post partum* mulieres affligit, *circa dorsum, lumbos, & hypochondria*; quando Puerperæ non sunt sufficienter purgatæ. Quia autem subtilior pars sanguinis ad mammas
Cura. recurrit, relictâ crassiore substantia in ventre infimo, non licet movere menses denuò, in iis præsertim, quæ lactant suam prolem; ne lactis generationem impediamus; sed præstat, *lenitivis*, & *laxantibus*, materiam educere, *cucurbitulis*, & *scarificationibus*, dorso appositis eam ad ambitum evocare, locumque dolentem *decocto salviæ, hyssopi, serpilli, origani*, &c. fovere, reliquias tandem *sudore* dissipare. Ita svadente Horstio, *Op. Tom. 2. pag. 280. 281.*

His

His duabus causis doloris post partum Riverius, *Prax. tom. 2. fol. 432.* tertiam, & quidem communissimam, addit, sub Torminorum specie, quæ nonnunquam *à flatibus*; plerunq; autem à *commotione sangvinis, exitum quærentis*, commovetur. Sangvis enim per novem menses retentus, copiâ turgens, acrimoniâ vellicans, & per angusta vasa, motum per novem menses non expertus, exitum solicitans, dolores torminibus similes excitat, per intervalla potissimùm; quando scil. sangvis actu movetur, & dum est in viâ. Si verò exitum est adeptus, **wann ein Guß kommen ist** / ad tempus quiescit. Medemur iis doloribus emollientia & dilatantia sine acrimoniâ intus & extra exhibendo: v. g. *ol. amygd. d.* cum *syrup. violato*: clysteribus ex *lacte*, cum *saccharo* & *vitello ovi*.

Ob conatum violentum etiam vesicæ sphincter in parturientibus aliquando ita læditur, ut *Urinam continere* ad lubitum *non possint*. His succurrimus *Pulveribus*, *Balneis*, *Suffitibus*, & *Inunctionibus* astringentibus, & à proprietate juvantibus: quale est *guttur Galli*, ita crematum, ut sine corruptione in *Pulv.* redigi possit, & cum *vino rubro* potari. Vid. Horst. *Oper. Tom 3. p. 88. 89. Quæst. propr.* Conf. eund. *Oper. Tom. 2. p. 281.* Urinæ incontinentia.

Quia mulier statim à partu *Lac* in mammis non habet, sed ad tertium vel quartum usque diem eo caret, Infans interim *Pulmento tenui* nutriendus, & aliquoties mammis applicandus est, ut sugendo sangvinem pro futuro lacte paulatim attrahat. De *lacte* vid. Horst. *Oper. Tom. 1. pag. 72. 298. 363. Tom. 2. p. 277.* Lactis succedaneum.

Quibus mulieribus sangvis ad mammas in tumorem colligitur, furorem significat. Hipp. l. 5. aph. 40.

Ut secundinæ excidant, sternutatorio immisso, nares & os comprime. l. 5. aph. 49.

CAPUT

CAPUT VI.

De Infantium Affectubus.

Maculæ Uterinæ. Mutter-mahl.

QUòd per solam imaginationem matris *Infanti in utero nævus*, vel *deformitas* aliqua imprimi possit, rarum quidem non est. Non tamen, ut vulgus credit, tales nævi incurabiles sunt. Et quomodo excindi, vel absumi possint, docet Guilh. Fabric. *fol. 432.* exemplo pueri cujusdam, cui, triennali, *tuberculum* rubicundum in medio nasi, citra remanens vestigium, *resecavit*. Generoso etiam Juveni Hazfeldio *crus intrò tortum* feliciter *restituit*. Vidi ego Ingolstadii Chirurgum, jussu Parentis mei, p. m. Illust. Puellæ E. A. T. pollici alterutrius manûs adnatum quasi *digitum* sextum, statim à baptismo, insciâ matre, vix relicto vestigio, & ne vix quidem lachrymante infantulâ, *abscidisse*. In simili recens nato Infante, etiam Illustri, annis ab hinc octo, Waidhovii ad Ybsam, *auri appendentem carnem*, quasi gemmam, forfice, vix percepto dolore, *separavi*, & promanantes aliquot sanguinis guttulas facillimè per spongiam combustam, Badenfist/ititi. Alius fortè eandem operationem expectasset per ligationem cum setâ, vel filo serico circumligato, & indies magis coarctato: sed, ob metum inflammationis, & gangrænæ, præstat, ferro talia demere: teste experientiâ, & Guil. Fabric. *Macula* verò *in utero contractæ* difficiliùs delentur, quàm *Excrescentiæ*; nisi sint in superficie tantùm cutis extimæ: tunc *Variolæ* eas possunt tollere, &, præter has, etiam *Secundinæ*, si iis affecta pars fricetur; sed debent sæpius sumi recentes: sic referente Obstetrice quadam Viennensi; nec repugnante experientiâ. Helmontius, *in Tumulo Pestis*, affricat *Maculas* tales cadaveri, non violentâ morte, neque morbo acuto extincto, tamdiu, donec pars maculosa algeat, vel intensè refrigerata sit.

Tuberculum resecatum. Crus tort. restitut. Digitus abscissus. Auri appendix separata. Maculæ. Cura.

Solet

Solet nonnunquam, per Obstetricis imprudentiam, & malè administratam sectionem, *Umbilicus pueri Inflammari*: Hippocr. teste, *24. aph. sect. 3.* Tunc, ubi malum est recens, inungimus *oleum rosarum*, cum *ol. lumbricor. terrestr.* dein, inflammatione sedatâ, utimur *oleo chamamel.* & *aneth.* Tandem applicamus, majoris exiccationis gratiâ, *masticben pulv.* cum *album ovi*: nutricis interim *diatâ* ad frigidum & humidum inclinante. Umbilici inflammatio.

Circa *Umbilici Sectionem* notat Laurentius, *in Anat. fol. 263.* ad *mentulæ longitudinem* multum conferre, si vasa umbilicalia ab obstetrice longè ab umbilico deligentur: quod fit propter Ourachos protensionem; qui ad penem, mediante vesicæ extremitate, desinit. Umbilici Sectio Penis longitudo.

Riolan. *de format. fætûs, cap. 4.* monet, Obstetrices, in rescindendo umbilico puerorum, singulari cautelâ egere. Aliquando enim, cùm scil. pueri somimortui sunt, sanguinis partem aliquam intra corpus intrudendum: aliquando verò, ubi proles est satis vivida, illum bene ex vasis umbilicalibus emulgendum esse: ita nimirum variolis olim mitiùs laboraturum Infantem. Hæc ille. Propter cacochymiam, in utero contractam, Jo. Claud. de la Courvée, *de Nutrit. fat. in utero, p. 242.* illicò à partu exhibet infanti parum *mellis*, aut *olei amygd. dulc.* c. *syrup. capill. Vener.* ut scil. antequam sumpserit alimentum, excrementis suis expurgetur. Cautela.

Obstetrix Gall. *fol. 51. decidenti Umbilico*, ut meliùs contrahatur, & minor fiat, inspergit *Pulverem*, qui invenitur in *arboribus juglandium tineâ corruptis*. Utilis etiam hic *Pulvis* est, præter *Pulv. nihili*, iis, quibus, ob calorem, sudorem, & urinam, cuticula erosa est. Wann die Kinder fratt seyn. In adultioribus etiam, propter diuturnum decubitum, ad intertriginem illlam, wann man sich aufligt/ communiter utimur eod. *pulvere nihili*: sed ego soleo præferre *emplastrum* factum ex *minio*, *terebinthinâ*, *sevo cervino*, & *cerâ*, &c. Vid. Sennert. *libr. 3. Pract. pag. 243.* Intertrigo.

Purgatio Infantis. Nutricis. Si *Infans ægrotat*, & *purgari* postulat, commodiùs *Nutrici* pharmacum exhibetur; ita, ut tempore operationis ipsa infantem lactet. Si verò *ipsa Nutrix* purgatione indiget, infans non lactandus, nisi absolutâ purgatione: quod innuit Sennert. *L. 1. Pract. fol. 635.*

Infans morbosus. Mizaldus, *in appendice Centuriarum mirabilium*, *absynthii succo* hoc tribuit, si infantibus primùm natis ad 12. usque hebdomadem manûs & pedes eo inungantur, eos per vitam nec frigus, nec calorem molestum sensuros, & tales etiam à quamplurimis morbis præservatum iri, præsertim si totum corpus, per id tempus, post balneum illo succo perfundatur. Judicium bonum de absynthio, sed partiale, à Minderero, qui vinum absynthites ita amavit, ut plurimis annis præter hoc nihil biberit; sed tandem induratis visceribus obiit.

Infantium Nutritio. Improbatur *Pulmentum cum lacte* confectum, pro Infantis nutritione, præter alios à Jonston. & Helmon. Tit. *Infant. Nutrit. ad vit. long. Ort. Medic. p. 623.* & præfertur panis albus, cum jusculo gallinæ, instar panatellæ confectus, vel in tenui cerevisiâ coctus cum mell. despumato, vel sacchāro: quia puls tormina & obstructiones parit; Panatella verò optimum nutrimentum Infanti præbet.

Comprimitur aliquando *Caput* Infantibus in partu, vel ob transitûs angustiam, vel ob capitis insolitam granditatem, vel obstetricis incuriam; ita, ut *figura capitis* non solùm *immutetur*, sed & *tumores* & *prominentia* manifestè appareant. Tunc, ob locomotionem vasorum cerebri, etiam sine disruptione, *Fatuitas* Fatuitas. sequi potest, & quidem insanabilis: teste Sennert. *loc. cit. f. 137.*

Tumor capit. *Tumores* autem tales ex partu difficili ipse, *fol. 145.* curat imposito solo *Emplast. diaphœnic.* cum *oleo rosacco*: vel, si laboriosiore curâ opus est, primis diebus *Cataplasma* apponit ex *pulv. rosarum rubr. foliis* & *baccis myrti, farinâ fabar. hord. pulv. absinth. betonica, sem. cumin.* vel *anis.* & *chamam. f. Cat.* Sequentib, diebus *Empl.*

adhi-

adhibet *diapalma*, tandem *Empl. barbarum*. Eadem ferè cura quadrat *Tumoribus* ex *Casu* infantium subortis; quibus ego statim in principio adhibeo plumbum contusum: vel inungo *ol. Saturni*, *ol. anisi*, ex Foresto, *libr. 9. obs. 31.* vel *rad. sigilli Salom.* recentem contusam impono. Cave hîc, ne pus citra necessitatem moveas, neque incisionem cutis, & sic affluxum humorum, inflammationem, convulsionem excites. ex Casu. Cautela.

Guil. Fabric. *fol. 83.* monet, diligentiam adhibendam esse in *Casu Infantis*. Deprimitur enim cranium inter cadendum sine fractura; quia ipsis molle est, & objecto duro facilè cedit. Imprimis autem vix aliquid sentiunt mali: successu verò temporis fiunt *ingenio tardi*, *stupidi*, *catarrhis* & *doloribus obnoxii*: quia cerebrum non liberè movetur, adeóque spiritûs animales malè perficiuntur. Tales itaque depressiones statim apposito *emplastro* tenaciter adhærente, quale est Alexandri Benedicti, *supra*, *libr. 1. cap. 4. pag. 32.* descriptum, attolli debent; vel per *cucurbitulam*, vel *instrumentum corneum*, elevari. Vide Auctor. cit. *fol. 547.* Stupiditas. Catarrhi. Cura.

Sapientiam præmaturam periculis plenam in Infantibus statuit Horst. *de Tuenda Sanit. Op. Tom. 3. p. 188.* Novitas enim, & admiratio rerum non consvetarum, curarum item & cogitationum raritas, facit, ut Pueri, ii præsertim, quibus cerebrum siccius est, citiùs memoriæ aliquid mandare possint, & præter ætatem sapere videantur. Tales, propter cerebri siccitatem, plerunque *præmaturè pereunt*, vel, ætate procedente, *minùs ingeniosi fiunt*, eò, quòd spiritus & calor in talibus facilè mutentur in privativas dispositiones. Hinc Germanis illud consvetum: **Das Kind ist gar zu verständig/ es lebet nicht lang.** Prudentia præcox.

E contrario *ingenium* in *Pueritia* aliquando latet, talesque sæpe pro *Stupidis* habentur, donec, successu temporis, superflua humiditas cerebri, vires ingenii occultans, absumatur, & cerebrum siccius reddatur. Unde etiam calor nativus, ejusq; Ingenium tardum.

vires, commodiùs in actum prodeunt, & sic etiam tardiùs senescunt: ut fructûs hyberni, quamvis, ex arbore decerpti, incrementum justum adepti jam sint; maturescunt tamen ad suavitatem gustûs, cum tempore demùm, per hyemem. Propterea de *Ingenio Pueri* temerè judicandum non est. Vide Horst. *loc. cit.* ubi multa de *Ingenio roborando* addit. Dicuntur autem ab eodem, *f. 139. Melancholici* potissimùm *ingeniosi*; non absolutè tamen; sed quatenus in statu naturali, id est sano, constituuntur, eò, quòd ipsi non tam naturâ, quàm constantiâ laborum, & imaginationis fortitudine, avidiùs apprehendant, & amore rei discendæ impellantur.

Melancholici ingeniosi.

Memoriæ defectus.

Ol. myrrhæ.

Commendatur in *Memoriæ Defectu oleum myrrhæ*, temporibus & occipiti inunctum; quod Horst. *de Tuend. Sanit. Op. Tom. 3. p. 195.* sic conficit: *Coque ova ad duritiem, vitellum exime, & cavitatem imple myrrhâ pulv. sic resolvetur myrrha in oleum, quod in cella servabis sub arena.*

Fernelius scribit, *de abdit. rerum cauſ. c. 17. fol 130.* creditum fuisse, *Cor hirundinis adhuc palpitans* devoratum ad memoriam & intelligentiam conferre. Jonston. *l. 8. f. 358.* tanquam appropriatum, commendat, in læsâ memoriâ, *Tincturam Lunæ*, cum *aq. lil. conv.* sæpius usurpatam. *Confortatur* etiam *Memoria* inunctione *fellis perdicis*. Schol. Saler. *fol. 111.*

Ambulatio tarda.

Obstetrix Gall. *part. 1. fol. 145.* Infantium *Pedibus*, & *Articulis* applicat *Unguentum* tale, ut ossa firmentur, ad faciliorem & maturiorem ambulationem: ℞. *H. salv. majoran. ebuli*, an. part. æq. contunde probè, ut succi bonam habeas copiam. Inde eum in cucurbitam vitream bene lutatam, ut paulò plus, quàm medium, compleat. Coque in furno tam diu, quàm panes similaginei coqui solent. Cùm frigefactum fuerit, videbis, fracto vitro, Mixturam instar Unguenti: quæ servetur ad usum. De hac sume quantum placet, adde *medullæ cruris anterioris bovis* q. s. & inunge calidè crura & coxas Infantis. Possunt

sunt in hunc finem, & minori quidem labore, majorique forsitan effectu, plura componi. Sed plerunque natura firmandorum articulorum optima est architectrix.

Frequens est malum Infantibus, *viscerum* nutritioni dicatorum *obstructio*; quando præsertim naturâ voracibus plus ingeritur pulmenti, quàm ut possint concoquere. Induratur iis tunc venter, artûs verò flaccescunt imprimis, deinde in *Tabem* abeunt. Dicuntur tales infantes German. unterwachsene Kinder. *Remedium* ipsis esto, præmissa purgatione, & meliore diætâ, *Ung. deoppilativum* Viennæ consvetum, vel *Ung. pectorale.* Præsentissimum, & sæpius probatum remedium est *Pulmentum illud, quod vertex ferreus rotæ molaris inter movendum colligit*: Germ. das Pfánle-Schmaltz: hoc vel solo, vel cum ungvento mixto, inungimus hypochondria infantis. Testatur eundem effectum Horst. *Op. Tom.3. pag.76. c.b.* de *aquâ* illâ *chalybeata, quæ ex lapidibus, inter acuendum enses, defluit*: German. der Schliff / quam etiam intrò propinat, in viscerum obstructionibus; ubi aliâs *chalybis* usus frequens est. Commendatur etiam *Oleum amygdalarum dulcium*, cum *rhabarbaro* coctum; sicut & *Emplastrum de rhab.* tumores emollit & resolvit. *Linimentum* ad cachexiam virgineam vid. ap. Horst. *Op. Tom.2. p.286. c. b.* Exemplum occisi Infantis ob nimiam nutritionem exhibet J. Dan. Horst. *in Decad. Observ. Anatom. fol. 26.* Mos communis plurimis mulieribus.

Obstructio viscerum. Angewachsen. Chalybs. Emplast. de rhabarb.

Alterius *Obstructionis*, & quidem pylori, seu *inferioris oris ventriculi*, meminit Guil. Fabric. *fol. 541.* quam sequitur *Eversio ventriculi*, & continuus *Vomitus*. Quando nimirum pueris, ad nauseam usque, puls ex tritico & lacte, instar viscosi glutinis cocta, digito nutricis violenter intruditur. Hæc deinde, non concocta, hæret, & glutinat quasi, ac claudit pylorum, ut reliqua ingesta infans evomat, per alvum autem nihil excernat. Affectus ut per se rarus, ita dignotione difficilis: de quo Fabric.

Pylori obstructio.

 loc. cit.

Deglutitio. *loc. cit.* sic discurrit: *Deglutitio est actio mixta ex animali & naturali: quando ergo appetitus, actio naturalis, satiato ventriculo, cessat, tunc animalis solùm agit, &, cùm intruditur cibus digito, debet agere:* proinde satius est, ut nutrices cochleare adhibeant, ubi cibare volunt infantem, & non digitum, ut advertant, quando sat comederit infans. Curatur autem talis *Pylori obstructio Clysteribus* nutrientibus, bis in die injectis; foris *Unguent.* & *Sacculis* emollientibus adhibitis. Mulieres Bavaricæ *Ventriculi eversionem* curant adhibita *Cucurbitulâ*, cum magna flammâ, non ad ventriculum, sed ad umbilicum: credunt enim, vomitum continuum provenire ab umbilico inverso, vel loco moto, von dem Nabel ausbärgen / oder ausdrucken: de quo etiam supra, & sic vomitum curant; fortè per cucurbitulam adhærentem pyloro viscosam ex pulte materiam simul ad intestina trahendo, & ita causam ventriculũ ad vomitum incitantem auferendo. Hunc affectum non parum fovere potest *Puls ex amylo*, & *semine papav. albi* facta, quam nutrices infantibus exhibent, pro somno conciliando; ut & ipsæ quietiùs dormiant: habet enim puls sic confecta non vim solùm narcoticam, sed & multum viscositatis.

Infans ut cibandus.

Clyster nutriens.

Ventriculi eversio.

Nabel ausbärgen.

Amylum.

Lactis vomitus.

Corallium rubrum collo infantis appensum, ad os ventriculi pertingens. *Vomitum lactis* prohibet. Omnib. Ferrar *part. 3. aph 91.*

Ploratus infantium impeditus.

Malè etiam faciunt mulieres, quæ, ut *ploratum* puerorum *inhibeant, medullam panis linteo involutam*, & *lacte maceratam*, ori tenello inferunt. Ger. Ein Sugl / oder Zuller. Sic enim os puelli nimium amplificando deformant, & nonnunquam infantes omnino suffocant.

Asthma.

Asthmaticis etiam infantibus licet *lingvam comprimere*, & sic *vomitum concitare*, pro summo beneficio, ex Avicennæ sententia: apud eundem Ferrar. *de Art. med. Infant. f. 206.*

Vermes.

Vermes quamplurimos infantes molestant, præcipuè illos, quibus carnes conceduntur. Caro enim duræ coctionis valde diffi-

dissimilis est nutrimento lactis, quod citò conficitur. Ergo caro necessariò corrumpitur, & ex corruptâ vermes generantur: ut colligitur ex Riv. *in Praxi*, *fol. 715.* Unde pueris esum carnium tardè concedendum; quod aliàs vermes in iis facillimè generentur, etiam insinuat Primiros. *libell. de vulg. errorib. fol. 291.* ubi ait; plurimos Autores advertere, quòd pueri vix unquam lumbricis tententur, quandiu solo lacte utuntur. Illi verò nonnunquam sic latent, ut nullum sui vestigium edant. Si verò manè jejunis pueris supra os ventriculi fundatur frigida, tunc omnes vermes congregatum iri, & sic se prodituros esse, habet Jonston. *l. 10. f. 511.* modò caveatur, ne frigida offendat Infantes. Propterea in *Suppositoriis*, & *Clysteribus*, svadet Jo. Keckius, Med. Bon. *apud citat. Ferrar. f. 55.* ne *amara* infundantur: ea enim pellere vermes cum noxa ad superiora. Idem monet Horst. *Op, T. 3. p. 71.* at quod prudenter limitat Riv. *f. 726.* & ait; quando lumbrici ab intestinis tenuibus ad crassiora, per clysteres dulces sunt allecti, non facilè retrocedunt; & tunc licet injicere eà, quæ ipsos enecant; quia medicamentum tunc ipsos contingere potest.

Quædam vi specifica *Vermes necant*, ut sunt *CC. ustum pp.* quod putredinem diuturno suo usu corrigit, & eam unâ cum Vermibus expellit: *Pulvis* item *lumbricorum calcinatorum* mirificè vermes necat & expellit: medicamentum Agyrtis notum: sed seminarium aliquando post se relinquit, quod novos facit generari vermes. Tutissimè verò utimur *Mercurio dulci* ad ℈ß. cum *ol. spicæ gutt. ij.* & parum *sacchari.* Iterum vid. Horst. *Op. Tom. 1. p. 388.* Et per Mercurium, rectè per Chymiam præparatum, omnis generis vermes, in corpore nostro genitos, promptè, citò, tutò, & jucundè, specificâ quadam virtute, absque omni periculo, funditus expelli, & simile medicamentum vix inveniri posse, &c. habet Sebastianus Stromajer, ap. Horst. *Oper, Tom. 2. pag. 539.* Lumbrici.

Rive-

Riverius verò, *fol. 723.* authoritate plurium Practicorum, proponit & commendat ipsum *argentum vivum*; quamvis ille eo uti nunquam ausus fuerit. *Dulci* quidem *Mercurio* ego sæpius, & cum effectu bono, usus sum. Inter alios, à Riverio citatos, Authores Baricellus *Mercurium* cum *cydoniis*, vel *sacchar o rubro*, vel *rosato*, tamdiu mortificat, & in vitreo mortario agitat, donec invisibilis reddatur: & sic à ℈j. ad ʒj. innoxiè exhibet.

In vermibus Mercurius etiam datur Pueris, ad ℈j. Autore quoque Primirosio. Dn. Georg. Schaidenberger, Med. Doctor, Antecessor meus Jaurini, infundit solum hydrargyrum in aq. fontan. quam exhibet Infantibus. *Pulvis lumbricorum* etiam Sennerto, *L. 3. Pract. fol. 213.* suspectus est, ob eandem, quam Horstius allegat, causam. Inter omnia verò medicamenta *Vermes necantia* facilè principatum obtinet, juxta Sennert. *Corallina herba*, sive *muscus marinus:* Germ. Meer-Moos/ ex qua in Italia *Circumforanei* suum *Pulverem* conficiunt, & ad miraculum usque vermes necant. Utilis etiam est *Pulvis* ex *sem. santonici*, & *rad. primulæ veris*: estque hic pulvis *Agyrtarum* nostrorum in Germania. In delicatulis, ubi per os medicamenta difficulter

Inunctiones. admittuntur, ℞. *Pom. arant.* vel *citri parvum*, excavato inde *Theriac.* ℈ij. *aloes* ʒj. *croci* gr. vj. ex aflato succum exprime, eumque regioni ventriculi & umbilici inunge. Ex libro M.S. Ill. Dnæ de Lamberg. Vel

℞. *Ol. cydon.* ℥ß.	*CC. ust.* ʒß.
absinth. ʒij.	*ceræ* q. s.

F. Ung. molle; adde, si placet, *fellis bovis*, vel *carpionis* aliquid. Forest. *de Febr. l. 2. obs 6.*

Pediculi. Si ficûs aridæ, caricæ dictæ, copiosiùs eduntur, pediculos gignunt, teste Jonston. *in Id. Med. Pract. libr. 1. pag. 19.*

In cit. libro M.S. legitur titulus: Ein bewertes Pulver / für die Kinder / wenn man nicht weiß / was ihnen ist. Conficitur au-

Morbus incognitus. tem hic *Pulvis* è quibusdam alexipharmacis & aromatibus. Et quam-

quamvis titulus præſcriptus planè ridiculus videri poſſit; præſtat tamen, in rebus dubiis nonnunquam ad remedium anceps confugere, quàm nullum adhibere. Sic Sennertus, *L. 3. Pract. fol. 985.* in *morbis puerorum incognitis* experiri ſvadet, utrum non in *Umbilico Vermis* aliquis lateat: quod tentare licet, impoſito per noctem *fundulo piſce*, qui ſi depaſcatur, ſignum eſt latitantis vermiculi, & puerum occultè torquentis. Is autem vermis tam ſe inſinuat umbilico, ut manibus extrahi non poſſit; necatur tamen appoſito *vitro Veneto pulveriſato*, in putamine dimidio nucis juglandis. Et ſanè perquam difficile eſt, Puerorum morbos, cauſas, & ſymptomata dignoſcere; & ſæpe divinatione opus eſt; quia defectûs ſuos vel ob denegatam loquelam, vel ob intellectûs imbecillitatem, explicare non poſſunt: & pueros ferarum omnium eſſe maximè intractabiles, non ſolùm probat Praxis quotidiana; ſed etiam ex Galen. & Platone confirmat Epiphan. Ferdinand. *Caſ. Med. hiſt. 13.* it. *80.* maximè in medendo. Unde res apud plurimos eò devenit, ut credant, vel nullam Infantium morbis deberi curam, vel Medicorum ſaltem non eſſe, circa hanc occupari. Propterea major habetur fides Idiotæ alicui mulieri, Einer guten Kinder Doctorin/ quàm exercitato Medico: quaſi res, per ſe cognitu difficilis, à muliere Medicaſtra faciliùs dignoſceretur. Umbilici Vermis. Puerorum morbi cognitu difficilis. Kinder Doctorin.

Quòd *Puerulis* recens-natis *Lac in mammis* generetur, &, ni illi bene curentur, graviſſima incurrant ſymptomata, ſe obſervaſſe, teſtatur Deuſingius, *de lacte, fol. 326.* etiam teſte Cardano: & inde probat, materiam lactis non eſſe ſangvinem menſtruum. Sed hunc caſum ego nunquam obſervavi. Lac in mammis puеror.

Eſt Puerilis morbus, qui ad *Vermes* non ineptè referri poteſt. Germ. die Miteſſer: quaſi vermes cum puero communi nutrimento uterentur. Vocantur etiam à Jonſton. *libr. 10. fol. 537.* Vermes Dracontii, qui pueros exagitant; unde Atrophia. Is morbus ab Horſt, *Op. Tom. 2. p. 254.* deſcribitur, quòd Miteſſer.

Transpiratio impedita. Macies. proveniat ex obstructione pororum cutis, ob difficilem primæ lanuginis egressum, indéq; caloris nativi denegatam eventilationem; cujus ratione pueri *macie* consumantur, donec per abstergentia convenientia, frictiones, mellis inunctiones, &c. pori cutis ab obstructione tali liberentur. Quidquid autem abstergitur, similitudinem habet capillorum decurtatorum, vel sordium, quales in balneo frequenter videmus. Non tamen negaverim, illud ipsum, temporis diuturnitate, in *Vermiculos* degenerare, & vitam induere, nec non alimentú absumere posse; quod Sennertus quoque, *L. 2. Pract. f. 306.* & *de morb. Infant. p. 90.* videtur insinuare. Vide Horst. *Op. Tom. 2. p. 248. de Trichias.* & *p. 254.* Cratonem, *Epist. Medicinal. 27. p. 33. Epist. 215. pag. 366.* & *Epist. 238. pag. 428.* Licebit etiam *Balneum* ipsis parare ex *Sideritide herba*, Fuesbeer / quæ, ut supra dictum, potenter abstergit, & poros aperit.

Crinones. Hi Vermes vocantur à Jonston. *lib. 9. f. 501. 464. Crinones*, & ait ille, hinc dorsum contabescere, nutrimento per vermiculos depasto. Tolluntur *illitione ex farinâ triticeâ*, cum *melle*, subsequente rasione cum novaculâ, quâ capita exserta abscinduntur.

Tussis. Puerorum *Tussi* medetur Horst. *Op. Tom. 2. pag. 301. sacchari liquore*, ex *raphano* in taleolos diviso defluente. Forest. *L. 16. f. 28.* ℞. *Succi farfar.* ℥iij. *mucilag. sem.* & *rad. alth.* cum *aq. hordei extr.* ℥j. & cum *sacch. penid.* f. Looch. Idem, ex consilio Empirici, Pueris *tussientibus* propinat *guttulas aliquot* à *limacibus sale* conspersis defluentes. Vel *oleum sacchari* (imò liquorem cum spiritu vini accenso factum, uti describit Begvinus, *Tyrocin. Chymic. cap. 6. pag. 253.* addit. ad *ol.* ℥j. *essent. croc.* gr. iij. vel iiij.) lambendo exhibe, & *lavacris pedum* utere.

Hernia. Obstetix Gall. *part. 3. f. 40. Herniis* Puerorum sic medetur: ℞. *de radicibus filicis masculæ extuberantias, de his detrahe pelliculas, & impone radices nodosas cacabo, ut in fornace sine combustione exiccentur; de his, tenuissimè tritis, pauxillum propina in jusculo, bis*

bis in die. Vel madefac *spiritu vini* triplicatum linteum, & scroto calidè sæpius applica; vel inunge rupturam *oleo lauri, mastichin. juniperin.*

Nonnulli, inquit Sennert. *L. 3. Pract. f. 228.* hanc *Herniæ* curam, ut certissimam, nec sine ratione, commendant.

℞. *Rad. cichor. flor. alb. mense Julii effossæ, part.* iij. *rad. pulsatillæ part.* ij. *sem. perfoliat. part.* j.

F. Pulvis, de quo, in prandio & cœna, quantum tribus digitis primoribus capi potest, in jure carnis capiat Æger, usq; dum integrè restituatur. Nota; hæc omnia non sufficere, nisi accedat *Subligaculum* bene accommodatum: quo solo non rarò herniæ curantur.

Dentitionis tempore plerunque *Diarrhœa* contingunt Infantibus: cujus causam breviter innuit Omn. Ferrarius, *f. 222.* *Quidam*, inquit, *sunt, qui dicunt, quòd fiat propter superfluitatem salsam; sed potest etiam fieri alio modo, imò propterea, quòd natura impedita in generando membrum, non benè digerit.* Equidem arbitror, utramque rationem unam esse, si bene explicetetur. Nam cùm dolor urget, propter dentis eruptionem quoque modo impeditam, fiunt vigiliæ, inquietudines, humorum commotiones; hinc concoctiones hebetantur; inde humorum salsorum proventus, qui alvum stimulant ad excernendum. Idem, *f. 226.* suadet, ad *sistendam alvum*, quod ℞. *Acaciæ, cerussæ,* an. ʒj *opii* gr. viij. M. F. cartem *Suppositoria*, quibus alvi osculo intrusis statim arcetur profluvium. Licebit idem tentare, & quidem securiùs, in adultis: sed cave, ne præmaturè: satius enim est, corruptam materiam excernere, quàm cohibere. Diarrhœa. Supposit.

Imò si *alvus* Dentitionis tempore *non fluat*, Infantibus *Genuum gravitatem, tumorem, dolorem*, & *ambulandi impotentiam*, contingere, compertum est: juxta *aphor. 20. libr. 4.* Tunc nihil obstat, quin Infantes per repetita mitiora *Purgantia* ad diarrhœam deducamus. Unde autem, & qua ratione, ex *adstrictiore alvo*, dentitionis tempore, materia declinet ad Genua; non est ita facilè explicare; nisi credas, Alvi adstrictio. Genuum dolor.

 sympa-

ſympathiam aliquam inter genua, quibus maxilla inferior infantis in utero matris proximè incumbit, & dentes, intercedere. In hoc caſu, non cuilibet obſervato, præſtat à *Topicis* abſtinere, & ſubſequentem diarrhœam expectare, vel negotium penitus naturæ relinquere.

Dyſenteriam etiam per *lac* commodè curari; & quomodo, vid. ap. Fabric. Hildan. *Tract. de Dyſenter. fol. 667.* ubi etiam, *fol. 678.* notat, puerum trium annorum in deſperata diarrhœa, dyſenteria & lienteriâ, reſtitutum eſſe, ad ubera matris ipſum denuò applicando.

Dentitio. *Ad facilitandam Dentitionem* commodè inungimus gingivas *cerebro leporino* cocto, unâ cum capite illius, & cum *melle* ſubacto potiùs, quàm crudo, ex Galeni & Avicennæ ſententia, apud Sennert. *L. 2. Pract. f. 44.* Cum *ſangvine pennæ gallinaceæ immaturæ cruentæ* ſæpius eas tangere jubet Hartmann. ap. Sam. Schönborn. *in Manual. Prax. Med. pag. 48.* Paræus *incidit ſcalpello gingivas*, ſi nimis denſæ ſint, & promineant, dentque ſignum erupturi dentis candicans.

Gingivarũ putredo: Mundfäule. *Gingivarum putredo*, Germ. die Mundfäule / ab Obſtetrice Gallica, *fol. 114.* ſic curatur:

℞. *Herb. ſalviæ* Mß. Coq. in ℔ß. *aq. f.* parum: circa *cerefol.* Mj. finem adde *aceti coch.* j. & in colat. diſſolve ℥j. *mellis roſat.* eoque os Infantis elue. Vel mundifica in die ſæpius gingivas *linteo*, aut *folio ſalviæ*; & inunge poſtea *ſyrupum è roſis ſiccis*, cum bona parte *ſpiritûs vitriol.*

Strabiſmus. Ambidextri. Modus lactandi. *Strabiſmo* nonnunquam deturpantur Infantes, vel *ambidextri* fiunt. Omnibonus Ferrar. *part. 1. aph. 45. de Infantium cura* præcipit, ut inter lactandum nutrix ad utramq; mammillam convertat infantem; ne, ſi uni tantùm mammæ illum applicet, oculos in eam ſolùm partem convertat, & ita ex altera parte oculorum muſculi extendantur, alii oppoſiti coarctentur, & breviores fiant: unde *Strabiſmus.* Deinde ſi ſiniſtræ mammæ ſolùm fuerit applicatus infans, aſſuefiet motui crebriori

manûs

manûs finiſtræ : ita vel *æqui-manus* efficietur, vel utetur, adoleſcens, citiùs manu ſiniſtrâ, quàm dextrâ. Hinc Idem, *part.2. aph.22. dare operam*, ait, *oportet, ut infans, dum lac ſugit, modò dextram manum habeat liberam, modò ſiniſtram.*

Quantumvis autem curam hîc Infanti adhibeas diligentem, non effeceris tamen, ut *mulier ambidextra* fiat : & ſtat experientiâ etiam comprobatus *aph.Hipp.43.ſ.7.* Ambidexter enim fit, ubi quis, ſupra communem hominum conditionem, ex admodum copioſo ſangvine & ſpiritu calido, nervorum & muſculorum robore prævalet, ut par virtus in utrumque brachium diſtribuatur ; quod in viro etiam eſt rariſſimum. In Sacris quidem literis exemplum eſt reperire, *libro Judicum, c.20. Septingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtrâ, ut dextrâ, prælîantes.* Mulier autem, propter imbecillitatem ſexûs, eò caloris & roboris devenire non poteſt ; ſiquidem etiam calidiſſima non æquat temperamentum viri temperatum. Tentabant illud efficere Amazones, bellicoſæ viragines, quæ puellis adhuc infantibus exurebant, vel exſcindebant, dextram mammillam, ut inde nutrimenti & roboris plurimum derivaretur ad vicinum brachium, & par virtus eſſet utrique brachio ; ex Hippocratis opinione, *l. de aëre aq. & loc.* ex Juſtini verò mente, *l. 2.* ut non ſolùm lævâ arcum, dextrâ ſagittam, tenerent, ſed, pro majore commoditate, ſimilter utriſque ad utrumque uterentur. Attamen hac arte non obtinuerunt, ut ambidextræ evaderent.

Ambidextri unde.

Amazones.

Quòd *Venæſectio* annorum numero non circumſcribatur, adeoque ab Ætate non bona fiat Indicatio Venæſectionis, Practici benè norunt ; contra imperitum vulgus, quod ante pubertatem, & poſt ſexageſimum annum, Venæſectionem non admittit. Guil. Fabricius autem, *f.557.* exemplo *Puellæ, annorum quatuor*, quæ caſu vulneravit uterum, &, ingentem paſſa hæmorrhagiam, nihilominus evaſit, edoctus, in morbis calidis, ut ſunt febres continuæ, pleuritides, peripneumoniæ, mor-

Venæſectio, quoad ætates.

billi, & variolæ, etiam in *Infante phlebotomiam* administrat; vel, saltem hirudines applicando, sangvinem per venas educit; quod tamen in genere adeò improbat vulgus, ut nefas duceret, illius saltem aliquam facere mentionem. Contra Aëtius, *tetrab. 1. serm. 3. cap. 11. ap. Mollebr. f. 496.* habet: si vires fuerint fortes, & necessitas urgeat, etiam septuagenariis venam secabis.

Unguium defectus.

Fœtum *sine Unguibus* nasci, ubi mater nimio sale, dum prægnans erat, usa fuerit, dicit Aristot. apud Sennert. *L. 3. Pract. fol. 307.*

Fœtus morbosus.

Unde.

Sunt, qui, etsi nascuntur sanis parentibus, & optimè educantur, nihilominus tamen, dum vivunt, *sinistrâ utuntur valetudine.* Rationem prodit Horst. *de Tuenda Sanit. Studiosor. f. 5.* dum, *Qui in magnis*, inquit, *cœli mutationibus, utpote æquinoctiorum, solstitiorum & eclipsium temporibus, itidemq́ lunâ novâ concipiuntur, invalidâ corporis constitutione præditos esse, experientia demonstrat.* Periculosa enim hæc esse tempora, affirmat Hipp. *l. de aëre, aquis & locis.* Et quidem Horstii sententia, de conceptis fœtibus, mihi magis placet, quàm Sennerti, *Lib. 1. Pract. fol. 593.* qui idem asserit, sed de Infantibus tunc temporis natis. Plus enim in morbis contrahendis, vel valetudine firmanda, posse *Conceptionem* fœtûs, quàm *Partum*, planè mihi persuadeo.

Conceptio Partus.

Temperamentum enim, sive noxium, sive amicum, fœtui futuro in prima statim seminis commistione, & subsequente formatricis actione, multò faciliùs imprimitur, quàm fœtui jam perfecto, & ad exitum inclinanti; qui sic, ob partûs retardationem, nonnunquam diu, antequam totus exeat, utero referto, peregrinâ aurâ fruitur; quæ, mediantibus siderum influxibus, aliquid prodesse, vel nocere posset. Propterea tanti non sunt faciendi, qui ex *Nativitate* hominis nescio qualia, & impia & inepta formant Prognostica, fundamentum totius artis momentaneo astrorum influxui, tempore nativitatis infanti impresso, superstruentes; cùm à principio conceptionis, si illud

Siderum influxus.

sciri

ſciri poſſet, fortè prognoſtica certiora ſequerentur; modò verum ſit, influentias cœleſtes tam efficaces eſſe in componendis moribus, fortunâ, vitæ & mortis genere, concepti fœtûs. Qualia ſcil. die Nativitätſteller / pecuniarum aucupes, ſatis audacter comminiſcuntur. Si itaque conceptio in talia tempora incidit, generatur, ut *ſupra* dictum, Infans, plerunque ſine cognitione cauſæ, morboſus, & imprimis Epilepticus; talisque non evadit. Nativitätſteller.

Solent quidem curioſis vitæ brevis, vel longæ, hujus vel illius periculi, vel fortunæ, indagatoribus, ab hiſce *Prognoſticantibus* non rarò talia, ex nativitatis puncto, ſuperſtitiosè magis, quàm artificiosè, deſumpta prædici, quæ cum eventu coincidunt. Ea tamen vel caſu contingunt, vel ex ſingulari Dei diſpoſitione & vindictâ permittuntur: qui ſolus novit, quàm breves dies ſint hominis; qui numerum menſium ſibi ſoli reſervavit. Cujus rei hiſtoriam vidi in Illuſtriſſima Bavariæ quondam Matronâ, cui à ſimilibus Impoſtoribus, ipſam tertio partu morituram, prædictum eſt. Hæc igitur, poſtquam bis feliciter peperit, in tertio partu, Prognoſtici memor, cùm jam fœtus in procinctu, & omnibus bene proviſum eſſet, nullâ ratione ad eum enitendum perſuaderi potuit, ſed prognoſtico pertinaciter acquievit, & unâ cum fœtu occubuit. Ad Epilepticam diſpoſitionem inducendam aſtrorum poſitûs facerere; & plerunque, qui in eclipſi Lunari naſcuntur, huic malo obnoxios eſſe, habet etiam Sennertus, *lib. 1. Pract. pag. 590.* & Infantes tempore Novilunii natos plerunque epilepticos fieri, & rarò mortis periculum evadere: *ibid. pag. 593.* *Curam* vid. *ibid. p. 594.* Paul. Neucranz. *Med. de Purpur. fol. 115.* veriſſimè demonſtrat, nihil prognoſtici ex aſtris, nec cauſas morborum, vel variorum eventuum, poſſe deduci. Prognoſtici eventus.

Cur pueri ſæpius *Epileſiâ* laborent, præter prædictas cauſas, alia etiam ratio videtur Horſtio, *Oper. Tom. 3. pag. 33.* Epilepſia, Unde.

non

non quòd humidioris sint capitis, sed quòd lac, & nutrimentum, avidiùs ingestum in ventriculo acescat, & veneni naturam quasi induat, ex vitriolo & Mercurio mixti, juxta Quercet. Hinc fit, quòd Melancholici facilè fiunt Epileptici : humor enim ille naturam vitrioli habet : qui, si sit excrementitius, & superfluat, venenum induit Mercurii, & vitrioli, talesque vapores ad caput mittit. Sic nimirum oportet ad Hermetica confugere principia, si occultas illas qualitates, Chymicis tantopere exosas, utcunque declinare velis.

Principia Chymica.

Lactis concretio.

Infantibus, ex vitio ventriculi, vel lactis, vel modo ingestionis, nonnunquam lac concrescit, & *Epilepsiam* parit. Tunc Jonston. *fol. 418. 386.* *Cataplasma* ex *foliis Ulmi* part. iij. in *urinâ pueri* coctis, cum *butyri recent.* ℥ij. formatum, & regioni ventriculi applicatum, valere, scribit.

Præservatio.

Præcavetur Epilepsia, si statim à partu cum lacte ℈ß. *coralliorum* exhibeatur. Arnold. apud Wecker. *Antid. spec. fol. 29.* Sed debent corallia in alcool reduci, ne infans suffocetur; quod, ex *margaritis* non bene tritis, puero cuidam contigisse, narrat Guil. Fabric. *fol. 517.* Vel statim exhibe infanti *Emulsionem* ex *amygdalis dulcibus*, cum *lacte muliebri* & *sacchar.* Caspar. Hoff. apud Crat. *L. 3. f. 194.*

Balneum.

Nonnulli prædicant, ut Secretum pro *Balneo* primo Infantum, quod Sennertus, *L. 1. Pract. f. 636.* habet : ubi ℞. *Spiritûs vini* ℔iij. *castorei* ℥ß. *rad. pæoniæ* ℥iij.

Macerentur simul, & colaturæ addatur, si placet, *liquor*, vel *decoctum*, ex iis, quæ sunt *contra epilepsiam*, & ex his fiat *Lavacrum* primum: de quod vid. etiam H. Reuss. *in Syllog. Velsch. Obs.* 12. *p.* 10. Vel sume res præscriptas tantùm & iis ablue tenellum infantis corpus. Idem, *de morbu Puer. f.* 51. ex Æginet. *libr. 1. c. 9.* commendat etiam *Balneum* ex *decocto Heliotropis*, alii ex *pæoniæ radic. semin. florum decocto.* Sed cave, ne sit *nimis fervidum.* Sic enim mense Septembris, Anno 1634. Viennæ, Opificis cujusdam filiolo

Balneum fervidum. Exuviæ infanus.

filiolo malè factum *Balneum* credebatur: cujus, recens nati, exuvias pedum, manuumque, chirothecarum instar, cum unguibus & integra cute, ad Facultatis nostræ Medicæ Congregationem Parentes deposuerunt, petentes, ut, re considerata, Obstetrix, quæ Balneum administravit, & infantem per hoc ita excoriavit, pro merito puniretur. Sed quia tunc infans jam sepultus, neque accusata Obstetrix præsens fuerat, examine per deputatos Medicos altero die habito, Obstetrix pro defensione respondit: contingere quibusdam infantibus vesiculas, humore acerrimo turgidas, quæ nisi protinus aperiantur, & inclusus humor evocetur, & inuncto butyro vulnus consolidetur, humoris acrimoniâ eò deveniant, ut separata cutis in Balneo facilè abstrahatur; quod, ait, ex negligentia parentum, à tertio, quo ipsa primam pustulam vidit & aperuit, die, usque in undecimum nihil tale animadvertentium, factum sit: puero interim emaciato, & sine nutrimento per triduum persistente; tandem post balneum, sine lachrymis, sine convulsionibus, absolutum, & depositas exuvias, blandâ morte extincto. Hoc itaque dato responso, & contrariâ parte nihil ulteriùs movente neque probante, non solùm propter allegatam ab ipsa excusationem, sed propter alias insuper à D.D. Medicis consideratas rationes, Obstetrix absoluta discessit. Videtur autem pro sui tutelâ novum excogitasse morbum, & in principio nihil aliud descripsisse, quàm *Papulas*, quæ sunt pustulæ, aquam in vesiculæ modum continentes, infantibus familiarissimæ, Germ. Hitzbläterlein. Sed quis unquam animadvertit, talia tubercula eousque progredi, ut integram cutem, cum unguibus, à carne separent? Nihilominus innocuam pronuncio mulierem obstetricantem, etsi illa se, forsitan non sufficienter, & ex tempore, interrogatam extricare potuerit. Nam si balnei fervor tantus fuit; cur illa ipsa manûs proprias primo attactu non læsit, nî fuerit insensata? Cur totius corporis tenelli cutem integram, cum

Papulæ. Hitzblätterlein.

substratâ carne, quæ, parentibus ipsis attestantibus, integra mansit, non adussit? Cur manuum præsertim, & pedum, cutem, cum unguibus, chirotecarum instar, ut etiam aquam intus affusam contineret, integram reliquit, & non, ut ambusta per aquam fervidam membra corrumpi solent, in frusta maceravit? Cur non infans insolito ploratu dolores subitaneos prodidit? Non immeritò igitur, in re tam obscurâ, suspicor, subfuisse *Lusum* quendam *naturæ*, quæ, ex imaginatione matris, duplicem in extremis partibus cutem generavit, hæcque undecimâ demum die à substrata tenui cuticula, carnem vix tegente, per frequentata balnea separari potuit, singulari obstetricis infortunio, quæ tunc ad balneandum accessit, quando jamjam natura exuvias illas voluit deponere, cum vitâ infantis. Epidermidis quidem, sive cuticulæ, separationem frequentem esse infantibus, Germ. das Häutеln / non negaverim. Sed tales exuvias, quales nobis hîc ostensæ fuerunt, non facilè deponunt infantes, serpentum instar: præ se ferebant enim crassitiem verissimæ cutis, cujus extremitates in ungues naturales terminabantur.

Lusus naturæ.

Epidermidis separatio. Das Häuteln.

Vidi ego quondam in muliere Hebræa Kobelspurgi, prope Crembsium, Inf. Austriæ, *Cuticulam* universi corporis, per serosi humoris ebullitionem, à cute verâ *separatam*, intermediâ aquâ citrinâ mordicante, qualis per cantharides attrahitur. Erat juvencula tredecim annorum, &, ut solet hoc genus hominum, jam viro nupta. Calebat, & vociferabatur, quasi jamjam moritura: convaluit tamen per *Analeptica* exhibita, foris autem *involucro* facto totius corporis ex *cera*, *axungiæ cervi*, *oleo violarum*, & *camphora*, simul liquatis, & linteo inductis.

Cuticula separata.

Sennert. *de morb. Infant. fol. 23. 24. Vetula*, inquit, *hîc Infanti recens nato, epilepsiâ laboranti, guttas duas*, vel tres, ol. succini *exhibuit; unde tantus in corpore ardor exortus est, ut tota cuticula*,

Ol. succini damnum.

la, quasi fervidâ aquâ combustus esset infans, abscesserit, & infans paulò pòst mortuus fuerit.

Affectum hunc gravissimum, quatuor annis durantem, feliciter curavit G. Hieronym. Velschius, *in libell. de Ægagropilis, fol. 58.* in puella nubili, per *Ægagropilos* (mit den Gembsen Kugeln). Credibile sanè, omnibus capitis affectibus mederi posse; quia ex Doronico, & montanis herbis odoriferis, cephalicisque generantur: ipso Autore pererudite sic docente.

In pueris *Catarrho* laborantibus, ubi metus est epilepsiæ, exhibemus *sperma ceti*, pisi magnitudine, cum *lacte muliebri*, (Horst. *de tuend. sanitat. Oper. Tom. 3. pag. 194. c. b.* dat cum *syrup. violat.*) procurato somno. Ita fluxiones intercipiuntur, & suffocationis periculum tollitur. Prodest etiam in principio *Catarrhi calidi Mixtura* talis; Catarrhus

℞. *Sacch. penid.* *gum. tragacanth.*
gumm. Arab. *glycyrrhizæ*, an. q. s.

Pulverisatis minutissimè adde *lactis muliebris* tantundem, ut coeant in *Eclegma*: de quo exhibe cochlear unum & alterum. Capitis verò suturæ insperge *Pulverem sandarachæ*, si catarrhus *frigidus* fuerit. Joan. Nevius, apud Crat. *Cons. 309. p. 882.*

Appropriatum *Epilepsiæ* remedium creditur esse *Cranium hominis* variè præparatum; quo ego Lyncii puerum nobilem, paroxysmos Epilepticos singulis diebus, &, per aliquot menses, ultra triginta passum feliciter curavi. Pro *purgatione* exhibui *radicem Galap.* cum *fol. auri*, & aliquot *guttulis ol. cranii hom.* *Extra* collo appendi *Nodulum* ex sindone de *rad.* & *sem. pæoniæ* factum, ex Foresto, *libr. 10. Obs. 59.* Temporibus illinebam idem *ol. cran. hom.* mixtum cum *oleo rutæ dest.* *Intus* exhibui quoque, tanquam specificum, *oleum cranii human.* sed primæ & mediæ destillationis: ultimum enim vi ignis cogitur, & fœtet. Pro *potu* ordinario præscripsi *decoct. CC. ust.* in quo *aurum candens* sæpius extinxi &c. Contra Epilepf. Cran. human. Purgatio. Externa.

Variolæ. Morbilli. *Variolæ*, & *Morbilli*, ut externâ ſpecie differunt, ſic causâ materiali fere, & efficiente, omnino conveniunt. Nomine autem *Variolarum* intelligimus tubercula elata, in pus plerunque abeuntia: *Morbillorum* verò maculas potiùs, parum ſupra cutem prominentes, & ſuo tempore, nullo ſui veſtigio relicto, evaneſcentes.

Fernel. *de abd. morb. cauſ. cap. 12.* non vult, ob ſanguinis menſtrui impuritatem variolarum & morbillorum cauſam & neceſſitatem deduci: ſed eam ab Aſtris petit. Rationes ipſius, non adeò firmæ, videantur *ibidem*.

Riolan. *pag. 86.* Variolas dicit Puſtulas: Morbillos verò vocat Rubeolas: quia cutim rubore tantùm afficiant.

Exanthemata. Hiſtoria *Exanthematum*, quæ annis ſuperioribus & in Aulâ, & in tota Civitate Viennenſi, graſſabantur, ſub Titulo *Roſſaliæ* explicatorum, ex Jonſton. *fol. 322.* ita habet: *Roſſalia*, ſeu ἐρυθρήματα, maculæ rubræ, & quaſi ignitæ, quæ, cum vix effatu digno tumore, per univerſum corpus, quaſi quædam eryſipelata parva, in principio morbi, ſeu die quarto, vel quinto erumpunt, progreſſu morbi totum corpus occupant, ut id quaſi ignitum appareat. Is color in declinatione iterum, ut in principio, in maculas mutatur; quæ tandem ſeptimo vel nono die evaneſcunt, epidermide ſquammarum inſtar decidente. Curatio horum nihil ſingulare habet: ſed *curam* omnium ipſorum, propter dictam cauſarum cognationem, meritò confundimus.

Cura.

Purgatio qualis eſſe debeat. Neque eam, ut in febribus ſimpliciter putridis, ab *electivè Purgantibus* ordimur; quod & mulieribus notum; ne naturam ab opere ullâ ratione impediamus. Molitur enim illa materiæ malignæ excluſionem per cutem; Purgatio verò attrahit humores ad centrum, & turbat id, quod in tanta humorum ebullitione non attingere deberemus. Propterea oportet, ubi febres cum exanthematibus hiſce populariter graſſantur, vel ubi leviſſima aliqua ſuſpicio futurarum variolarum adeſt, *Lenientia*

Lenitiva.

non

non transcendere. Mentiuntur enim hæ febres, antequam maculæ se prodant, aliquando formam intermittentium. Et quid opus est, ante perfectam morbi dignotionem, statim ad *Purgantia* properare? Annon præstat, unum & alterum febris, si quæ futura est, intermittentis paroxysmum expectorare, quàm Ægrum in præsens vitæ periculum præcipitare? Alii, & quidem non malè, quando liberis suis de malo quasi inevitabili timent, antequam ebullitionis signum appareat ullum, *suaviter* ipsos *purgant*, & diætam strictiorem præcipiunt; ut cacochymiam omnem maturè tollant, & sic naturæ duplex onus, & labor vincendus non relinquatur.

Ob eandem causam Horst. *Oper. Tom. 2. pag 308. Nutricibus* hoc tempore præscribit *Vinum passulatum*, per octiduum in prandio bibendum, tale: Nutricum Vinum passulat.

℞. *Passul. min.* ℥iß.	*sem. fœnic.* ʒiß.
fol. sena el. ℥j.	*macis*,
rhabarb. ʒj.	*cinnam.* an. ʒß.

Infunde in *vini tenuioris Rhen.* mensuram dimidiam, &, postquam 24. horis steterit, transcolando exprime. Concedit autem vinum hoc inter prandendum; in eam scilicet intentionem, ut *purgantia*, cibis mixta, vim suam ipsi nutrimento imprimant; quod denique in lac versum, & infanti propinatum, ipsum suaviter *purgare* possit. Id. *loc. cit. fol. 309.* monet, *Decoctum lentium*, hìc tam promiscuè consuetum, convenire tantùm, ubi magna est subtilioris sangvinis ebullitio; non autem in aliis; ubi prorsus abstinendum. Sic autem, ubi concedi potest, parat: Purgatio. Decoctum lentium.

℞. *Lentium excortic.* M. j.	*sem. fœnic.* ʒj.
liquiritiæ ʒij.	*tragac.* ʒij.

Coque in dimid. mensurâ *aq. f.* ad tertias: Colaturæ, si placet, adde *sacch.* Vide etiam Forest. *l. 6. de febr. f. 212.*

Venæsectio. Quod *Venæsectionem* attinet, eam in principio adhibere, ubi febris valde est intensa, corpus plethoricum, & vires constant, etiam in *Pueris*, qui à spontanea superveniente *hæmorrhagia narium* aliquando plurimum juvantur, nihil vetat: & tantum abest, *Venæsectionem* naturæ cursum impedire (etiamsi *proximè immineat exanthematum eruptio*, vel *jam aliquot maculæ appareant*) ut eum insuper juvare possit. Hancque Neucranz. *de Purp. f. 387.* non in principio solùm, sed & in progressu, cum aliis ibi citatis Authoribus, admittit. Confirmatur verò & explicatur hæc sententia pulcherrimè à Riverio, *l. 17. fol. 652.* ubi quidem de morbis malignis cùm exanthematibus loquitur; quæ omnia ad has maculas justè applicari possunt: & ait, in principio morbi, ante diem quartum, etsi exanthemata jam appareant, venæsectionem tamen repeti posse: siquidem talia exanthemata non sint critica, argueret enim insignem humorum copiam; sed symptomatica. Propterea naturæ motum, qui tunc nondum incepit, nihil per V. S. interturbari.

Hæmorrhagia narium.

Riolan. quoque, *loc supr. dict.* concedit largam venæsectionem, sed in principio: in incremento verò etiam Venæsectionem non improbat, sed mitem & parcam: *fol. 87.* defendit Parisiensium Venæsectiones largas. In variolis etiam Venæs. admittit Jo. Dan. Horst. *in Manud. ad Medic. fol. 131.*

Variolæ. Præterea videtur etiam Rolfinc. *de febrib. f. 269.* inclinare in eam sententiam, *egressis jam, & præsentibus etiam Variolis*, apertâ venâ, *sanguinis missionem* tutò institui posse, & quidem satis largâ manu: siquidem venæsectio ad circumferentiam ducat, non ad centrum. Sic Regi Hispaniar. & Galliarum, variolis laboranti, Galli & Hispani Medici non unam, sed plures secuerunt venas, teste eod. *fol. 266.* Quamvis enim Helmontius, apud Rolfincc. *d. l. fol. 406.* contrarium doceat, ubi Venæsect. in febribus contendit esse inutilem, septimo argumento, his verbis: Intentio perpetua naturæ, sanandi febres, est per sudores,

res, ut patet in paroxyſmis intermittentium; huic autem intentioni diametraliter opponitur V.S. ego tamen falſiſſimum judico hoc, & refutatur à Rolfinccio quidem appoſitè, *fol. 441.* licet non ad meum propoſitum. Non ſemper enim febres ſudore ſolvuntur, ſed nonnunquam ſuperveniente hæmorrhagiâ narium, hæmorrhoidum, uteri &c. Ut autem de Venæſectionis eventu ſis ſecurior, ſtatim pòſt cucurbitulas plures admove, ex Riverii ſententiâ.

Ibidem, *fol. 697.* clarìſſimè ſcribit, curam à V.S. eſſe inchoandam, etſi variolæ aliquot jam appareant, usque ad quartum fere diem, inprimis ſi, erumpentibus variolis, febris fiat intenſior, & anxietas, & difficultas ſpirandi, lotium craſſum & rubrum ſit. Tunc natura onere premitur, & omnino urget, per V.S. ab onere levari. Sic tam neceſſaria eſt V.S., ut tenellula puerorum ætas illam non impediat, quam Pariſienſes etiam in lactantibus adminiſtrant. Quin & peractâ omnino variolarum eruptione, ſi febris valde urgeat, V.S. etiam iterandam eſſe, ſuadet. Natura enim, oneris parte levata, quod reliquum eſt, faciliùs vincit; ut notat Sennert. *de Febr. f. 528.* ne ob materiæ copiam Æger ſuffocetur; quæ aliquando ſic luxuriat, ut & interna viſcera Variolis & Morbillis conſperſa per Anatomen deprehendantur; præſertim, ſi acceſſerit expultricis debilitas: teſte Horſt. *Op. Tom. 1. pag. 133.* & Joh. Dan. Horſt. *decat. Obſ. Anat. fol. 22.*

Quemadmodum in *Variolis plantæ pedum* & *manûs*, quod ſæpius fieri ſolet, gravi *pruritu vexantur*, & immittuntur membra dicta in *aquam calidam*: quod pro ſecreto habet Foreſt. *l. 6. de Febr fol. 138.* Ita faciem prurientem ſeq. *decoct.* fovet River. *f. 707.* ℞. *Fol. parietar.* Mj. *flor. chamamel. melilot.* an. p. ß. Coq. in *aq. ſcabioſæ.* ℔j. Colaturæ adde *aq. caprifol.* ℥iij. Pruritus.

Puſtulas per *acum* River. non aperit, ſed per inunctionem *ol. amygd. dulc.* vel *nucum*, ſine igne expr. maturitatem promovet.

Cogna-

Cognata Morbillis *Exanthemata* & pueros, & consistentis ætatis homines, promiscuè affligentia animadvertimus in fine hujus hyemis, & per totum ver subsequens; sed absque omni malignitate. *Febris*, quæ comitabatur, *synocha sine putredine*, durabat 24. horas, ad summum extendebatur in tertium diem. *Curam* absolvimus *Sudoriferis* & corpus ab externo aëre arcendo, *Diætâ* frugali imperatâ. Sic neminem non commodè curatum vidi, præter ancillam in Armamentario, quæ, morbum negligens, aëri se, tractans servilia, exposuit, &, naturæ cursu impedito, cordis summam compressionem, anhelitûs difficultatem, virium jacturam, non sine mortis periculo, passa, nihilominus per erroris correctionem, & diaphoretica adhibita, tandem convaluit.

Cicatrix. *Maculis*, vel *Cicatricibus*, post Variolas relictis, medemur *Inunctione* tali;

Ungventum.

℞. *Ol. amygdal. dulc.*	*rad. ireos Flor.*
lilior. alb. an. ℥j.	*lithargyr.*
pingved. capon. ʒiij.	*sacch.* ana ʒj.
rad. pæon.	M. in mortario calido, & per

linteum extrahe. Factam inunctionem ablue cum *aq. flor. omnium*, vel *eâ*, *quæ à pedibus vituli destillat.* Idem Forest. apud Horst. *Op. Tom. 2. p. 311.* Vel inunge *oleum tartari*, cum *sacchar. Saturn.*

Minsichtus verò, in *Armentario suo, fol. 134.* proponit hunc *Pulverem*:

℞. *Farinæ lentium*,	*tutiæ præp.*
fabarum,	*nihili alb.* an. ʒij.
orobi, an. ℥ß.	*concharum marin. præp.*
lithargyr.	*rad. arundinis*,
cerus. lotæ,	*croci metall.* ana ʒj.

M. Postquàm maturæ pustulæ, & per acum argenteam, vel forcipem, apertæ sunt, *Pulverem* hunc aspergere, & in lectum quoq; infantis eundem inspergere jubet.

Visum

Visum conservat *Sapphirus*, præsertim pueris, qui Morbillis laborant; ut Crato ait, *Epist. Medicinal. 160. pag. 366.* Vel inſperge ter in die *Aquam ophthalmicam*, Maximiliano Imperatori attributam, ex *juniorum anserum stercore recenti* destillatam: referente Sennert. *Libr. 1. Pract. fol. 872.* idque etiam durantibus Variolis. Ad *Oculos* verò *rubentes*, & *diu* propter saniem *clausos*, adhibe *sanguinem columbarum*, cum *aqua rosarum* per linteum expressum. Vid. Horst. *Oper. Tom. 2. pag. 310. c. b.* Idem, alibi. *Oculorum maculis*, post *morbillos* relictis, sic medetur: Oculorum tutela.

℞. *Pulp. pomorum dulc.* ℔ß. Cum *aq. fœniculi* & *rosar.* ad justam consistentiam coque, & adde *mucil. sem. fœnigr.* ℥ij. *lap. hæmatit. pp.* ʒj. M. applicetur per dies aliquot *Cataplasmatis* instar: dein lavetur oculus *aqua rosar. fœnic.* & tantillo *marg. pp.*

In *Alvi obstructionibus*, ubi eam per *Suppositoria* conamur relaxare, abstine à *sapone*, vel *pulveribus hiera*, &c. quia in infantibus hæc nimis sunt acria, & sphincterem offendunt: sufficiat ex *butyro* in *aqua frigida* formatum *Suppositorium*, vel ex *melle*, *lardo*, sine *sale* &c. *vitel. ovi*, cum tantillo *salis* conquassato, linteoque excepto, & in anum intruso. Ubi nihil aliud est in promptu, licet *stercus murium* sumere. Alvi obstructio. Supposit.

Magnific. Dn. D. Rechberger, & cum illo alii, frequenter, ubi præsertim intemperies est calida, utitur *Electuario*, quod vocat *Puerile*; quia tutissimum, & pueris etiam innoxium; & sic paratur: Elect. pueril.

℞. *Cass. recent. extract.* *pul. fol. sen. el.* ʒiiß.
pulp. tamarindor. an. ʒvj. Cum *syrup. violar. simpl.* ſ. q.
mann. el. cum *aqua violar.* M. Fiat Electuarium; S. Kinderlattwerge.
solut. ℥iß.

In Infantibus sæpissime apparent *Excrementa viridia*, quæ generari putat Deusing. *l. de lacte, fol. 509.* partim ex corruptione assumptorum, partim ex frigida ventriculi & intestinorum Excrementa viridia.

intemperie. Hæc à flavis non, nisi majore cruditate, distant. Atqui frigida illa intemperies vel sola sufficere potest ad excrementa talia generanda, & assumptos cibos corrumpendos. Oritur autem intemperies illa à voracitate infantum, unde multum tenacis humoris generatur, qui calorem nativum ventriculi sopit & obruit.

Quod ad anni tempora attinet, vere & æstate primâ pueri, & his ætate proximi, optimè degunt, maximeq; valent &c. Hipp. l. 3. aphor. 18.

Per ætates talia accidunt: parvis quidem, & recens natis puerulis, oris ulcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, umbilici inflammationes, aurium humiditates. l. 3. aph. 24.

Dentientium. *Ad dentitionem verò progressis, mordaces gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alvi profluvia; maximè cùm dentes caninos edunt; præsertim iis pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent. l. 3. aph. 25.*

Grandiorum, *Ipsis verò grandiusculis, tonsillarum inflammationes, vertebræ, quæ est in occipite, ad interiora trusiones, asthamata, calculi, lumbrici teretes, verrucæ pensiles, satyriasmi, stranguria, struma, & alia tubercula; præcipuè verò ante dicta. l. 3. aph. 26.*

Grandioribus adhuc, & jam ad pubertatem accedentibus, superiorum etiam morborum multi, & febres diuturnæ magis, & sanguinis è naribus profluvia. l. 3. aph. 27.

Victus humidus cùm febricitantibus omnibus, tum pueris maximè, qui tali victu uti consueverunt, est utilis. l. 1. aph. 16.

Plurimi morbi pueris judicantur. Nonnulli intra dies quadraginta; alii intra septem menses; quidam intra septem annos; alii ipsis ad pubertatem tendentibus. Qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neq; fœminis circa mensium eruptionem, soluti fuerint, inveterascere consueverunt. l. 3. aph. 28.

Quæ

Quæ crescunt, plurimum calidi innati habent; plurimis igitur alimentis indigent; alioqui corpus absumitur &c. l. 1. aph. 14. Adolescentium.

Adolescentibus sangvinis per sputum rejectiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ, aliiq; morbi, præcipuè tamen antè dicti. l. 3. aphor. 29.

Ultra hanc ætatem progressis, asthmata, pleuritides, peripnevmoniæ, lethargi, phrenitides, febres ardentes, diuturna alvi profluvia, choleræ, dysenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides. l. 3. aph. 30. Virorum.

At senibus difficultates respirandi, destillationes tussim afferentes, stranguriæ, dysuriæ, arthritides, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, totius corporis pruritus, vigiliæ, ventris, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditûs graves. l. 3. aph. 31. Senum morbi.

Senes juvenibus utplurimùm ægrotant minùs; quicunq; autem morbi ipsis diuturni fiunt, eos ferè ad mortem usq; comitari solent. l. 2. aph. 39.

Senes facillimè jejunium ferunt; secundum hos, qui constantem ætatem agunt; minùs adolescentes; omnium minimè pueri, præsertim ij, qui inter ipsos sunt vividiores. l. 1. aph. 13.

Senibus verò parum calidi inest: paucis itaq; fomitibus indigent; quia à multis extinguuntur. Ob eandem causam nec senibus febres perinde acutæ fiunt; frigidum enim eorum corpus. l. 1. aph. 14.

CAPUT VII.

De Veneficio.

MInsichtus, *in Armamentario, fol. 513.* mirè prædicat *Emplastrum*, sub Titulo *Fœtidum*; & quidem his verbis: Ad quævis maleficia experimentum est stupendum, & quasi cœlitus demissum. Super centrum enim, ubi cruciatus, persequendo, positum, non duntaxat maleficium ipsum; verùm etiam omnia phantasmata & incantationes, sine superstitione, Veneficium.

 confe-

confestim fugat, propulsat atque debellat. Patiens autem bibat interim de sequenti *Decocto* bonum haustum, manè & vesperi:

℞. *Herb. antirrhini, cum semine hyperici, pyrolæ*, an. *g. v. Coq. in cerevisia*, vel *vino ad tertias*.

Emplastrum sic habet:

℞. *Asæ fœtidæ* ℥iij.
gran. antirrhini, quæ sceleton repræsentant, N.vij.
fol. quercin. N.iij.
corallior. rubr.
pulv. Magnetis, an. ʒiß.

M. & cum *ol. hyperici* F. Emplast. cujus vires sic deprædicatas experientia comprobabit. Ego verò *Maleficia*, præter naturæ modum illata, naturalibus remediis vix tolli posse, credo. Vide *Sennertum*, qui hanc quæstionem studiosè pertractat, *libro de morbis occultis, circa finem*.



LIBER

LIBER VIII.

Miscellanea quædam continens, pro Operis complemento.

CAPUT I.

De Medicina, & Medico fortunato.

COmpendiose & eruditè tractat Crato, *Epist. 101. pag. 163. & seqq.* Universam Medicinam, h. e. quinque Medicinæ partes, quibus *Institutio Medici* perficitur. Dignum lectu compendium, & quod memoriæ integrum mandetur. Institutio Medici.

Petrus Monavius, apud eundem, *Epist. 240. f. 440.* Medicinam *Artem* esse, & *non Scientiam*, asserit: *Dico*, inquit, *ratione finis principalis, seu ultimi, Medicos magis esse artifices sensatos, quàm rationales; nempe quia ratio sensui inservit; non hic illi. In Theoricis scientiis, contrà, sensus rationi servit; quia illarum ultimus finis est speculatio, quæ à sensu originem ducit. Sed in Medicina ideo Theoricam partem discimus, non ut in ea, tanquam ultimo fine, acquiescamus; sed ut per illam actionem, seu operationem, propter quam omnia traduntur, dirigamus.* Medicina est Ars.

Quantitas agendi facit, ut *Medicina*, hoc respectu, dici possit *conjecturatrix*, juxta Gal. *l. de curat. per Sang. Miss. cap. 21.* quia illa ipsa quantitas acri solùm judicio decernenda est, secundum Medicina conjecturatrix.

cundum Fernel *l. 1. Therap. cap. 7.* Sic in manu nostra non stat, hoc vel illo purgante exhibito, toties movere alvum; cùm sæpe una medicina, sæpius alicui certo Patienti exhibita, diverso tempore, in operatione variet. Propterea hîc conjecturâ tantùm solerti opus est, & præstat, in defectu, quàm excessu, errare: & paulò pôst, *fol. 31.* idem Fernel. *loc. cit. cap. 3.* rectè ait: quisquis remedii quantitatem arte consequi se posse diffidet, omnia sensim paulatimque gerat, dum Æger sibi videatur restitutus, & pristinas receperit vitæ functiones.

De Galeno judicium. Ex Fernelii Consiliis, à Jul. Palmario collectis, *fol. 102.* subsumitur, *Galenum* in suis libris Theoriam magis sequi, quàm Praxin: *Nam ad meditationem potiùs*, inquit Fernel. loc. cit. *quàm ad medendi rationem, omnem vitam Galenus contulit.* Confer Riolan. *de Circulation. sangvin. fol. 81.* Cardan. *in Proœm.* & *libr. Commentar. Prognosticon. Hippocr. pag. 151.* Ergo illius Autoritas in Praxi tanta non est, ut piaculum sit, juxta quorundam opinionem nimis crudelem, ab eo recedere; sed cum eo potiùs errare, quàm cum aliis verum dicere velle. Atque hoc est; *jurare in verba Magistri.*

De Celso. Idem est judicium plurimorum de *Cornelio Celso*, quasi & ipse artis Medicæ usu caruisset, vel quia quædam prodidit Artem coarguentia; vel quia, in ponendis constituendisque præceptis, longissimè abiit à consvetudine eorum, qui de re Medica ante illum scripserunt. Sed quis non videt, utramque rationem nullius esse ponderis? Quasi verò tam sit difficile, inventis aliquid, & quidem melius addere; ut is, qui Hippocratis *aphorismum 39. l. 6.* de *caussis Convulsionis*, aliter, quàm *Galenus*, explicaverit, Praxis Medicæ ignarus sit habendus? Hoc quidem credendum est, *Cornelium Celsum* Artem Medicam non veluti purum Medicum, atque ad quæstum omnibus expositum, exercuisse; ut bene notat is, qui Opera ejus anno præteriti seculi octogesimo septimo recenter edidit, & de iisdem præfatus est.

De

De *Arte*, *Fortunâ*, *Caſu*, quid in rebus ſublunaribus poſſint, multa ſcribunt Philoſophi. Hoc tamen certum eſt, in *re Medica Caſu* nihil fieri. Quomodocunque enim curetur Æger, non curatur *caſu*, ſed *arte*, potiſſimùm; ſi bene explicetur. *Ars enim*, inquit Crato, *l. 5. Epiſt. fol. 231. ſola curat, ſive ſciens hic, ſive inſcius utatur; & ſæpe, quemadm. Hipp. ait, evenit, ut, qui Medicis etiam non ſunt uſi, dum ægrotaverunt, facientes aliquid, aut non facientes, convaluerint; qui tamen non aliâre, quàm arte, ſervati ſunt. Quæ enim profuerunt illis, ſive inedia, ſive quies, ob rectum uſum profuerunt: quæ nocuerunt, ideo nocuerunt, quòd malè adhibita ſunt: hæc artis eſſe, non caſûs, manifeſtum eſt. Si quis autem fortè accepta Fortunæ referat, cum illo nequaquam odiosè pugnabo. Siquidem, juxta Hipp. qui malè curatur, incidit in infortunium; qui bene, bonâ fortunâ utitur.* De *caſu* aliter judicat Palingenius, *in Zodiaci Poëtici Leone*, ubi loquitur de *Medicis indoctis*, id eſt, qui, nullis rationibus adducti, morbum non cognoſcentes, nihilominus medicamenta promiſcuè propinant, hoc verſu: Ars. Fortuna, Caſus.

Heu mihi! penè omnes caſu, non arte, medentur.

De *Fortuna* bene diſcurrit Georgius Lieblerus, *in Phyſ. f. 65 66. Tunc*, inquit, *Fortunâ factum eſſe aliquid dicimus, quando talis eſt eventus, quem, ſi prævidiſſet homo, ejus gratiâ egiſſet, vel intermiſiſſet aliquid. Et talis quidem fortuna dicitur cauſa per accidens, quæ hæret velut in ſubjecto, ut in voluntate aliqua. V. g. Agyrta curat ægrum ſine ratione, ſine cauſis per ſe, & propriis: dicitur fortunata curatio: præfuit antea ipſi patienti Medicus eruditus, qui methodicè curabat, & nihil efficiebat. Jam quæritur, quare hic nihil fecit, alter verò curavit? Hunc caſum ad fortunam referimus, quia cauſæ nos latent, juxta Gerſonis verſum:* Fortuna Medici.

Et, quia ſæpe latent cauſæ, Fortuna vocatur.

Quàm autem difficile ſit, rerum cauſas cognoſcere, præter Fernelium, & alios, agnovit etiam Toletus, *apud Deuſing. in Oration.*

ration. fol. 630. ubi ait : *Cognitio rei, sine cognitione rationis, non est scientia.*

Christianus autem Philos. interim non negat, ista gubernari ab occulta & præstantiori causa, hoc est, à Deo; qui sæpe mirabiliter consilia & voluntates hominum aliò, quàm instituerat, impellit, atq; occasiones vel commodè, vel incommodè, res gerendi, pro sua liberrima voluntate, & immensâ sapientia, dispensat: ex quo etiam Fortunatos vel Infortunatos appellare consvevimus.

Ægrotantis fiducia.

Sunt, qui *Fortunam Medici* consistere ajunt in *confidentia Patientium*; quod Avicenna insinuare videtur : Fiduciam ægrotantis, *inquiens*, erga Medicum aliquando plus valere, quàm ipsum remedium; quod non leviter perstringit Corn. Agrippa, *de Vanitate scientiar. cap. 83.*

Fortunatus Medicus quis?

Sinamus autem suam Theologis opinionem; veram quidem, sed generalissimam: quia nihil est in Orbe, quod non certâ Dei Opt. Max. dispositione & gratia nitatur. Nos, in hac quæstione, concludimus cum Martino Weinrichio, *in Præfatione translati ad Latinitatem Tractatûs Cratoniani, de Peste, ad lib. 4. Cons. f. 487.* eum esse, & jure dici, *Fortunatum Medicum*, qui excellit prudentiâ & usu. *Prudentia*, dicit, *ad Medicas conjecturas est accomodata, quam alii, cùm non esset, Fortunam imperitè apellarunt. Nihil ad salutem ægri fortuna facit, sed naturalis illa* (& etiam arte comparata) *sagacitas plurimum potest; cùm is, in quo est, quid cuiq; corpori, loco, tempori, conveniat, acutè, matureq; prævidet. Hac tum augetur, cùm alterum accedit: longus Medicorum operum usus, multaq; Artis exercitatio. Prius illud, sicut à Juvenibus ingeniosis non removeo, & potest ante canos contingere; ita alterum Senum est: quandoquidem in aliqua arte versari nemo diu potest, nisi qui vivit diu &c.* Et quamvis dentur Medici Prudentiâ & Usu non parum excellentes, qui nihilominus sæpe infeliciter curant : aliâ tamen ratione hoc non contingit, quàm quatenus ab Astantibus quoquo modo in cura impediuntur; vel

Medici excusatio legitima.

ipse

ipſe Patiens non obſequitur; vel Divinum aliquid in morbis ſubitò ſupervenit; vel ipſe denique Medicus, ex quacunque cauſa, arte ſuâ, & experientiâ, non bene utitur. Et ſi, ob prædictas cauſas tres priores, præponitur ipſi alius indoctior, nihil de prioris Medici fortunâ decedit, ſed imperitum vulgus ſiniſtrè tantùm judicat. Certiſſimum denique eſt, illum maximè *Fortunatum* eſſe *Medicum*, & glorioſum, qui in *Prognoſtico* nunquam, aut certè perquam rarò, erraverit. Quemadmodum Gal. gloriatur, ſe nunquam in prædicendo aberraſſe, ut Cardanus, *in Prognoſt. Hipp. fol. 9.* teſtatur. Idem verò Cardanus inquit, *in Proœmio Commentarii Prognoſticorum Hippocr. fol. 3.* Qui prædicit, debet eſſe voti compos omnino, aut ſaltem maximâ ex parte. Nam ſi octies prædicando Medicus erret, bis vera dicat, erit Medicus ille contemptibilis, & quovis Idiotâ vilior, minuſque fortunatus Medicus habendus. Sed quid hoc eſt aliud, quàm Prudentiâ & Uſu excellere? Prognoſticum.

Tres eſſe facultates viventis corporis, naturalem, animalem, & vitalem, notum eſt vulgo. Animadvertendum tamen benè monet Card. *loc. cit.* in ſtatuendo Prognoſtico, utra magis ſit imbecillis. Ubi naturalis facultatis imbecillitas maximè; dein vitalis; tandem & omnium minimè animalis metuenda. Imbecillitas enim naturalis virtutis & ſignum & cauſa mortis eſſe poteſt; quia ſic morbi materia non arguitur. Similiter vitalis imbecillitas mala eſt, quia calor non adjuvat naturalem facultatem, ut debet: ideò humores corrumpuntur. At facultas animalis nec eſt principalis in coctione, neque auxiliatrix: ideò poteſt eſſe imbecillis, & tamen ſervari Æger; & valida, & tamen ille perire. Hinc multi Ægri, qui vix movere ſe poſſunt, evadunt: contrà multi, qui ſe movent, loquuntur, & ratiocinantur, tamen pereunt. Præterea etiam in Prognoſticando hoc notandum, ut mortem non prædicas, niſi de eâ bene certus, ne cogaris, vel invitus, ad ſtabiliendum tuum

prognosticum, illius postmodum desiderare mortem. Hæc Cardanus.

De iis, qui *floccos carpunt*, supra, *p.346.* diximus, causam in oculis positam esse, ex Galen. mente; cui contradicit Cardanus, ut est Galeno inimicissimus, & ait, provenire manuum inordinatam jactationem ob vapores, qui stimulant musculos brachiorum, convulsionis prodromum. Sed nostra allegata, *ibid.* sententia cum Cardani beneconsistere potest. Sive enim decipiatur oculus, sive musculi repleantur vaporibus, lethale est signum, & præsentis delirii, & mox futuræ convulsionis.

Quàm difficile igitur sit, judicium in morbis ferre, præter Hippocr. *L. 1. aph. 1.* etiam Cicero agnoscit, apud Hieronym. Drexelium, *in Heliotrop. l. 5. cap. 12.* hisce verbis: *Medicus quidem ingravescentem morbum ratione pravidet; insidias Imperator; tempestates Gubernator; & tamen ipsi sæpe falluntur; qui nihil sine certa ratione opinantur.*

Neucranz. *Med. de Purpura, fol. 232.* ubi, in Prognosticis, mentionem facit Agyrtarum, & indoctorum Medicorum, qui ad agonem usque solantur felici prognostico Ægrotantes: Quid, inquit, isti aliud proficiunt, quàm quòd argumenta ignorantiæ suæ relinquunt, aut turpissimo lucro, in ipso articulo mortis, Ægrotantium crumenis inhiare, ut Harpyiæ, dicuntur.

Quantum in *Prognosticis* laudetur *Benedictus Sylvaticus*, Medicus Patavinus, à Gvernero Rolfinccio, vid. *in Tractat. de febrib. Epistolâ dedicatoriâ.* Hinc scil. mensuranda eruditio Medici. Idem, *loc. cit.* de eodem, hoc scribit, *fol. 229.*

Sylvaticus, magni pandens Oracula Coi,
Arte salutari Numen in Orbe refert.

Medicorum Peregrinatio.

Quòd laudi potiùs, quàm vituperio, ducendum sit Medico, qui multas *Peregrinationes*, & *locorum mutationes*, subire præsumserit, constat vel ex ipso Medicorum Oraculo, Hippocr. qui

tantam

tantam rerum experientiam & hiſtoriarum ſeriem nunquam collegiſſet, niſi plurimas regiones peragraſſet. Adeóque nec mihi vitio vertenda ſæpe repetita *Loci mutatio*: majorem enim inde, ut ingenuè fatear, hauſi experientiam. Quamvis longiſſimum iter fuerit è Bavaria in Hungariam, h.e. ab Occidente ad Orientem: nihilominus in curandis Ægris, & inprimis in præſcribendis medicamentis purgantibus, quantum diſcrimen invenerim, vix credendum. Leviſſimis enim Bavari purgantur pharmacis: Hungari verò fortiſſimis vix moventur. Deinde in his regionibus calidioribus Aquæ deſtillatæ calidiſſimæ minimè quadrant: v.g. ſi tantopere deprædicatum Balſamum Embryonis Auſtriacæ, vel etiam Hungaricæ mulieri prægnanti dederis, offendes ipſam potiùs; quia ventriculos & viſcera habet calidiora, multâ interdum bile tincta. Contra, ubi Cereviſia bibitur, & aura eſt frigidior, corporaque ſunt pituitoſiora, frigidisque turgentia humoribus, tunc talia quadrant calida.

Volumen Medicum, à Salomone conſcriptum, combuſſit Rex Exechias, aſſerente Euſebio, quòd populus ex eo morborum medelas ſumeret, & ſanitatem à DEO poſtulare negligeret. Drexel. *in Tobia*; *fol. 171.*

Caput II.

De Purgatione.

Riverius, *l. 17. fol. 547.* diſtinguit Scholaſticè *Purgationem* in *Minorativam*, & *Eradicativam*. Prior inſtituitur, non expectatâ concoctione; poſterior concoctâ utcunque materiâ. Priorem concedit in febribus continuis; poſteriorem in intermittentibus. Videtur autem hæc diſtinctio prorſus convenire cum illâ, quâ dicimus, quædam medicamenta eſſe lenitiva; quæ priores vias tantùm purgant: quædam

Purgantium diſtinctio.

dam laxativa, vel electivè purgantia, quæ ulteriùs progrediuntur, & copiosè evacuant à partibus etiam remotioribus.

Purgantia quomodo operentur.

Quâ ratione autem *Medicamenta Purgantia intrò sumpta*, vel *extra admota*, *vim suam exerant*, nunc inquirendum. Rolfincc. *fol.281* putat, vim *purgandi* non consistere in attractione humoris peccantis similis, sed in irritatione naturæ. Ast si bene explicetur, utrumque stare simul potest: quid enim, attrahere humorem, aliud est, quàm irritare? Hoc autem, ni fallor, vult Author per irritationem inferre, eam ita esse constitutam, ut quemlibet humorem noxium expellat promiscuè, natura irritatâ per pharmacum; non quòd peculiarem humorem pharmacum trahat: ut paulò pòst ipse docet; ubi existimat, pharmacum cum sanguine circulari; quod demonstratu erit difficillimum, nisi, per suos spiritûs agere medicamentum, senserit, cum Sennerto, *l. 3. Pract. fol. 326.* &c. necnon *in Institution.* ubi rectè arbitratur, non aliâ ratione, quàm per subtilissimos suos

per Spiritus.

spiritûs, qui à calore naturali hominis in actum trahuntur, & ita dissolvuntur, ut interiora penetrare, & humorem sibi familiarem per occultas, vel saltem incognitas, qualitates quærere, & secum expellere possint, purgantia operari. Et hinc fieri, quòd, etiam extra admota, *spiritûs* suos in intima corporis insinuent, & humores commotos exturbent: quod experimur in *Ung. de*

Ung. de Artanita.

Artanita, apud Augustan. & Wecker. nomen suum à *Cyclamino*, quod Officinis est *Artanita*, sortito. Quia autem illud ipsum Ung. pingvia recipit, & pingvia purgantium vim non parum hebetant; magis mihi placuit *Mixtura* talis, vel inuncta ventri, vel crassiusculè cum linteo admota, quam tradit Casp. Hoffmann. apud Crat. *Consil. 165. fol. 470.*

Aliud.

℞. *Succi mercurial.*	*hellebor. nigri, alban.* ʒß.
cucumeris sylvest. ana ℥iij.	*aloes* ʒiß.
	fellis tauri ʒj.
colocynth.	*mellis q. s.*

F. instar *Linimenti*: vel, loco *mellis*, sume *rob ebuli*.

Quin-

Quin & illud confirmat, Purgantia per *spiritûs* operari, quòd talia assumpta, & vix per quartam horæ partem intra corpus permanentia, vomituque, ut sensu patet, tota quanta rejecta, nihilominus aliquando sufficienter & copiosè purgant; *spiritibus* scil. per id breve tempus jamjam in corpore dispersis. Probatur.

Quanta enim, in medicamentis præsertim, sit vis *Spirituum*, patet ex Historia, quam habet Sennert. *de Cons. & Dissens. Chymic. cum Galenic. & Aristotel. f. 126. 127.* de Medico quodam Cracoviensi, ex Quercetan. qui Pulverem ex herba qualibet tam artificiosè poterat præparare, ut pulvis ille, vitro superiùs clauso, inferiùs candelæ ardenti admoto, inditus, paulatim ipsius herbæ imaginem repræsentaret; quæ dein, vitro refrigerato, resedit & evanuit. Jeremias Cornarius quoque, Medicus, cùm herbam quandam destillasset, aquam verò in vitro aliquandiu asservasset; mense Novembri plantam enatam in fundo vitri deprehendit. Spirituum vis. Herba reviva præsentata.

Ita etiam ex oculato teste constat, cùm anno 1637. Medicinæ quidam Doctor, Chymicis laborib. addictus (etiam M. Novembr.) succum cydoniorum, in vitro capaciori, & lati orificii (Zucker-Glaß) asservatum, ex illo ad usum decantasset, ac vitrum in Musæo frigidiusculo, nihil hujus meditatus, per noctem deposuisset; altero manè circumcirca, per totam superficiem interiorem vitri, effigiem fruticis cydoniorum, cum staminibus, foliis, nec non ipsis malis, ita ad vivum se repræsentasse, ac si à callentissimo Pictore adumbrata, ac quasi æri incisa fuissent: succo cydoniorum, de nocte non nimis intensè frigidâ, minùs tamen quoque calidâ, per tam conforme temperamentum in ejusmodi picturam coagulando efficto à Natura mira semper operante, & ludente in operibus suis.

Quomodo per aquam ex Marcasita herba reviresçat, docet Schröderus, *in Pharm. Med. Chym. l. 3. f. 457. c. a.* quem vid.

Horst. *Op. Tom. 1. p. 347. & seqq* & *392. 393.* purgare, ait, medicamenta nô ratione primarû qualitatû, sed ratione *similitudinis* *sub-*

Similitudine substantiæ.

substantia; è cujus cognitione attrahunt sibi destinatum humorem, eumque debiliorem vincunt; adjuvante simul humore, inclinatione quadam naturali ad evacuandum properante. Quin & hanc operationem pharmaci adjuvat ipsius *medicamenti calor*, quo actuatur; qui aliâs etiam attractionis auctor est, ut & *expultrix facultas*, vi pharmaci lacessita. Hinc Spagirici omnem vim purgantem medicamenti in *Salem* suum convertunt, tanquam generale mundificativum.

Ita hanc rem explicat Rolfincc. *in Disput. inaugural. anno 1652. Jenæ habitâ*: Purgantia, *inquit*, se in sangvinem insinuantia, facultatesque ac potestates suas per totam massam sangvineam spargentia, proprietate quâdam (cognationis specificâ forsan) humores, quos purgant, quasi fermentant, separant à sangvine, & colligunt: qui separati se facilè uniunt, ac illi, sic in massam collecti, naturæ maximè fiunt molesti; cùm verò huic totâ substantiâ adversentur, in illos statim insurgit; eosque nunc in ventriculum, per ejus arterias & venas expuit; unde per vomitum ejiciuntur, non solùm iis medicamentis, quæ proprietate quadam ventriculo adversantur, & Emetica dicuntur, sed & quæ per inferiora purgare existimantur. Conf. Fernel. *M.M. libr. 3. cap. 6.* & *libr. 4. cap. 1. p. 128.*

Qui facilè, qui difficulter purgentur.

Si quis Ægrorum nunquam purgaverit, nec certò sciverit, *facilè*, an *difficulter sit mobilis*, satius est, in mediâ dosi consistere. Signa autem *facilis* vel *difficilis motionis* hæc tradit Joh. Walæus, *Meth. Med. fol. 47.* inquiens: si corporis habitus est tenellus (nisi sit melancholicus) facilè movetur; sin minùs, contrà. Item si pro ordinario bis in die alvum deponit, facilè movetur. Addit, ex aliorum mente, tertium signum; considerandos esse Ægroti pedes: si longos habuerit, facilè moveri; si parvos, difficulter.

Supersumendum.

Sumpto Pharmaco, loco *jusculi*, sumere *Possetum*, aut *serum lactis*, more Anglico, approbat Primirosius, *l. 3. cap. 8. fol. 384.*

Idem,

Idem, *fol. 386.* non improbat, in tardâ pharmaci operatione, *aqua frigida* potum, etiam unius libræ, cum pauco saccharo, authoritate Philippi cujusdam Ingrassiæ, Doctiss. Siciliæ Medici, necnon Mesuei, Ruffi.

Cum v. Purgantia, si cum *aq. Hordei* propinata fuerint, propter hujus abstersionem, parum, aut nihil operentur: quidni etiam, sumpto *jusculo*, eorum operationes impediri possint? Propterea tardè, tribus horis post sumptum pharmacum, si jam quatuor vel quinque sedes factæ sint, demum, & non citiùs, concedo: apuod plerosque autem, ubi volo copiosiùs evacuare, omnino intermitto. Hinc neque convenit, Pilulas cum *ptisana* sumere. Quapropter si velis, ut purgatio sumpta ultra hepar non ascendat, post duas horas cibum exhibe. Galenus, *in libro de purgat. ap. Primirosium, fol. 596.* in purgationis impedimento etiam hanc ponit causam, quando scil. stercus densatum, atque in aliquo intestino exsiccatum, evacuationem prohibet.

Unde purgatio impediatur.

Impeditur quoque purgatio, vel quòd medicamentum ratione soliditatis non eliquatur: vel quòd calor nativus (ventriculi imprimis) adeò est debilis, ut in illud nihil agat: debet enim aliquid pati pharmacum à calore nativo; sed ab eo non debet vinci: aliâs ex medicamento fieret vel excrementum, vel alimentum: vel, ob eandem caloris nativi debilitatem, facultas expultrix ad humores movendos, vel potiùs promovendos (moventur enim imprimis à pharmaco) satis fortis non est. Hinc etiam colligitur ratio, *quare medicamenta fortia, electivè purgantia, in satis magna dosi exhibita, aliquando minùs purgent, quàm mitiora*: v. g. ex manna, syr. de tribus, syr. rosat solut. cassiâ &c. Quò enim medicamentum purgans fortius est, eò fortiorem requirit calorem nativum, à quo in actum deducatur: vel, ut cum Sennerto loquar, á quo spiritûs extrahi & dissolvi possint. Hoc ex Monavio, apud Cratonem, *l. 5. fol. 536.* colligitur.

Cur fortia aliquando minùs, quã lenia, purgent.

Præ-

Præterea, quòd aliquando *medicamenta purgantia, quantumvis fortia, nihil purgant*, adscribit Joh. Walæus, *in sua Meth. Med. fol. 37.* materiæ resinosæ, v.g. resinæ Scammon. Mag. Gialap. &c. quia similia aliquando in ventriculo crescunt, & sic hærent sine omni effectu, donec cum chylo excernantur. Ita puerperæ data grana resinæ scammonii xvj. nihil omnino purgarunt.

Cur in magnâ dosi minùs, quàm parvâ, operentur.

Alia verò subest ratio, *quare multa purgantia, in magnâ dosi exhibita, minùs aliquando, quàm parvâ, operentur.* Quia scilicet obruuntur purgantia multitudine corrigentium & alterantium commixtorum. Nam quodlibet menstruum, extractioni destinatum, quantum potest, extrahit; & ita debet esse proportionatum, & specificatum, respectu materiæ extrahendæ. Jam etiamsi, v. g. integra uncia fol. Senæ infusa est, tamen, si addideris multa corrigentia & alterantia, minorem habebis effectum, quàm si ℥ij. solùm in vino infusas hauseris. Atque hoc de *Infusionibus*, & *Extractu* intelige. *Nihil* enim *ultra terminum suæ activitatis agit*. De *Infusione* quoque *Senæ*, vel etiam *Rhabarbari*, notat Arrragosius Gallus, Med. apud Cratonem, *Epist. 55. p. 71.* si per noctem in vase tecto calidè stet, & manè bibatur, majorem vim fore extracti (hoc est, sine expresione colati) quàm si diu cocta infusio & expressa fuerit: sed prior simplex infusio flatûs concitabit, non item posterior; in qua unâ cum coctione & flatûs, & pars spirituum, evanescit. Duplices itaque statuit medicamentorum qualitates Arragosius: unam in superficie; alteram in profundo. Utraque harum elicitur per infusionem simplicem: prior decoquendo perditur. Quod manifestum est in *Aq. laxativa Viennensium*, frequentissimi usûs, cujus ℥iiß. ℥iij. in quamplurimis subjectis, justam constituunt purgationem, etiam Magnatibus familiarissimam, & delicatulis, quibus, additis *gutt. aliquot spir. vitr.* frigidè exhibemus, cætera respuentibus. Quin & *Pueri* purgatione egentes falli possunt, si vel

Infusum Senæ. — Aq. laxat. Vienn. — Dosis. — Puerор.

ſi vel ℥ß. *fol. ſenæ* infundatur in integra ℔. *aquæ* ipſorum *ordinariæ*, vel *cerevisiæ calidæ*: quam frigefactam pro lubitu bibendam concedimus. *Aq. laxativa*, Auctore Magn. & Exc. D. D. J. Guil. *Managetta* &c. ſic conficitur: Aq. laxativa Managetta.

℞. *Fol. ſen. el.* ʒvj.	*rad. polypod.* ʒij.
paſſular. min. ʒiiß.	*mann. el.* ℥ij.
cinnam.	*aq. fontis* ℥xv.
coriandr. pp. an. ʒß.	

Diſſolve mannam cum aqua, & calidè ſuperfunde reliquis. Manè colentur ſine expreſſione. Paulò aliter *Manna potione clarâ* uſus eſt Gabriani, Italus, in hunc modum:

℞. *Fol. Senæ Alex. el.* ℥ß.	*mannæ el.* ℥iiß.
rhabarb. el. ʒiß.	*ſem. aniſi* ℈j.
crem. tartari ʒij.	

M. omnia, & infund. in *aq. fontis* ſ.q. & ebulliant ad quartæ partis conſumpt. deinde percoletur, & cum album. ovi unius miſceatur colatura, & iterum ebulliant parum, & fiat filtratio per chartam guttatim. Doſis ℥iv. vel ℥vj. Hoc Glanzii eſt inventum, quod tamen Italus hic ſibi adſcripſit. Et in his Aquis etiam alia electivè purgantia, electuaria, pulveres, extracta, & ſyrupi, pro hauſtibus ſingulis poſſunt diſſolvi & exhiberi. Conf. Zwelfer. *in Animadverſ. in Pharmacop. Auguſtan. ſuper Decoct. aperitiv. lenitiv. min. pag. 147.* & *in Pharmacop. Regia, ad Infuſum purgans*: ſeu *Aquam laxativ. Ordinar. Viennenſ.*

Vinum purgans ex *florib. prunor. ſylveſtr.* & *domeſticor.* & *Perſicor.* &c. vid. aq. Quercetan. *Pharmacop. Dogmat. reſtit. p.128.*

Horſtius, *Op. T.1. p.379. de facult. medic.* ſic loquitur: *Sunt duplices: ea, quæ actu, & quæ potentiâ operantur. Actu operantur, quatenus primo ſtatim contactu effectûs ſuos produnt; potentiâ verò, quatenus, ab innato calore ſenſim excitata, in actum deducuntur.* Hinc patet, *Qualitates actu* operabiles ineſſe extrinſecus, & ſenſibus ſtatim ſubjici; *potentiâ* autem operabiles latere intrinſecus, & à calore Medicamentorum qualitas.

excitari: priores ab Arragosio superficiales; posteriores *profunda* videntur appellari. Sunt etiam *triplices* Horstio, *loc. cit. prima, secunda, tertia.* I. quæ refrigerant, calefaciunt, siccant, humectant. II. quatenus diversus materiæ, seu substantiæ, modus accedit: & sic emolliunt, constringunt, discutiunt, aperiunt &c. III. quæ non solùm secundarum qualitatum operationes, sed specificum quid, perficiunt, determinatumque membrum respiciunt: & sic quædam lac minuunt; quædam menses movent, &c. His *tribus* medicamentorum qualitatibus, IV. quæ in hanc classem refertur à pluribus præstantissimis Medicis, & ab ipso etiam Libavio, apud Horst. *Op. Tom. 1. p.145. Tom.2. p.484.* agnoscitur, est *Qualitas occulta.* Hæc, v. g. non solùm refrigerat, adstringit, menses movet &c. sed quid ampliùs operatur, præter hos effectûs manifestos; occultis scil. suis virtutibus: ut *Alexipharmaca*, quæ venenis resistunt; *Purgantia*, quæ humores modo incognito ducunt &c.

Qualitates occultæ.

Fernelius, *l. 2. de abditis rerum causis, cap. 1.* & *2.* ut probaret, multas facultates ita occultas esse, ut nullâ humanâ ratione, unde proveniant, indagari possit, sic doctissimè sermocinatur: Omnes actiones & vires proveniunt à materia, specie, sive forma, & temperamento. A temperamento quidem resultant qualitates primæ quatuor: calor, frigus, humor, siccitas: à materiâ prodeunt qualitates secundæ dictæ; ut durities, mollities, levitas, gravitas. A formâ autem, sive specie, omnium nobilissimæ, & planè etiam Divinæ vires & effectûs procedunt, quorum rationes omnem superant captum humanum: & tales dicuntur occultæ proprietates. Ita Magnes ferrum, rhabarbarum bilem, helleborus melancholiam trahit. Quòd si quis eo fortè offendatur, & velit, omnes effectûs à forma procedere; concedendum ei hoc quidem erit; sed ita, ut admittat suos etiam effectûs materiæ & temperamento, eosque effectûs dicat, si velit, formæ instrumenta. Quas autem vires forma per se, & pri-

& primariò, efficit, ſine inſtrumentis, quibus non indiget, efficit: & hâc quidem prærogativâ actiones formæ dicuntur omnium nobiliſſimæ, à cœlo immediatè derivatæ, propterea; divinæ: quia proportione quadam elemento ſtellarum reſpondent: quod, quaſi quintum elementum, nobilius eſt notis illis quatuor. Hanc divinitatem publicè agnoverunt Hippocrates & Ariſtoteles: Galenus verò obſcurè, pluribus in locis, τὸ θεῖον. quò magis illam declinare voluit, admittere coactus eſt: quæ loca vide apud citatum Fernelium, *cap. 3.* Neq; velim, Tibi perſvadeas, mentem fuiſſe Fernelio, inſtrumenta & vires confundere: ſed effectûs materiæ & temperamenti reſpectu ſolius formæ inſtrumenta dicit; reſpectu verò ipſius materiæ, & temperamenti, propriè effectûs & vires appellantur. Atque hæc eſt illa qualitas, quam *Chymici* per ſua principia conantur explicare; *nonnulli* omnino negant; utraque parte errante: ſiquidem à nemine hactenus ſufficienter intelligi, neque explicari potuit; propterea dicitur *occulta*. Cognoſcitur autem ſolâ experientia; nihil hîc operante ratione. Confugiunt quidem hîc aliqui ad *externas rerum formas*, ipſisque neſcio quid activitatis tribuunt & ſignificationis; quas *Signaturas* vocant, & quarum ineptias, apud Crollium, ſub hoc Titulo videre licet. Sed hi novitati doctrinæ magis, quàm veritati, ſtudent, & in errores plerunque ridiculos devolvuntur. Si enim ob ſignaturam bilis, quam habet rhabarbarum, hunc humorem præcipuè reſpicit evacuandum; cur non vitellus ovi, vitellinæ bili ſimillimus, hanc bilis ſpeciem evacuat? Cyclaminus uteri ſignaturam habet: quid verò bryoniæ cognationis eſt cum utero? Et tamen multò ſecuriùs medetur affectibus uterinis, quàm cyclaminus. Signaturæ rerum.

De iis, qui *Magicas ſtellarum Influentias* in qualitatibus rerum ponunt, rectè loquitur Jo. Chryſoſtom. Magnen. *de Tabaco, fol. 42.* ſic: *Verùm iſti Planetarum ſpecifici reſpectûs medica* Influentiæ ſtellarum.

 ſunt,

sunt utilitatis, incertaq; potiùs, & nunquam stantis curiositatis lenocinia, quàm solidæ veritatis adminicula: videnturq; inventa ambitiosorum nominis quorundam, qui nugacitate, pomparum plenissimâ, ignaris, rudibusq; Philosophiæ, imponere velle videntur.

Medicamentor. collectio.

Zwischen unser Frauen Tagen: hoc est, à 15. August. ad 8. Septembr. ajunt, radices plurimas optimè colligi, ova collecta meliùs conservari, Cornu Cervi in summa esse perfectione. Quod quidem, ex Venatorum opinione, concedit Georg. Hieronym. Velschius, *in libell. de Ægagropilis, fol. 67.* non verò ideò, quòd temporis, vel dierum, illa circumscriptio, quidquam valeat; sed ob quorundam astrorum anniversarium ortum. Hoc ille ab ortu caniculæ heliaco, usque ad ortum Cosmicum Arcturi, designandum putat: quod tempus incidit inter duo festa Divæ Virginis.

Humorum præparatio.

Humorum concoctionem non semper expectandam esse, neq; præmittendam eorum *præparationem*, antequam purgare corpus volumus, rectè svadet Sennert. *de Arthritide, fol. 30.* Nam ubi materia est mobilis, ad excernendum parata, ebulliens; quid opus est *digestivis? Et unicum,* inquit, *Purgans exhibitum plerunq; minùs ventriculo nocet, quàm toties repetitæ Potiones digestivæ, quæ ventriculum resolvunt, & labefactant, ut, auctis posteæ cruditatibus, major ad articulos* (loquitur de Arthritide) *affluxus fiat.* Adde, quòd interim, quando cum *digestivis* occupati sumus, dolor crescat, vires decrescant, tempus perdatur, & postea non semper locus purgationi supersit.

Med digestiva.

Jusculá alterantia.

Non tamen hîc rejicimus *Juscula, & decocta, alterantia*, quæ Vere communiter, ante & post venæsectionem, præscribimus. Debent autem ita comparata esse, ut ventriculum, ejusque appetentiam, non molestent; nihilominus bilem temperent, obstructiones tollant, sangvinemque purificent &c. Schröderus, *in Pharmac. fol. 176.* sub titulo *Decocti Majalis*, hoc habet:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. fumariæ*, M. 1.	*summit. absinth. Pont.* an. M℔.
summit. lupuli,	*rad. polypod.* ʒß.
cichorii,	*glycyrrhiz.* ʒß.
agrimon.	*fol. sen.* ℥ij.
asplenii,	*sem. anis.* ʒij.

Decoctum Majale.

Omnia, quæ haberi poterunt, recentia M. cum reliquis, ac coq. in *seri lactis* ℔iiij. ad tertias. Colat. adhuc calid. inf. per noctem *rhab. el.* ʒij. *spic. Indicæ gr.* viij. *schœnant.* ℈ß. Ebulliant parum, & colentur. Dosis ℥iiij. Et hoc quidem non solùm alterat, sed & purgat. Nos, simplicioribus contenti, coquimus cum *jusculo carnis modicè salito* recentia: *flor. borraginis, acetosam, rad.* & *herb. petrosel. rad. cichorii, fol. endiviæ, cerefolii, summit. asparagi, lupuli* &c. quæ omnia quotidie renovari possunt. Si verò *Gallina*, vel *Capo*, quod à multis fieri solet, hisce infarciatur, & simul ad aliquot vices jusculum paretur; vix absolvi poterit priùs, quàm decoctum corrumpatur: propterea melior est modus prior. Et talia quidem juscula si Verno, vel Æstivo tempore per aliquot septimanas bibantur, additis *crystallis tartari*, vel *succo limonum*, imprimis conducunt iis, qui doloribus colicis, nephriticis, & arthriticis, sunt obnoxii. Eos enim diutissimè tutos præservant; quod in pluribus expertus sum.

Decoctum Galli: Caponis.

Quamvis electivè purgantia *cum cibis* non facilè propinentur: licet tamen, in morbis præsertim diuturnis, vel ubi aliâs alvus astrictior est, unâ cum prandio parciore, *vinum* aliquod *laxativum* bibere: svadente Horst. *Oper. Tom. 3. pag. 79.* & *ibid. Tom. 2. pag. 128. c. b.* in principio etiam prandii concedit haustum per quatriduum integrum: quod nonnullis videtur absurdum, metuentibus, eversum iri concoctionem. Ita ante cœnam & prandium, *Tom. 2. p. 148.* & *276.* dat *Elect. de Tamar Ind.*

Purgantia an cum cibis danda.

Neq; etiam refert, in *morbis calidis* uti medicamentis purgantibus; etiamsi omnia ferè sint calida, & plurima satis intensè. Nam hoc non fit respectu morbi, sed causæ morbificæ: quæ quamvis suo modo sit quoque calida; evacuari tamen postulat.

Purgantium caliditas.

Hinc Sennertus, ut *supra* dictum, *caliditatem purgantium* emendat superbibito *sero lactis* : cujus locum *juscula* communiter supplent ; præsertim quando solidiora sunt medicamenta : non semper tamen eo fine, ut promoveatur tardior purgatio, quæ etiam à jusculo nonnunquam impeditur ; sed, si fortior est purgatio, non debet ultra hepar ascendere, ut viscerum intemperies, si quæ adest, calidior corrigatur, reliquiæque pharmaci abstergantur. Sed, inquit Horst. *Op. Tom. 2. p. 381.* ne cum vulgo, & mulierculis, communem errorem erremus, licebit, propinato *jusculo* aliquid *salis* addere : sic enim & reliquiæ purgationis absterguntur, & vis medicamenti aliquando acuitur ; præterquàm quòd nausea, & non necessarius vomitus, præcaveatur. Si verò studio vis, ut æger *vomat*, *salem* jusculo subtrahe.

Jusculæ post medicinam.

Natura calidæ & siccæ, plerunque *biliosæ*, propter membranarum partium dispositionem delicatam & sensibilem, cum periculo purgantur medicamentis acrioribus : facilè enim bilis rebellis acrimoniâ sua exulcerat intestina, vel nimium ea ad excernendum stimulat : hinc *Dysenteriæ*, & *Hypercatharses*. Horstius, *Oper. Tom. 2. pag. 177.* in Dysenteria ex hac causa *panem tostum*, *aceto rosaceo irroratum*, & hoc *Pulvere* aspersum, ventri applicat, corroborationis gratiâ :

Biliosi quomodo purgandi. Hypercatharsis. Dysenteria ab acredine purgantis.

℞. *Pulv. menthæ*,
absinth. an. ʒj.
nucis mosch.
acaciæ, an. ʒß.
mastich.
rosar. rubr. an. ℈ß.
camphor. gr. iij.

Omnem verò fluxum sistimus per *Laudanum opiatum*, præm. præmitt. securissimè.

Periculosum etiam est, medicinam, vel venæsectionem, consulere nullam diætam observantibus, *Helluonibus* scilicet, qui nunquam, nisi bene poti, eunt dormitum, denen Vollsäuffern / oder Sdumägen: juxta Galen. effatum, qui, *l. de cur. per V. S. cap. 6.* intemperantibus, vinosis, ac ventri gulæque deditis, ne manum

Helluonum medicatio periculosa.

manum quidem admovere præcipit. Siquidem cruditates facillimè ab inanitis membris attrahuntur, & ſic pejus habent Ægri; irritaturque nonnullis aliquid, quod, ſi acquieviſſet, morbum diutius divertiſſet. Sicque Medici, etiam generoſa adhibentes præſidia, nihil honoris, infamiæ plurimum, ſibi conciliant. Quorſum enim attinet, apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuêre ſaluti? Gal. *L. 11. Meth. Med. cap. 9.* ex Schol. Salernitan. *fol. 249.* Was ſoll der Kuhe eine Muſcatnuß/ wann ſie Haberſtroh mag? Confirmatur ab Hipp. *l. 2. aphor. 26.* *Qui integrâ ſunt valetudine corporis, ii medicamento purgante ſumpto celeriter exolvuntur; ut & qui pravis alimentis utuntur.* Et Sanctor. Sanctorius, *aphoriſm. 74. ſect. 3.* ita ſcribit: Cibus & potus nimius non ſolùm perſpirabilis retenti acrimoniam, ſed & partium, præcipuè non principum, pravos affectûs diu occultant: qui, dum corpora purgantur, vel inediâ tractantur, de repente erumpunt, & in graviſſimos affectûs faceſſunt. Hinc tales non ſine periculo, & Medici ignominiâ, aliquando purgantur: quod notandum.

Ego ſæpiſſime ſum interrogatus, quando diſceſſi à Convivio aliquo; utrum tractatio fuerit bona: cui quæſtioni toties reſpondi, hiſce: Quid juvat, cibos apponi ſelectiſſimos, quando illi vino innatant ita, ut neceſſariò in ventriculo corrumpantur: vel, ubi plus juſto comeditur, etiam ſine vini copiâ? Hinc optimè ait R. P. Drexelius, *in libr. de Jejun. l. 1. c. 4. f. 75.* Quicquid ſalubritatis eſt in alimoniâ, corrumpit copia.

De *Medicamentis purgantibus*, & aliis quoque, in ſpecie hæc pauca habeto. Neque enim mihi animus eſt, Diſpenſatorium ſcribere, vel multas compoſitionum Formulas; quæ ut ſunt infinitæ, ſic ad nauſeam uſque hoc ſeculo cumulantur, & obtruduntur. Si talia placent, habes Auguſtanos & Norimbergenſes, Quercetanum & Schröderum, Horſtium Juniorem, Dornkreilium, Crollium, Cordum, alioſque. **Diſpenſatoria.**

Soler-

Medic. appropriata.

Solertis quidem & experti Medici est, non semper vulgaria affectæ parti remedia applicare, sed & *selectiora*, & *appropriata* dicta; ubi haberi possunt: quod à Chymicis studiosè observatur. Dicuntur *appropriata*, quòd præ cæteris parti amica sint, & eam singulariter respiciant. Sic *Jecori* debili, & ad calidam intemperiem inclinanti, appropriatam esse, ait, *carnem*, vel *pulpam Passularum Corinthiac.* vulgo *Zibebæ* dict. Horstius, *Op. Tom. 2. p. 181.* Sic in *Pleuritide*, *dens apri*, *sanguis hirci* &c. in *capitis* imbecillitate, *ambra*; in *oculorum* vitiis, *euphragia*; in *aurium*, *carduus benedictus* talia sunt &c. Hæc autem memoriæ mandare debet Medicus, ut statim, & ex tempore, quando iis opus est, copiam habere eorum possit. Vide Practicos, & ipsum quoque Horstium, *in Exercitat. Pharmac. ad. lib. 3. Epist. Med.*

Unde ita dicantur.

Aloes præparat.

Aloes succocitrinæ præparationes, de quib. & apud Horstium, *Op. Tom. 2. pag. 70. c. b.* & *3. pag. 15.* videre est, tot circumferuntur, & pro *pilulis Francofurtensibus* prædicantur, ut, cui credendum sit, planè non constet. Genuinam tamen, & verissimam judico eam, quæ mihi quondam à Ministro quodam Pharmacevtico communicata est Lyncii; hicque eam in secreto impetravit à D. D. Boxbartero, Medico Ulmensi, olim Francofurtensi, & ℞. *Aloes succocitrin.* ℔. 1. *infusionis*, vel *succi expressi violarum purpur.* sive *Martialium* ℔iij. Dissolve & cola diligenter; idque exiccatâ aloe & affuso succo aliquoties repete; & inspissetur ad massæ pilularum consistentiam: in fine adde *diagrydii subtilissimè pulv.* ℥viiij. & F. Massa. Si enim hæ pilulæ ex sola constarent aloe, qualiterqualiter insuccatâ; quomodo (quod idem miratur Horst. *Op. Tom. 2. p. 191.*) minutissima earum dosis, à ℈ß. ad ℈j. tantæ esset efficaciæ, ut, ante parcam cœnam sumptæ, spatio 24. horarum, non solùm apud multos primas vias evacuarent, sed & mesaraicarum venarum obstructiones sæpissime feliciter solverent? Propterea Horstius hypochondriacis, & malâ diæta utentibus, illas singulari-

Pil. Francof.

cum diagryd.

ter ſuadet. Ego craſſis & omentoſis; non tenuibus & emaciatis, concedo. Vide Auct. cit. etiam *Oper. Tom. 2. pag. 11. Tom. 3. pag. 15.* Daniel. Sennert. *in Inſtit. fol. 1282.* Quercetanum rediv. *in Pharmac. Dogm. fol. 346.* Confirmatur mea opinio à Schrödero, *in Phar. libr. 2. f. 260.* ubi, *deſideras*, inquit, *forſitan, in numero Pilularum, Angelicas. Has libentiſſimè inſeruiſſem, niſi cautum eſſet, illas propalare; eapropter excuſatum me habeas, certoq́; tibi perſuadeas, deſcriptionem multorum ingredientium, quas pro Angelicis venditari videris, non eſſe genuinam: pſa enim duobus ſolùm nituntur vegetabilibus; ſuntq́; extractum propriè dictum* (ſub quo aloën extractam, cum ſucco violarum præparatam, intelligo) *cum extracto impropriè dicto* (Diagrydio, quod non eſt propriè exactum, ſed præparatum tantummodò) *commixtum.* Miris laudibus prædicantur hæ *Pilulæ*, loco Francofurtenſium uſurpandæ:

℞. *Fæcul. bryon.*
aloës ſuccotrin.
ſcammon. an. ℥j.
Miſc. pulveriſat. & infunde in
ſucc. d ſpumat. cichor. ℔ij.
bryon. ℔j.
pomor. dulc. ℔ß.
Stent in Sole calidiſſimo, vel alio loco calido, donec ad conſiſtentiam maſſæ, ſæpius agitando, coeant.
Poſtea adde
infuſion. roſar.
Iterum ſtent ad ſpiſſitudinem mellis: tunc adde
rhabarb. el.
agaric. trochiſc. an. ʒiij.
myrobolan. citr.
Indar. an. ʒiß.
ſpec. diarrhod. abb. ʒij.
abſinth. Pont. ʒj.
ſpicanard. ʒß.
Sub fin. addit.
ol. citr.
caryophyllor. an. gut. xv.
M.F. Maſſa Pilular. Doſ. à. ℈j. ad ʒj.

ex communicatione Collegæ mei, Dn. D. Glanz.

Deſcription. *Pilular. tartarear. melanagog.* vid. ap. Quercetan. *in Pharmacop. Dogmatic. Reſtitut. cap. 14. p. 215. 216.* & earum correctionem ap. Sennert. *Libr. 3 Pract. pag. 472*, it. apud Schröd.

Pharm. Med. chym. libr. 2. pag. 259. & Zwelffer. *Animadversion. in Dispens. Augustan. pag. 122. 123.* nec non alias ap. Schröder. *d. l. p. 260 c. b.* & *Marocostin. Minderer. ibid. 256.* & judicium de his apud Fabric. *p. 533.*

Cassia. De *Cassia* hoc notandum: *gravidis*, & *stranguriâ laborantibus*, ut & *flatuosis*, non convenire, contra Schönbornium, *in Manual.* qui malè asserit, Cassiam prægnantibus esse utilem; neque in *forma potionis* propinandam esse: quia, propter cōtinuam ebullitionem, plurimum requirit liquoris; cassiæ sc. ℥j. liquoris ℥iij. usque ad ℥v. & sic magna & tœdiosa efficeretur potio: quamvis Medici Itali præsertim el. diacatholicum, & lenitivum, in Potionibus dissolvant; non sine tœdio Ægrorum.

Manna. Schönborn. *Man. Med. Pract. fol. 262.* scribit, *Mannam*, in Calabria, supra Fraxinum & Ornum ab incolis colligi: quia ex singulari & occulta proprietate ros ille cœlestis ab arboribus hisce alliciatur, conservetur & coaguletur. Unde fieri potest, quòd vis quædam propria Fraxino etiam inest, vulnera conglutinandi. Sed reperitur etiam in nostris hortis, supra folia borraginis, ante Solis ortum; pòst statim evanescit: ut unà mecum observavit Reverendissimus DD. Jodocus à Brent, nominatus Hœpfner &c. Si vis, ut *Manna* semel soluta in frigore non induretur, adde parum *succi limonum* rec. expres. *Morsulos de Manna* vide apud Horst. *Oper. Tom. 2. p. 276.* Crat. *Epist. 68. p. 102.* Facimus, & conservamus etiam sic *Mannam liquidam*:

Aq. mannæ. ℞. *Mannæ*, *salis nitri*, an. part. æq. Solve in *aq. fervente*, & in balneo destilla lento igne, cavendo, ne vas rumpatur. Liquor, qui egreditur foras, est grati gustûs, & in eâdem dosi, qua manna, purgat. Ex communicatione Excellentissimi Viri D. Johannis Fischeri, Lyncensis &c.

In hepatis bilioso affectu Joann. Chrysostom. Magnenus, *de Mannâ, fol. 100.* immiscet *Camphoram* purgationi: quod hactenus me legisse non memini. Potest autem fœminis, Camphoræ

phoræ aſſvetis, concedi. Formula talis eſt: ℞. *Mann. Calabr. ſir. roſar. ſol.* ān. ℥ij. *de cichor. cum rhab.* ℥j. *camphor.* cum *infuſion. roſar. ſol.* ℈j. F. *Potio.* Aliàs camphora in pulverem faciliùs teritur, ſi addas parum *ſpirit. vini.*

Electuarium è ſucc. roſarum, doſi ℥ß. ʒv. ʒvj. tanquam cholagogum ſvave & inſigne, ego ſæpe ſæpius, non ſine ſucceſſu bono, ubi opus eſt, propino.

Diamarenatum: ſeu *Rob ceraſor. acidor. purgans*:

℞. *Succ. ceraſor. acidor.* ℔j. Bulliant ad moderatam conſiſtentiam; adde
flor. caſſ. rec. expr. ℥viiij. *mann. el.* q. ſ.

ad formand. Electuar. ſive Rob. Dn. D. J. Gvil. Mannagett.

Gummi guttæ corrigitur cum *ſpir. vitr.* ita quidem, ut cum hoc diſſolvatur gummi, & poſtea per alembicum ſpiritus omnis abſtrahatur, cavendo, ne gummi in fundo reſidens nigreſcat. Corrigi quoque putatur addit. *tartaro vitriolato*, ne vomitum moveat; cùm tamen hunc hoc modo eò magis ſit concitaturum: quòd *tartar vitriol.* per ſe etiam nauſeam creet. Doſis à ℈ß. ad ℈j. Conf. Schröd. *Pharmacop. Med. Chym. libr. 4. àp. 255.* ſic non facilè movet vomitum. Convenit in febribus bilioſis, hydrope &c. Quid de eo, ut & radice *Galapæ*, ſentiat Horſt. lege *Op. Tom. 2. pag. 233. 234. 235. 387. 388.* ubi, ex alio quidem Auctore, plantam Galapæ deſcribit ita, ut planè conveniat cum planta, Auſtriacis Spanniſcher Anſtrich / Bavaris Schweitzershoſen / dicta. Hanc Viſcherus, in ſeinem Blumen-Garten / *f. 69.* Nabellen / Latinè *florem Mexicanum*, & *Peruvianum*, nominat. Facilè creſcit ex ſemine oblongo, nigro, borraginis ſemini non abſimili, radix hyeme in horto relicta perit, neque frigus ſuſtinet. Si verò (quod pro ſecreto mihi communicavit, Lyncii, quondam, Hortulanus Lotharingus) autumno planta, antequam omnino marceſcat, deponatur, & radix effoſa & munda conſervetur per hyemem, in hypocauſto calfacto, ſicca, etſi

Galapæ deſcriptio.

in lignum induruerit, vere primo terræ mandata revirefcit, & triplo augetur, ficque confervari poteft multis annis; quemadm. radix Anemone, ut etiam bryoniæ craffitiem adæquet. Non effet igitur neceffe, hanc radicem ex Indiis afportare; cùm etiam in noftris hortis crefcat. In *decocto* non datur. Nam experientiâ compertum eft, coctione vim ejus perire, & exolvi: ait Schönborn *in Manual. Prax. Medic. f. 305.* Ego verò credo, propter unctuofitatem, vim ejus, neque per coctionem, neque etiam infufionem, extrahi poffe; nifi cum *fpiritu vini* infundatur. Unde *Phalaja*, quæ nihil eft aliud, quàm *Tinctura gialapa*, cum *fpiritu vini.* Rolfincc. *de febrib. f. 311.*

Ricinus, Spring-körner. Quid de Ricino, Springkörnern judicandum fit, apud Rolfincc. lege, *libr. de febrib. fol. 314.*

Mercurius. *Mercurius*, fi loco purgantis fuerit exhibitus, fecefsûs generat ex cæruleo viridantes: juxta Samuelem Cloffæum, apud Horft. *Op. Tom. 2. p. 545.* Si cui per nequitiam *Mercurius fublimatus* propinatus effet, ftatim ipfi exhibe *olei tartari*, vel *falis abfinthii* ʒß. Hæ enim duo funt alexipharmaca ejusdem, quæ obtundunt vim corrodendi, juxta D. Pithopæum, *in lib. Germ. de Pefte, fol. 75.* Quod enim non aliter noceat *Mercurius fublimi.* Sublimatus. intrò fumptus, quàm per corrofionem, docet Sennertus, *libr. 6. Pract. fol. 283.* Exemplum *Mercur. fubl.* dolosè cuidam exhibiti, & per ufum *turpethi mineralis* curati, vide apud Horft. *Op. Tom. 2. pag. 337.* Antidotum peculiarem hîc effe *pulver. Cryftalli*, habet Valleriol. *libr. 1. Obf. Med. 6.* & eft *ap. Möllenbr fol. 305.*

Fol. Auri. Si quis per fumum, vel aliâs, *Mercurium intrò* haufe rit, quemadmodum Aurifabris, aurifofforibus, in Chymicis laborantibus, & Pictoribus plerunq; contingit, huic, præter alia, *folia Auri* exhibe, & omnibus remediis, purgantibus, diureticis, diaphoreticis, ubicunque licet, admifce. Aurum enim fuâ natura attrahit potenter Mercurium, ubi ubi etiam latitantem, & ei fefe immifcet, ficque, fupervenientè purgatione, unâ cum

illo per alvum commodè expellitur. Conf. Sennert. *Libr. 6. Pract. part. 6. cap. 17. à pag. 281.*

Vacuationes ad extremum deducta periculoſa &c. Hippocr. *l. 1. aphoriſm. 3.*

Quæ ducere oportet, quò maximè vergunt, eò ducere convenit, per loca conferentia. l. 1. aph. 21.

Cocta ſunt medicanda ac movenda, non cruda; neq; per initia, niſi turgeant; plurima autem non turgent. l. 1. aph. 22.

Quæ vacuando prodeant, multitudine non ſunt æſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet, & facilè ferat æger. Atq; ubi ad animi deliquium usq; ducere convenit, faciendum hoc eſt; ſi tamen ægrotus par eſſe poſſit. l. 1. aph. 23.

In morbis acutis rarò, & in principiis, utendum eſt medicamentis purgantibus; idq; cum magna cautione faciendum. l. 1. aph. 24.

Si purgentur, qualia purgare oportet, confert, & facilè ferunt: contraria verò difficulter. l. 1. aph. 25.

Qui helleboro ſumpto non facilè ſurſum purgantur, eorum corpora, ante potionem, alimento copioſiore, & quiete, priùs humectanda. l. 4. aph. 13.

Poto helleboro corporum motiones potiùs, quàm ſomnum & quietem, inducito. Nam vel navigatio indicat, motione turbari corpora. l. 4. aph. 14.

Ubi helleborum magis ducere voles move corpus; ſi verò ſiſtere, ſomnum concilia, nec move. l. 4. aph. 15.

Helleborus periculoſus ſanas carnes habentibus: convulſionem enim inducit. 4. aph. 16.

Non febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, tenebricoſa vertigo, oris amaror; purgatione per ſuperiora indigere, ſignificat. l. 4. aphor. 17.

Qui medicamento purgante ſumpto non ſitiunt, purgari non deſinunt, priusquàm ſitiant. l. 4. aph. 19.

Si citra febrim tormina adſint, & genuum gravitas, & lum-

borum dolor, per inferiora purgandum esse significat. lib. 4. aphorism. 20.

Qui bene habito sunt corpore, medicationes agrè, molesteq́; ferunt. l. 2. aphor. 37.

In medicationibus talia ducenda sunt è corpore, qualia sponte etiam prodeuntia juvant; quæ verò contrario modo prodeunt, sistere oportet. l. 4. aph. 4.

Æstate superiores potiùs, hyeme inferiores ventres medicari convenit. l. 4. aph. 4.

Sub Canem, & ante Canem, medicationes sunt difficiles. l. 4. aphor. 5.

Graciles, & ad vomendum faciles, per superiora purgare convenit; hyemem cavendo. l. 4. aph. 6.

Ægrè vomentes, modiceq́; carnosos, per inferiora purgare convenit; æstatem devitando. l. 4. aph. 7.

Melancholicos largiùs per inferiora purgari convenit; simili ratione contraria apponendo. l. 4. aph. 9.

A purgatione superflua convulsio, aut singultus superveniens, malum. l. 5. aph. 4.

Quibus venæsectio, aut medicamentum purgans, confert, his vere secanda est vena, aut medicamentum purgans dandum. l. 6. aphor. 47.

A medicamenti potione convulsio, lethalis. l. 7. aph. 25.

Si immodicè purgatis senibus accidat singultus, non bonum. l. 7. aph. 41.

Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humiditatem, robusto quidem supernè, imbecilli verò infernè, vacuandam esse significat. l. 7. aph. 61.

Incipientibus morbis si quid movendum videtur, move; vigentibus autem, quiescere oportet. l. 2. aph. 29.

Plurimùm & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere, periculosum. Siquidem

quidem omne nimium naturæ inimicum. Paulatim verò quod fit, tutum; cùm aliàs, tum maximè, ubi ab uno ad aliud facienda est mutatio. l. 2. aph. 51.

Corpora cùm quis purgare volet, fluxilia faciat, oportet. l. 2. aphor. 9.

In quovis morbo partes ad umbilicum & imum ventrem attinentes crassiores esse, præstat; plurimum verò extenuari, & contabescere, pravum: sed ad inferiores quoq; purgationes idem tutum non est. l. 2. aph. 35.

Qui integrâ sunt valetudine corporis, ii medicamento purgante sumpto celeriter exolvuntur, ut & qui pravis alimentis utuntur. l. 2. aph. 36.

Corpora cùm quis purgare volet, fluxilia faciat, oportet. Quod si supra velit, alvus sistenda; sin infra, humectanda. l. 7. aph. 70.

CAPUT III.

De Aquis Medicatis.

QUando in morbis contumacibus, & qui longo tempore ad crisin non pertingunt, Chronicis dictis, plurima sine fructu tentata sunt, ad *Thermas*, vel *Acidulas*, vel *Decoctum Ligni*, &c. accedimus. Vocantur tales medicationes *Cura magna, integra*: Ein gantze Cur außzustehen: vel, ut Thomæ Mermanno placet, *Therapia magna*; non, quia vires exhauriunt, aut repentè naturam alterant, sic dictæ; sed quia magnos morbos paulatim, ac tutò, curant. Tunc, etsi, curâ jam absolutâ, Æger omnino restitutus non sit; jubemus tamen ipsum bene sperare; fore, ut cum tempore effectus bonus consequatur, naturâ substituente id, quod arti non licuit. Neq; etiam Patiens continuis pharmacis urgendus est, sed abstinendum aliquando, suadente Hippocrate, apud Turrianum, *in Jatrob. f. 289.* Nam si na-

Morbus chronicus.

Therapia magna.

si naturæ cursus relinquatur, eâ sese iterum colligente, & in morbum pugnante, orientur forsitan novæ curandi indicationes; quæ latuissent, si continuata fuissent pharmaca.

Thermarū proba. Ubi imprimis notandum, Ægros non temerè ad *Balnea*, & *Acidulas*, ducendos, neque de *Aquarum medicatarum qualitatibus* temerè judicandum esse. Si enim videmus, tales aquas constare, v. g. *alumine, sulphure, ferro, nitro* &c. non statim pronunciandum: ergo easdem habent virtutes, quibus constant mineralibus. Nam, juxta Hipp. *l. de Veteri Medicina*: in homine, & sic in cæteris mixtis, amarum, salsum, acidum, insipidum inest, quæ, mixta & contemperata, neque cernuntur, neque offendunt: at ubi horum quippiam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestiâ afficit (adeòque aliam afficiendi virtutem obtinet) ut notat Horst. *Op. Tom. 2. p. 494. & seqq.* Hinc sublime, *Thermarum*, & *Acidularum qualitates experientiâ* potiùs, quàm *ratione*, indagari: quamvis earum *proba* variè doceatur, & quidem laboriosè magis, quàm utiliter, ab eodem, *pag. 9. seqq.*

Experientia fallax. Quia verò *Experientia* fallax est, nisi plurimis exemplis comprobetur; ideò mirari non oportet, si, propter unam & alteram Ægrorum curam felicem, fortuitò forsitan acquisitam, locus aliquis famam sibi conciliet, & paulò pòst obscuretur. Quemadmodum non ita pridem, propè Eislebium, in inferiori Saxonia, contigit.

Conjunctio Thermarū & Acidularum. Solent aliquando Medici *Thermis Acidulas conjungere; vel ante; vel post-ponere.* Tunc autem utriusque *qualitates* diligenter considerandæ; ne eæ sint invicem tam adversæ, ut non patiantur sese mutuò. Ita *aqua nitrosa*, & *acidula vitriolata*, minùs conveniunt; nitrum enim & vitriolum simul tormina facilè concitant: ut Horst. *Oper. Tom. 2. p. 494. 495.* & *alibi* notat. *Utrum* autem consultius sit, *priùs bibere Acidulas*, *ac dein uti Thermis*, absolutè pronunciari non potest; sed ratio habenda morbi.

Quòd

Quòd nonnulli à *Thermis ejiciantur*, & præter voluntatem ſupernatare cogantur, fabula non eſt. Quando nimirum dicitur: **das Bad will diesen oder jenen nicht leiden:** ſive: **das Bad wirfft ihn aus.** Exemplum enim de Thermis Bollenſibus affert Idem, *Op.Tom.2.p.490.* in Puella cacochymica, quæ in labrum immiſſa continuò ſupernatabat, nec ſubmergi poterat. Cujus rei rationem putat eſſe, quòd tales, flatibus extenſi, ventrem habeant, veſicæ bubulæ inſtar, levem & rotundum: qui poſtea, purgati, & ſufficienter præparati, à Balneis ſimilibus non excluduntur. Qui à Thermis ejiciantur.

Improbatur communiter *Acidularum* uſus; ubi viſcus aliquod internum *exulceratum* eſt: quod ſicut de hepate, liene, pulmonibus, conſtare poteſt; ita de veſicæ & renum ulceribus negatur. Sic *Wildungenſes Acidulæ*, propter limum ferri, quem ſecum trahunt, hîc commendantur à Guil. Fabric. apud Horſt. *Op.Tom.2.p.221.* In eodem affectu etiam *Thermis Carolinis* commodè utimur; ex Cratonis *Conſ.1058.* & *ſeqq.* ubi vid. *ex profeſſo.* Acidulæ. Quando improbentur. Acidul. Wildung. Therm. Carolin.

Similibus *ulceribus* laborantes abſtineant à *Spiritu Vitrioli.* Caſpar. Hoffmannus enim, apud Crat. *Conſ. f.1064.* admonet Medicos, ne nimium fidant *Spiritui*, vel *Oleo*, *Vitrioli.* Nam etſi ventriculum aciditate ſua corrugare poſſit, & appetentiam cibi excitare: ſucceſſu tamen temporis corrodere ventriculi tunicas, & cachexiam inferre; ſine præviâ animadverſione, unde proveniat: ac malè ſæpe ſuis rebus conſulere, qui, debilitate ventriculi ex intemperie frigidâ laborantes, *Spiritu vitrioli* largiùs utuntur, habet Sennert. *Lib.3.Pract.p.20.c.b.ſ.fin.* item, *ibid. pag.130.c.b.* ſcribit: Videndum tamen, ne quid nimis, & humidum radicale ventriculi ab intempeſtivo & nimio *Spiritûs vitrioli* uſu diſſipetur & abſumatur. Nam ubi calor ventriculi langvet, plus obeſt, quàm prodeſt *Spiritus vitrioli.* Et Angel. Sala, de *Spiritu vitrioli*: non eſt Panacea, inquit, uti quidem ſibi perſvaſêre multi, qui omnia ad pauca intempeſtivè, & diſpen- Spir. Vitriol. incommoda.

dio potiùs, quàm compendio reducere conantur: quin, propter qualitatem acrem & valdè incisoriam, non posse non graviter offendere, addit, si detur in morbis & naturis, quibus non debet. Viderit ergo insulsus ille Pharmacopœus, mihi non ignotus, sibi verò plusquàm eruditus Medicus sapiens, qui Viro alicui Nobili, in S.A. *Acidulas Egranas* bibenti, auctor fuit, ut cuilibet haustui *gutt. v. vj. vij.* adderet *Spiritus Vitrioli*, quo stimulum daret acidulis, ad celeriùs penetrandum scil. Sed quantum, putas, pondus, singulis diebus, *Spiritûs Vitrioli* persvasus Æger hauserit, quando summa dosis, ut decet, ad duodecim libras, & ultra, ascenderit? De *Spiritu Vitrioli*, ejusque *vi*, *incommodis*, & *egregiâ præparatione*, vid. Horst. *Op. Tom. 3. pag. 10. pag. 62. 63.*

Acidul. Egranæ.

Thermæ unde *incalescant sub terrâ*, præter alias rationes, & hæc esse potest, quæ allegatur à Jonstono, *Prax. Med. L. 3. f. 119.* dum inquit, aquæ metallicæ duæ, vel plures, naturâ ad tactum frigidæ, in concursu, ob spirituum repugnantiam, incalesunt: cujus rei exemplum in *Spir. Vitrioli*, & *oleo* vel *sale Tartari*, item *aqua forti*, & *Tartaro*, *butyro antimonii*, & *spiritu nitri*, habemus.

Thermarū calor unde.

Crato, *L. 4. Conf. f. 136.* mentionem facit *Thermarum Gasteinìensium. Sunt*, inquit, *Thermæ, in Diœcesi Salisburgensi sitæ*, Germ. Gastein / *extra Salisburgum duodecim miliaribus*, *calidæ per se*, *instar Carolinarum*: *capiti*, *embrocharum more*, *infusa dicuntur prodesse: siccant enim & absumunt humiditates.* Matth. Merian, *in Topographia Bavariæ*, *fol. 62.* de his sic scribit: Oriuntur *Thermæ* undecim milliaribus ultra Salisburgum, prope *Gastein* & *Rauris*, in alpibus horridis, calidæ, magnamque vim siccandi & attrahendi habentes; confortant cerebrum, cor, & nervos, necnon convalescentes; sangvinem purificant, & doloribus capitis medentur. Augent semen & Venerem &c. In fine addit: Ist aber nicht zu trincken / und solle mit theils Kran-

Thermæ Gasteinienses.

Earum origo. Vires.

cken bald Feyrabend machen. Intellige, qui vel non præparati, vel sine ratione ad Thermas mittuntur.

Balneum Adenholzen describitur à Medico quodam, peculiari libello. Debet autem calefieri, & utimur eo insidendo. Hujus mentionem facit idem Merian, *loc. cit. fol. 67.* his verbis: Duobus milliarib⁹ *à Traunstein*, in loco nemoroso, situm est *Balneum Adenholzen*, quod virtutem suam habet à *sulphure, alumine, sale nitro*, & *chalybe.* Servit pro scabie, asthmate, pulmonibus, hepate, liene, & stomacho: item pro colica, calculo, sudore superfluo, matrice, sterilitate, arthritide, spasmo, paralysi, &c. Adenholzen. Situs. Mineræ. Vires.

Aqua Tettucia, intra *Florentiam* & *Pistorium*, urbes, scaturit; salsa est, & in Pharmacopoliis per totam ferè Italiam venalis habetur, viribusque penè integris, quò quò quis velit, transportari potest. *Utimur* eâ calide, alternis diebus, præmissâ purgatione, à libris quinque, ad octo, vel decem; ita, ut in conclavi calfacto manè bibatur, cyathoque primo & secundo aspergatur ʒj. salis: sic tota aqua per alvum, & partim etiam per urinam, secernitur. Die verò intermissionis injicimus *Clysterem* ex *eâdem aquâ*, cum *sacch.* & *ol. amygd. dulc.* cum victu tenui, & pauca cœna. Medetur multis affectibus: melancholiæ hypochondriacæ, calculo, colicæ, arthritidi; conducit omnibus partibus facultati naturali necessariis. Hâc aquâ, præscribente Thomâ Mermanno, Ser. Bavariæ Dux, GUILIELMUS p. m. ab antiquo, & penè desperato capitis dolore, quem partium naturalium impuritas, ac colluvies inexhausta, fovebat, post alia quamplurima, fructu exiguo attentata, Deo adjuvante, feliciter curatus est. Ejusdem aquæ ampliorem descriptionem, & usum, rogatus tradidi Mag. & Ex. DD. Leonhardo Mülgiessero, cùm usum ipsius desideraret Serenissimus & Reverendissim. LEOPOLDUS GUILIELMUS &c. Archidux Austriæ, &c. cujus Personæ ille erat Medicus, Fautor & Amicus meus singularis. Aq Tettucia: & ejus Origo. Usus. Operatio. Observatio.

Annus bisextilis: Quemadm. vana est opinio, *Anno bis sextili* non esse plantandas arbores, quasi fructûs minùs felices proferrent; quod bene negat Daniel Rhagorius, in seinem Pflantz-Garten: sic rectè quoque Crato, *Consf. f. 959. Thermas*, ait, *anno bissextili, quamvis alii eas inefficaces existimant, ego nihilominus non dissvadeo.* Neque enim illo anno ex tristi siderum aspectu temperamentum aëris, vel tempestates, mutantur; sed tantùm unicus unius diei numerus, per se inefficax, adjicitur, ut Solis cursus anni reversionem æquaret meliùs, propter horas illas, circiter sex, reliquas, quibus Sol, præter dies 365. terram ambit. Unde necessariò per quoslibet quatuor annos una dies addi debuit: sic ordinante, & primò animadvertente Cæsare Dictatore.

Plura de *Aquis Medicatis* naturalibus lege apud Tabernæmontanum, in seinem Wasserschatz/ & Andr. Baccium, *de Thermis.*

Possetum:

Possetum: Gallis & Anglis dicitur *Potus*, qui fit ex lacte concreto: h.e. serû lactis: cujus mentionem sæpe facit Riverius, *in Praxi.* Explicat autem id Primiros. *libr. 3. cap. 8. fol. 263.* Sed Philipp. Jacob Sachs, Collega Naturæ Curiosorum, *in suâ Ampelographia, fol. 363.* ait, esse *Potum* ex vino, cum lacte coctum, Anglorum:

In morbo diuturno, cibi fastidium, & sinceræ dejectiones, malum. Hipp. l. 7. aph. 6.

Ut plurimùm omnes malè habentes, initio benè comedentes, nec quidquam proficientes; in fine rursus cibum aversantur: contra verò, qui initio cibum valde fastidiunt, postea verò probè sumunt; invaletudine faciliùs liberantur. l. 2. aph. 32.

CAPUT

CAPUT IV.

Varia continens.

MUltæ circumferuntur deſcriptiones *Lapidis ſeptici.* Rectè autem monet Sennert. optimum fieri ex ſolo *lixivio*, in vaſe ferreo coctoad duritiem, ex quo aliàs ſapo nigerrimus coquitur: cui Schröderus conſentit, *in Pharmac. fol. 231.* De nobili Cauterio ex *cinere fraxini* vid. Zwelffer. *Animadverſion. in Pharmacopaiam Auguſtanam*, ſuper Cauterium potentiale. Lapis ſepticus.

Syrupus de Tribus.

Hoc Syrupo, inquit Crato, *Conſ. fol. 495. 496* (loquitur autem de Syrupo ſuo de Pomis) *non minùs tutò, quàm illo de Tribus, qui, ante viginti annos à me in patria mea præſcriptus, nunc alterius nomine uſurpatur, frequenter utor &c.* Hinc nota, non jam demum noſtro tempore innotuiſſe *Syrupum de Tribus*, in morbis Puerorum nobis valdè familiarem; cujus deſcriptionem vide *in Appendice Viennenſium, fol. 4.* Syr. de Tribus.

Syr. de Jujubis.

Etſi nos Medici cognitionem habeamus qualitatum medicamentorum & compoſitorum & ſimplicium: componendi tamen modum non rarò ignoramus, & Pharmacopœos de iis rogare opus habemus; propter defectum quotidiani exercitii, **der Handgriffe.** V. g. in componendo *Syrupo de Jujubis*, ſi omnia promiſcuè ſimul coquantur, deſtruetur Syrupus, &, propter mucilagines ſem. malvæ, cydoniorum, & tragacanthi, apparebit, quaſi haberet ſuam conſiſtentiam, cùm vix principium coctionis adeptus eſt. Hæc tria itaque priùs terantur, &, in Nodulum ſatis laxum poſita, cùm ſaccharum & decoctum reliquum aliquandiu coctum eſt, & fervet, ex filo dependeant, ſimul coquantur, ſubinde extrahantur, & exprimantur, donec Syr. de Jujub.

ſatis fiat conſiſtentiæ. Tunc unà cum *Syrupo* reponatur *Nodulus*, &, cùm refrixerit, fortiter exprimatur.

Syr. dialthææ Fernelii.

Sir. de althęa Fernel. Idem ferè obſervandum in *Hoc*; ubi radix Althææ non ſimul, ſed contuſa groſſo modo, ſeparatim in aqua coquitur, donec vis omnis extracta ſit, ut decoctum per pannum transcolari poſſit: hoc dejnde admiſcetur reliquis, jam ad conſiſtentiam coctis. Nam ſi radix Althææ ſimul coqueretur, decoctum, propter lentorem, nullâ ratione poſſet per pannum trajici. In pulveriſandis *Ciceribus rubris*, qui eundem *Syr.* ingrediuntur, nota iterum, non minutim illos eſſe contundendos, ne & propterea Syrupus lentorem induat. Et talia quidem docet quotidianus rerum uſus, & ſpectant ad *Examina Pharmacopœorum*; Examen Pharmacopœorũ. poſſentq́; plura doceri hîc; niſi ab alio, in arte hac magis exercitato, quàm in corrigendi modeſtiâ, & medendi methodo circumſpecto, talia non ita pridem divulgata eſſent.

Filtratio medicamentorum.

Filtratio medicamentorum. Viennæ fiunt *Purgationes* in formâ *Potionis* clarificatæ, pro delicatioribus, & filtratæ, quibus odor cujuslibet rei conciliari poteſt, ſi chartæbibulæ odorata conciſa indantur, & ſic per ea inſtituatur *Filtratio.* Sed nota: ſi velis ſenſibiliter, & bene, evacuare hominem aliàs difficilem, vel valde cacochymicum; quòd neceſſariò magnam oporteat facere *Potionem*, quia per filtrationem & clarificationem de virtute purgantium non parum deperditur,

Balſamus.

Balſamus. Conficitur *Unguenti* genus, quod, ob odoris ſvavitatem, fruticis *Balſami* nomen ſortitum eſt. Conſiſtentiam pro incorporatione ſuppeditat *Cera alba*; meliùs autem ſubſtituitur *Ol. nucis moſch.* expresſionis ſecundæ, cui color & odor per ſpiritum vini extractus eſt; uti deſcribit Horſt. *Op. Tom. I. pag. 376. c. b.* Optimus verò *Balſami* conficiendi modus eſt, ſi fiat ex cujuscunque

quæ herbæ, vel aromatis, *ſale*, *oleo*, & *tinctura*, ſimul mixtis. Exemplo ſit *Balſamus Fœniculi*, quem Horſt. *Oper. Tom. 2. pag. 558.* & *Tom. 3. pag. 214.* ſic facit: ℞. *Ol. nuc. moſchat.* ℥j. Liquato ſuper ignem affunde, continuò agitando, *ol. fœniculi deſtill.* ʒvj. Poſtea ℞. *Tinctura fœnic.* quantum *Mixtura* prior ſuſcipit, paulatim affundendo & commiſcendo. Tandem ad ſingulas uncias Balſami, adde *ſalis ejusdem* ʒß. Sic non ſolùm erit efficaciſſimus, ſed & diutiſſimè conſervabitur, & tutò intra corpus ſumetur. Balſamus fœniculi.

Ol. cinamomi.

Ol. cinnam.

De integra libra *Cinamomi* ultra ʒij. ad ſummum ʒiiß. *olei* ſinceri, etiam peritiſſimus Artifex non deſtillabit. Propterea, lucri majoris gratiâ, ſæpe ſæpius *adulteratur* additione *rerum pinguium* ante deſtillationem: ſed fraus *detegitur*, quando una vel altera gutta vino mixta ſupernatat: verum enim *Oleum cinnamomi* in fundum cadit: ſed ne ſic quidem fraudis expers eſt hoc *Oleum*. Si enim cum *ſemine cannabis pulveriſato* deſtilletur, dabit copioſum oleum, etiam non ſupernatans: quod tamen temporis tractu, poſt 10. vel 12. menſes, fit nigrum, craſſeſcit, odorem perdit, & ſic adulterium prodit.

Ol. Camphoræ,
Saturni,
Sulphuris.

Ol. Camphoræ ab aceto non tantùm, ſed & ab aqua ſimplici, coagulatur, & in ſui ſubſtantiam redit. Sic *Oleum Saturni*, à momento aquæ; ſic *Oleum Sulphuris* craſſius, ab urinæ ſpiritu. *Jucunda certè Empirià, &, ut ingenuè dicam*, inquit Zwingerus, apud Crat. *Epiſt. 259. f. 475. multis otioſis Theoriis anteferenda.* Ol. Camph. Saturn. Sulphur.

Extracta.

De *modo extractionis, extractis, & tincturis*, vid. Horſt. *Oper. Tom. 1. pag. 397. c. d.* Extracta.

Herba

Herba montana.

Herbæ montanæ.

Efficaciora esse Simplicia *Botanica* in *montibus*, quàm in *planitie*, ait Schröder. *in Pharm. f. 93.* ex Quercetano, his verbis: *Videre est, simplicia vehementis evacuationis in montibus potiùs, & saxosis locis, aut inter rupes, ubi nativa sedes est metallicorum spirituum, quàm in pingui & fertili loco, luxuriare; quæ, ut mitiora & correctiora reddantur, ac sylvestrem illam naturam suam exuant, in domesticos hortos traducenda.* Equidem multa novi *Simplicia*, quæ alibi spontè crescunt; in hortos autem nulla ratione vel diligentiâ transplantari possunt: v. g. *gentianella Bavarica, calceolus Mariæ, satyrion, scordion* &c.

Flores quomodo condiendi compendiosè, vid. ap. Schröder. *Pharmacop. Med. Chymic. Libr. 1. pag. 169.*

Plumbum.

Plumbum.

Sal.

Capivaccius, apud Craton. *L. 1. Consf. f. 276. In aliquot*, inquit, *Germaniæ locis sal coquitur in caldariis plumbeis, illæso plumbo: sicut patina chartacea oleum sustinet sine combustione, etsi carbonibus imponatur. Ratio difficulter datur prioris, nisi velis credere, salem condensare primùm plumbum, quod laxum est, aliquatenus, ratione partium humidarum & aërearum, quæ calore consumuntur; & necessariò tunc plumbum liquesceret, nisi sale condensaretur.* Paulò clariùs hac de re discurrit Petr. Monavius, contra Hieronym. Mercurialem, apud Crat. *Epist. 214. p. 363.* & inter alia verè affirmat, *Plumbum* in pondere augeri, si sub dio conservetur, ut pluviam & aërem, quibus magnâ ex parte constat, suscipere possit; quod Mercatores probè norunt; etsi matrice sua, id est terræ cavernis, destituatur: sicut videmus, herbas à radice succisas, vel in aëre suspensas, ob nimiam humiditatis amicæ attractionem, crescere & augeri. Exemplo sit *Aloe America, portulaca, ficus Indica, sempervivum, scilla* &c. *Fol. 369.* confirmat opinionem Capivaccii, & rationem eandem reddit, cur *caldaria plumbea*, in quibus Saxones salem coquunt, non liquentur: aquas scil.

scil. salsas in minutissimas plumbi aerei partes sese insinuare, & ita liquationem impedire. Idem, asserit, fieri posse in *patinis stanneis*, cum liquore quolibet. Experientiam dabit quælibet mensa, ubi illæ carbonibus proxime imponuntur, & tamen, quamdiu liquorem in se continent, dissolvi non possunt. Cui accedit & hoc, quòd ebullitio, & intensior calor, semper superiùs incipiat, & pars liquoris superioris semper magis effervescat; siquidem ignis sursum tendit. Exemplum Coqui dabunt, qui cùm ova, vel pisces, coquunt, sine noxa statim ab igne remotam *sartaginem* in fundo tangunt; paulò pòst verò, cùm calor est æqualiter diffusus, non licet ampliùs sine noxa vas attingere. Vid Sennert. *Paralipomen. Exoteric. 2. pag. 216. & seqq.*

Unicornu.

Non dubitandum putat Horst. *Oper. Tom. 1. pag. 391. Unicornu verum* dari; sed notandum, *dosin* illius non esse pauca quædam grana, ex vulgi opinione, sed ad minimum ʒß. requiri. Quia autem similia, ob pestilens lucrum, multoties adulterari, & difficillimè dignosci solent, cautos in exhibendis talibus nos esse oportet: & præstat, aliquando notioribus, tanquam certiùs expertis, & cum viliori sumptu, uti; v. g. *Cornu Cervi, terrâ sigillata.* Signa veri *Unicornu* Basilius, im Triumphwagen deß *Antimonii, apud Joannis Sperling. Instit. Physicas, fol. 1023.* hæc colligit: Facit circulum ex *Unicornu* pulverisato, in cujus medium immittit vivam araneam; quæ si non fugit extra circulum, judicat, bonum esse *Unicornu*: aranea enim, quocunque se vertit, offéditur ab alexipharmaco, & propterea stat attonita. Vel nummum intus cavum (ein hol geschlagenen Pfenning) aquæ fac supernatare, admove dein propiùs *Unicornu*: si fugit nummus, ut anates canem, bonum est: pellit enim virtute sua spirituali *Unicornu* metallum. Vel panem album bene coctum immitte vasculo aquâ pleno, & admove propiùs, non proximè, *Unicornu*: si justum, & non adulteratum est, trahet ad se panem,

Unicornu. Ejus dosis. Signa probæ.

vi quadam Magneticâ, tanquam sibi familiare aliquid & amicum.

Bezoar.

Bezoar. River. *Prax. fol. 665. Lapidem Bezoar* suspectum habet, ob adulterium: præponit ipsi radicem Contrayervæ. Posset autem forsitan hic *Lapis* eodem, ut Unicornu, modo, probari; quamvis, teste Guil. Fabric. *fol. 307.* vix ulla proba sufficiens sit, quæ, verum esse *Lapidem Bezoar*, demonstret. Juxta Jonstonum, *l. 3. Medicin. Pract. fol. 102.* probatur is, qui chartæ affrixus puniceum colorem edit, quive, in aquâ, per tres horas maceratus, idem cum eo, quod antehac habebat, pondus obtinet. De hoc, *unde proveniat*, vel *quid sentiendum sit*, varias disces opiniones ex Manlio Constantinopolitano, apud Crat. *Epist. 191. pag. 307.* ubi ex sylvestris capræ ventriculo, corde, vesiculâ fellea, eximi, ajunt. Nonnulli, *purgare* Lapidis grana aliquot; nonnulli, *alexipharmacum* esse, dicunt: posterius affirmant omnes; prius negat experientia: nisi id fiat per accidens; quod de *Pulvere Rubro Pannon. Spec. de Gemm. frig. de Hyacintho* &c. pro sudore eliciendo, & malignitate corrigenda, exhibitis, sæpius observavi: ubi, loco sudoris, quem promovere debebant, alvum irritarunt, & diarrhœam effecerunt: turgente scil. materia circa primas vias; quam, gravius aliquod malum, febrem ardentem, variolas &c. metuentes, in principio non attingimus purgantibus, sed sudoriferis discutere conamur. Id quod non à multo tempore contigit Illustr. D. de Herberstain, Cæsareo Ephebo. Sunt, qui in *dosi* hujus lapidis ad ℈j. adscendunt. Hos autem reprobat Georg. Hieronym. Velschius, *in libell. de Ægagropilis* (von den Gems-Kugeln) *fol. 53.* quia tantùm non obruant naturam. Putat itaque, ut & de suis Ægagropilis, sufficere, pro summa dosi, scrupulum unum.

Med. diaphoretica. Observatio.

Natales. Certiùs credendum Garciæ ab Horto, rerum exoticarum oculato testi & inquisitori. Is *Lapidem Bezoar* inveniri dicit in *hirci*

hirci cujusdam genere *in Perſide*. Naſcitur in ventriculo animalis, circa tenuiſſimam paleam ſenſim concretus, & ex plurimarum quaſi tunicarum contextu compoſitus. Hujus, ut & Unicornu, proba videtur eſſe optima & certiſſima, quando animalibus, veneno ſumpto, medentur. Debet autem veneni, & animalis, eſſe proportio, & ipſius animalis, cum homine, quædam analogia. Sic canis fortius venenum ſuſtinet, quàm columba: ſus propiùs ad hominis temperamentum & ſtructuram accedit, quàm canis &c. Proba.

Os in Cordibus.

Quòd *Oſſiculum in Cord. Cerv. Bovis, Equi*, repetiatur, extra dubium eſt: de *Homine* verò dubitatur. Affirmatur tamen à Rolfinc. *f. 1125.* propriâ experientiâ, & autoritate Cornel. Gemmæ, Arantii, Riolani, &c. In ſenibus utriusque ſexûs maniſeſtè reperiri; in reliquis cartilaginem repræſentare: &, quò ætas major, eò à cartilagine magis recedere ad oſſeam naturam. Exiſtimat etiam idem, illud nihil aliud eſſe, quàm radicem aortæ, paulatim induratam. Uſum autem illius non addit. Laurentius ejus nec mentionem facit. Sed quia Equi, & Boves, talia (præſertim ſi ætatem habuerint) oſſicula exhibent, facilè crediderim, hinc adulterari poſſe oſſa de Cord. Cervi. In quolibet Corde perfecti animantis oſſiculum, vel quid ei analogum, poſtquam aſſerit inveniri Joh. Dan. Horſt. *in Decad. Obſ. Anatomic. fol. 20.* & eò duriusreddi, quò annoſius eſt animal, ſubjungit ſingularem uſum oſſis de Cord. Cerv. in febribus vidl. plevritide, & difficultate partûs. Os in Cordibus.

Lign. Aloës.

Nullum dicit Schönborn. *in Manual. Prax. Medic. fol. 125.* præſtantius eſſe medicamentum in morbis *Ventriculi* & *Capitis*, (addo ego & *Cordis*) *Ligno aloës*. Propterea vidi ejusdem *Extracti* uſum creberrimum apud D.D. Mannagettam. Lign. aloës.

Sulphur Lunæ, l. *Argenti Tinctura* & *Calx.*

Quale sit medicamentum, & quomodo arte Chymica eliciatur, vid. apud Sennertum, *l. 1. Pract. part. 2. cap. 20. pag. 473.*

Aurum Chymicum.

Aurum Chymicum detur.

Martinus Zeilerus, *in Itinerario Italiæ*, *f. 116.* dum Florentinum Thesaurum describit, inter alia, ait, ostendi *Clavum ferreum*, cujus una extremitas purum aurum, altera ferrum sit, cum appensa schedula, cui inscriptum legatur: *Dominus Leonhardus Turnheiser* (qui ann. 1596. Coloniæ mortuus est) *ex clavo ferreo, me præsente ac vidente* (sed quis fuit ille præsens ac videns?) *igne calfacto, ac in oleum immisso, in aurum versus, Romæ 20. Novembris, in mensa, post prandium.*

Quòd *Aurum arte Chymica*, per metallorum transmutationem, fieri, &, per additionem eorundem, augeri possit, credat quisquis velit. Equidem mihi persuaderi non sino, Naturam in hoc negotio Arti quicquam concedere; &, licet adducantur Historiæ, qualis hæc ipsa est; fidem tamen non merentur. At non inficias eo, cognata metalla, & mineralia, transmutari posse; ut ferrum in cuprum, Mercurium in plumbum. Sed nec hoc aliquid Chrysopœiæ patrocinatur; quòd cuprum, pluribus annis sub dio commorando, tandem vertatur in aurum. Hoc enim, si verum est, non est Artis, sed Naturæ opus, quæ vel immaturum, sub cupro latitans, aurum, vel non bene segregatum antea, longævo tempore excoquit. Sicut videmus, chalybem, & ferrum, præmaturè effossum, & in massam grandem confusum, quam proprio suo vocabulo in sup. Styria Einen Wolff und Halbmaß nominant, quando sub Sole diutius relinquitur, indies perfectius fieri. Videtur sanè Deus Opt. Max. hanc Artem sibi soli reservasse, ne, si eam hominibus communem faceret, illâ ad malitiam abuterentur; & foret imprimis Principibus & Magistratibus periculosa. Nam

si, inter centena millia subditorum, vel unicus hanc artem calleret, & ex ea thesaurum colligeret; an non quâvis occasione Imperium abrogaret, & obedientiam subtraheret? Propterea satis mirari non possum, quòd non solùm Principes, sed & inferioris statûs homines, ab impostoribus nequissimis (quorum priori seculo Parisiis ad duo millia reperti sunt, lapidem, nescio quem, quærentes, & non invenientes) velint sic decipi: quos inter, sic turpissimè deceptos, novi complures ad extremam paupertatem redactos. Sapienter itaque monet Sennert. *de Consf. & Diss. Chymicor. cum Galenic. & Aristotelic. Imprimis*, inquiens, *nemo iis fidem habeat, qui pretio hanc Artem promittunt; priùs enim sibi, quo carent, aurum conficiant; postea alios artificium, si libet, doceant.*

Idem planè sentire videbatur summus quidam Pontifex Romanus: qui (ut narratum est) cùm ad eum talis Aurifex accederet, & pro levi remuneratione artificium docere se velle promitteret, grande marsupium ipsi dare jussit. Hoc enim solum deesse, ajebat, homini tam felici, ut aurum à se confectum, sciret, quorsum reconderet.

Quòd verò etiam Rolfincc. *de febr. f. 429.* putat, multa Chimicis operationibus educi, quæ in mistis actu non præextiterint, sed per novam generationem producantur, equidem, si de generatione propriè dictâ intelligit, falsum est. Neque enim Artis, sed Naturæ munus est, aliquid generare. Aliàs orta attestantur de principiis suis, & eorum naturam imitântur: quod Autor, *loc. cit.* non semper contingere, ait: ubi multum differre docet *Chalcanthum* à *Spirit. vitrioli.* Sed differentiæ hæ accidentales tantùm sunt, adeoque nihil novi hîc generatur, sed separantur tantùm partes heterogeneæ: ac sic, quicquid fuit arte extractum ex Chalcantho, actu priùs intùs delituit. Chymia enim non est ars nova generandi propriè, sed separandi: aliàs facilis esset doctrina de Auro faciendo. Rectè ergo de Chimia.

Chymiâ judicat Theodor Zwinger. *in Epist. Medicinal. Cratonis 250.* quando scribit: Maximi facio ministram Medicinæ Chimiam; eandem, si Dominæ suæ sese anteponere audeat, flagris etiam dignam censeo.

Tinctura Antimonii.

Tinctura Antimonii.

Vera, & toties commendata, hæc esto, quam, ut & reliqua, quibus hoc caput concludimus, habeo ex communicatione fidelissimâ Patrum Wranoviensium, Monasterii celebris Moraviæ R. P. F. Gabrielis Lieffroi, nunc Conventûs Correctoris, & Francisci Talbert, Collegæ Provinciæ, Ordinis Minorum S. Francisci de Paula &c. *Sumantur Antimonii & salis Armoniaci partes æquales. Totum igne forti pellatur per retortam, ut prorsus Antimonium transeat: exceptis fecibus turbulentis, in retortæ vase restitantibus. Taliter dissolutum per retortam, per frequentem ablutionem, ab omni sale liberatum, dulce reperies. Illud exicca, minutissimè tere, reverberatorio impone, accensoq; igne flammæ, unum duntaxat fumarium tantisper aperias, donec Antimonium (quod rubeum fuit) induat albedinem. Candore habito, secundum aperi fumarium; sic auctior fiet ignis; quem continuabis, donec flavedo pulcherrima apparuerit. Eâ visa, tertioq; aperto fumario, illud ad citrinitatem promoveas; tandemq; quartò ad perfectam perducas rubedinem. Cui demum spiritum vini rectificatissimum affunde, Tincturamq;, seu Antimonii Sangvinem, tam diu extrahe, donec non coloretur ampliùs. Ultimò deniq; residuus spiritus vini per destillationem abstrahatur, ut remaneat essentia Antimonii, intensissimâ rubedine decorata. Hac clavis multas aperiet januas.* Pulcrum compositionis hujus modum vid. etiam ap. Horst. *Op. T. 2. p. 505. Et ad hunc fermè modum sequitur verissima, genuinaq;*

Tinctura Coralliorum,

Tinctura coralliorum,

A multis dubio procul tentata, sicut & de Antimonio; sed planè frustra; ob fornacis, regiminis ignis, dextraq; manipulationis ignorantiam. Quapropter post hanc Coralliorum essentiam, ne ullus com-

lus committatur error, laborq; irritus sit, fornacem, ejusq; usum, subjicimus, ad utramq;, aliasq; plures similes tincturas extrahendas omnino necessarium.

Corallia itaq; rubicundissima, eaq; recentia, in selectis frustulis, primo illo nostro superiori ignis gradu (ut illa saltem in testis non adeò profundis superficietenus flamma lambat) reverberentur. Sic albescent. Per illos (ut antea, de Antimonio) ignis gradus sibi succedentes transeant in flavedinem, citrinitatem, & postremò rubedinem summam; quam in initio occultaverant: ad quod triduum requiritur. Hoc modo spongiosa & levia reperies. Terantur minutissimè; iis addatur spiritus vini defecatissimus, in vase clauso, fiatq; uti de Antimonio dictum est. Separatis tandem fecibus, in fundo vasis sine ulla virtute remanentibus, habebitur illa subdulcis, rubicundissima, & tam diu deprædicata Coralliorum Essentia, Sangvis, seu Tinctura. Vid. Schröder. *Pharmacop. Med. Chym. lib. 3. cap. 6. p. 337. & seqq.* Sennert. *Institut. p. 1393.* River. *Cent. 1. obs. 49. p. 55. 56.*

Typus furni Reverberii sub litera A.



B. *Qua-*

B. *Quatuor supra ostiolum ventilabra; quodlibet sit digitis latum duobus. Illis ignis dextrè dirigi, ejusq; calor augeri, minuive potest, ad libitum.*

C. *Ostiolum, per quod scutellæ, testæ, pyxidesq; imponuntur.*

E. *Ostiolum, per quod aër, qui ignis vita est, ingreditur, cineresq; eximi queunt.*

F. *Obturamenta pro ostiolis C. & D.*

G. *Erigatur murus lateritius, in forma oblongiori, altitudine unius pedis, pro cenisterio, & in ejus pariete alterutro locus vacuus, ad quatuor digitos latus, pro ostiolo E. signato, relinquatur.*

H. *Cratem transversam, &, supra illam, murum pedalem pro foco demonstrat.*

I. *Altitudinem illam, foramenq;, per quod flamma transit, denotat.*

L. *Solarium supra murum, ex lateribus confectum; quod quidem posteriorem murum ad tres digitos latos non contingat, ut per foramen K. queat flamma permeare; adeoq; à sequenti camera retentæ in materiam reverberare cogatur.*

M. *Concameratio supra solarium. Ea debet esse paulò humilior, quàm sit solarii. Debet etiam esse firma & undiq; clausa, exceptis ostiolis, respiraculis pro arbitrio regendis, & interiori foramine, flammæ locum dante.*

N. *Testæ sunt, vel scutellæ.*

O. *Pyxides pro re nata ac laboris diversitate.*

Elixir Proprietatis Paracelsi,

Elixir proprietat. Paracelf.
Sal nitri.

Nunquam hactenus divulgatum, sed Auctori, ut & præcedentia, ex amicitia singulari liberè communicatum, & pro ejus arbitrio libro huic inserendum: Sumimus Nitri purificatissimi, & ab omni sale noxio liberè exultantis, q. v. terimus in pulverem: vesica bubula, aut alterius animalis, impositum optimè claudimus. Suspensum ad aquam tepidam, unius diei spatio in aquam planè dissolvitur; filtratur per

tur per chartam, & lento balnei calore destillatur ad medietatem. Sic purgat tartareos humores, in febribus ardentibus refrigerat, ardoremq; temperat. Altera pars, quæ remanet ſubflaveſcens, utcunq; per inferiora purgat, & quandoq; ciet vomitûs. Doſis pendet à prudentia Medici. Porrò primam illam aquam, quæ extillavit ad medietatem, loco illius adeò hactenus occultati menſtrui adhibemus ſupra crocum, aloen, & myrrham, & in phiala clauſa per trimeſtre digerimus lento cinerum calore. Tunc filtramus, clarum ſeponimus, reſiduum per cineres deſtillamus, filtrato liquori priori rejungimus, aliquandiu rurſum digerimus, & ſic Elixir conficimus.

Inſuper obſervandum eſt, dum hujus Aquæ nitri, *in principio dicta, inſtitutio fit, ſi cum Nitro ipſo aliqua Manna portio* (vide hic ſuperiùs) *vel pulveris rad. mechoacæ, cum cinnamomo, imponatur, tunc aquam, quæ primò extillabit, futuram eſſe pro delicatulis egregium ſuaveq; purgans: pro robuſtioribus verò, ſi alia purgantia, v.g. ſena, rhabarb. turbith. &c. addantur.*

Caput V.

De Diæta.

SÆpius memini me interrogatum: *An dentur medicamenta, quæ hominem ſalvum & incolumem ſervare tutò poſſint, nulli diætæ addictum, ad aliorum potiùs, quàm ſuum, viventem arbitrium?* Quibus ego *negativè* ſemper reſpondi, &, præter rationes Phyſicas, hanc Moralem interrogantibus objeci: Medicamenta in hominis commodum à Deo Opt. Max. eſſe comparata, ut morbos præſentes tollant; futuros præcaveant: non ut tutelæ ſint lurconibus, rebus iis ad voluptatem & libidinem abutentibus, quæ pro neceſſario nutrimento creatæ ſunt. Interim convivia frugalia non vituperamus. Quale fuit illud I. *Eſther cap. I.* Ubi *vinum quoq;, ut magnificentiâ Regiâ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. Nec erat, qui nolentes cogeret*

geret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de Principibus suis, ut sumeret unusquisq; quod vellet.

Aër. *Aëris temperies variat regionum, aut locorum, respectu dupliciter: aut in consideratione ad cœli plagas: ita quædam regiones calidiores sunt, pro ut magis propinquæ sunt tropico Cancri; aut considerando simul etiam terræ faciem: ita solum arenosum calidius & siccius; pingue, cœnosum frigidius & humidius statuitur; humilis locus calidior altiori; montosus frigidior; propter aëris vehementiam.* Sic discurrit Horstius, *Op. Tom. 1. p. 356. & seqq.*

Venti. Multum etiam aërem variare & emendare possunt *Venti*, quibus si careret Austria, æstivo calore vix cederet Italiæ, & annuâ pestilitate vix non desolaretur. Hinc illud commune: *Austria ventosa, aut venenosa. Ventorum* autem *originem* Quercetan. *in suo Diætet. cap. 7. f. 156.* statuit vapores terræ, ad gelidam aëris regionem adscendentes, & ibidem, cùm ulteriùs non possint, condensatos, remanantes dein cum sonitu ad partes

Tonitrua. inferiores; qui, si exhalationes sulphureas attingunt, *Tonitrua* efficiunt.

Ventorum distinctio. Horst. *d. l. c. b. Ventos* distinguit in *Collaterales*, & *Cardinales*: qui maximè considerandi veniunt; & sunt *quatuor*, secundum quatuor mundi plagas: *Eurus*, calidus & siccus, cum suis collateralibus, ab ortu æquinoctiali procedit: *Zephyrus*, frigidus & humidus, spirat ab occasu æquinoctiali: *Boreas*, frigidus & siccus, à septentrione oritur: *Auster*, à meridie proveniens, nobis est calidus & humidus; frigidus verò iis, qui habitant circa polum antarcticum.

Anni tempora. Idem, *loc. cit.* ubi pulchrè describit *Anni tempora*, secundum Solis in hoc vel illud sidus transitum: *Ver*, ait, *& Autumnus; quamvis utraq; pars anni inter Hyemem & Æstatem intercedat, in hoc tamen distinguitur, quòd Ver à tristi & inimico frigido, ad jucundum calorem; Autumnus contra à suavi calore ad inimicum frigus,*

Veris morbi. *transeat.* Hinc subsume, quòd Ver non ex proprio temperamen-

mento, sed collectione humorum pravorum in hyeme, plurimos morbos producat; illos tamen salutares plerunque: Autumnus contra & ex se, & ex præcedentis æstatis calore, morbosus sit, & quamplurimis exitiosus.

Idem, *loc. cit. c. 6.* negat, aliquod *Clima* dari, *quod inhabitari non possit*, contra opinionem Veterum. Imò, ut Mercatus vult, rectè habitari potest sub circulo Æquinoctiali: propterea, quòd noctis diuturnitas, & minor Solis mora supra Horizontem, æstum tam vehementem esse non sinat. Clima.

Multi, dum Cibo & Potu exorbitant, *aërem*, vel *laborem*, vel *studia* accusant. Exempla sunt obvia. *Nos*, inquit Drexel. *in libr. de Jejun. fol. 51. sæpissime morborum causam in aërem, in studia & laborem, in habitationem, aut in curas & sollicitudinem conjicimus. Quid hæc accusamus? Quod per os ingreditur, hoc affligit valetudinem.*

Temporum mutationes maximè pariunt morbos; & in ipsis temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia, pro ratione ad hunc modum. Hipp. l. 3. aph. 1.

Naturarum quædam ad æstatem, quædam ad hyemem, bene vel malè se habent. l. 3. aph. 2.

Morborum alii ad alia bene vel malè se habent; & ætates quædam ad tempora, loca, diætas. l. 3. aph. 3.

In temporibus cùm eodem die fit modò calor, modò frigus, Autumnales morbos expectare oportet. l. 3. aph. 4.

Austri auditum hebetantes, caliginosi caput gravantes, pigri dissolventes, cùm isti prævaluerint, patiuntur in morbis talia: sin Aquilonia tempestas fuerit, tusses, faucium asperitates, alvi duritia, urinæ difficultas, horrores, laterum & pectoris dolores. Cùm igitur hæc constitutio prævaluerit, talia infirmos expectare oportet. l. 3. aphor. 5.

Cùm Æstas similis Veri fuerit, in febribus sudores copiosos expectare oportet. l. 3. aph. 6.

Siccitatibus æstuosis febres acutæ fiunt; quòd si magnâ ex parte talis annus extiterit, qualem constitutionem effecerit, tales ferè morbos quoq; expectare oportet. l. 3. aph. 7.

Temporibus rectè constitutis, & suam tempestatem servantibus, morbi bonæ constitutionis, & boni judicii fiunt: incertis & alienis, incerti quoq; morbi fiunt, & judicatu difficiles. lib. 3 aph. 8.

In Autumno acutissimi morbi, & perniciosissimi in universum. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale. l. 3. aph 9.

Autumnus tabidis malus. l. 3. aph. 10.

Inter anni tempora, si Hyems sicca & Aquilonia fuerit, Ver autem pluvium & Austrinum; Æstate febres acutas fieri necesse est, & ophthalmias, & dysenterias; præsertim mulieribus, & viris naturâ humidis. l. 3. aph. 11.

Si verò Hyems Austrina, & pluviosa, & serena fuerit, Ver autem siccum & Aquilonium; mulieres, quibus partus in Ver incidit, quavis occasione abortiunt; quæ verò pepererint, tam infirmos & morbosos infantes edunt, ut vel ipsi statim intereant, vel tenues & valetudinarii fiant. Cæteris autem mortalibus dysenteria, & ophthalmia sicca fiunt; senioribus autem catarrhi celeriter interimentes. l. 3. aph. 12.

Si verò Æstas sicca & Aquilonia fuerit, Autumnus verò pluvius & Austrinus; dolores capitis Hyeme fiunt, & tusses, raucitates & gravedines; nonnullis etiam tabes. l. 3. aph. 13.

Si verò Autumnus Aquilonius & siccus fuerit, naturis humidis, & mulieribus, erit commodus; reliquis erunt ophthalmiæ siccæ, & febres acutæ, nonnullis etiam melancholiæ. l. 3. aph. 14.

Ex Anni constitutionibus in universum quidem siccitates imbribus sunt salubriores, & minùs lethiferæ. l. 3. aph. 15.

Assiduis imbribus morbi ferè fiunt; febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ. Siccitatibus autem morbi tabifici, ophthalmiæ, arthritides, stranguriæ, & dysenteriæ. l. 3. aph. 16.

Qua-

Quotidianæ conſtitutiones : Aquiloniæ quidem denſant , & firmant corpora , mobiliora item , coloratiora , & auditu valentiora reddunt , alvos ſiccant , oculos mordent , ſiq; dolor thoracem priùs obſederit , eum augent. Contrà Auſtrinæ corpora diſſolvunt , & humectant , auditum hebetant , caput gravant , oculis vertiginem afferunt , corporibus difficilem motum præſtant , & alvos humectant. l. 3. aph. 17.

Quod ad anni tempora attinet : Vere & Æſtate prima pueri , & his ætate proximi , optimè degunt , maximeq; valent : Æſtate verò & quadantenus Autumno , ſenes , reliquo Autumno & Hyeme , qui mediam ætatem agunt. l. 3. aph. 18.

Morbi quilibet in quibusvis temporibus fiunt ; nonnulli tamen in quibusdam magis tum fiunt , tum irritantur. l. 3. aph. 19.

Vere enim inſania , melancholia , epilepſia , fluxiones ſanguinis , angina , gravedines , raucedines , tuſſes , lepra , impetigines , vitiligines , puſtulæ ulceroſæ plurimæ , tubercula , articulorum dolores. l. 3. aph. 20.

Æſtate verò nonnulli horum , & febres continuæ , & ardentes , & tertianæ plurimæ , quartanæ item & vomitus , alvi profluvia , ophthalmiæ , aurium dolores , oris exulcerationes , pudendorum putredines , & ſudamina. l. 3. aph. 21.

Autumno verò etiam Æſtivi multi , & febres quartanæ atq; erraticæ , lienes , hydropes , tabes , ſtranguria , lienteriæ , dyſenteriæ , coxendicum dolores , anginæ , aſthmata , ilei , epilepſiæ , furores , melancholiæ. l. 3. aph. 22.

Hyeme pleuritides , peripneumoniæ , lethargi , gravedines , raucedines , tuſſes , pectoris , laterum , & lumborum , dolores , cephalalgiæ , vertigines , apoplexiæ. l. 3. aph. 23.

Utrum Cœna debeat eſſe largior Prandio , etiamnum litigatur. *Affirmativè* reſpondet , unâ mecum , Fuchſius , & Schola Salernitana , *fol 24.* & *ſeq.* certis tamen conditionibus. I. ut conſvetudo non contradicat. II. ut ſpacium aliquod à cœna ad ſomnú inter- Cœna an largior debeat eſſe prandio.

tercedat. III. ut prandium fit párcius. Non enim oportet bis in die faturum fieri. Addo ego pro IV. rationem hanc: quia majus fpatium concoctionis intercedit inter cœnam, per noctem, ad prandium, quàm inter prandium, per diem, ad cœnam. V. ipfa nox & quies, concoctionem plurimum adjuvant. Coquit quidem *Somnus*: digerunt autem *Vigiliæ*; ex Galeno dicit Rolfincc. *de febrib. fol. 302.* Hinc fequitur, fomnum debere effe moderatum, ut fuus etiam digeftioni, id eft, alimenti tranfitui, ad alendas partes, locus remaneat. Deniq; fi prandium largius inftituitur, ventriculus & caput gravatur, & propterea neque ftudiis, neq: fobriis confiliis, locus poft prandium relinquitur. Si verò in aliorum gratiam prandere quem oporteat liberaliùs, vel ipfe velit, & affuetus jam fit, usque in vefperum menfæ accumbere; cœnam omnino intermittere, aut feriùs inftituere, aut cum ptifana, vel unico ferculo, finire præftat: quod Magnates noftri Auftriaci plerunque obfervant.

Somnus & Vigiliæ.

Fuchfius cœnam prandio pleniorem effe debere, fanis quidem & juvenibus; ægrotis autem, iis præfertim, qui nocturnis morbis & deftillationibus laborant, ac fenibus, cænam prandio minorem convenire, ftatuit, *in Inftitut.* *An longiùs cænandum, an prandendum*, pulchrè, & ad mentem meam, difcernit R.P. Drexel. *in Rofarii part. 1. f. 226.* quem vid. Jonftonus putat, *fol. 58.* non omnino certè definiri poffe, *utrum cæna, vel prandium, debeat largius effe*: fiquidem de die melior ventriculi; de nocte verò in venis, fiat concoctio. Certum tamen effe, ait, quosdam cibos, ut cœpas, & alios vaporofos, commodiùs in prandio fumi. Hinc rectè concluditur, vaporofos cibos, & flatulentos, nocturnum fpafmum caufare poffe: quod ipfe ego experior: adeoque in cœna tantum vitandos, ut raphanum, acetaria, rapas &c. *Paulò pòft* ait, qui imbecillioris funt capitis, parciùs cænent.

Uti-

Utimur autem *condimentis*, aromatibus, ſale, allio, raphano ſylveſtri & domeſtico, agreſtâ, cepis, intinctibus ſive embammatis variis, ſinapi, braſſicâ crudâ, rapis acidis, acetariis, etiam ex tritico, gramine, naſturtio &c. non ut iis corpus perfectè nutriamus; ſiquidem inde nulla bona ſequeretur nutritio: ſed ut perſpirationem reliquorum ciborum talia juvent, & ſint loco fermenti, quod ingentem farinæ maſſam penetrat & attenuat; quo ſine panis vel omnino nullus, vel duriſſimæ concoctionis, efficeretur. Propterea farcimina apponuntur cum ſinapi, ut perſpirabiliora efficiantur. Caro enim ſuilla, ob certum quendam lentorem, quem in ſe habet, & ſi multi ſit nutrimenti, parum tamen perſpirat, & hinc corpus gravat: ut *infra, in Conſil. de tuendâ ſanitate*, docetur. Condimenta ciborum.

Horſt. *Oper. Tom. 3. pag. 20. & 190.* rectè improbat opinionem illam, quæ *Ebrietatem ſingulis menſibus ſemel* concedit, ut ſcil. ſpiritûs deperditi reparentur, ſomnus concilietur, & vomitus nonnunquam procuretur. Præterquam enim, quòd *Ebrietas* præceptis Divinis ſuo modo contrariatur; periculoſa quoque eſt, ideò, quia non ſemper noſtro ſubjecta arbitrio; & habemus alia tutiora remedia, ad effectûs prædictos magis idonea. Interim omnis *Ebrietas* interdicenda non eſt: aliqua enim à Seneca conceditur; non quæ vires dejicit, ſed quæ curas deprimit. Plato etiam *ebrietatem* talem admittit, quæ *Mores* hominum detegit. Hinc nupturæ virgines, ut in mores ſuorum procorum inquirant, eos ad bibendum largiùs callidè invitare conſueverunt. Ac plerunque Magnates hominem illum poculis urgent, è quo elicere cupiunt intima ſenſa animi: inquit Drexel. *in Phaëthont. fol. 49.* Hoc plerunque contingit Medicis, qui Principibus noti nondum ſunt, ut hi experiantur illorum indolem Idem, *ex Suidâ*, memorat: ſapienti tres meri caliculos permitti: primum eſſe valetudinis: alterum voluptatis: tertium ſomni. Ebrietas. Mores.

De

De Puerorum verò vini potatione iterum Plato. *l. 2. de legib.* principiò, inquit, lege sancimus, ut pueri, usque ad duodevigesimum annum, vini usum prorsus ignorent, exhortans, non oportere ignem igni in corpus atque animam suggerere, antequam, viri effecti, subire labores incipiant: apud Joann. Neandr. *in Tabacolog. f. 49.* *Precavet* aliàs Ebrietatem *pulmo ovillus*, ante, vel post, vini ingurgitationem comestus, vel *succus caulium*, vel *oleum olivarum*, *amygdala amara*, *brassica*: teste Guil. Gratarolo, *de Regimine iter agentium*, *l. 1. c. 15.* item pingvia comesta. Omnium maximè autem temperantia: Nam etsi supradicta impediant, quò minùs vini spiritûs ad caput rapiantur; malam tamen visceribus temperiem vini copia successivè, & inadverter imprimit.

Si quis autem ad ebrietatem, ex occasione involuntariâ, pervenerit, compenset illatam noxam subsequente *abstinentiâ.* In quem finem bene R. P. Drexelius, *in libr. de jejun. f. 52.* Nemo sit, inquit, qui non dies habeat intercalares, quibus emendet abstinentiâ, quod deliquit licentiosior gula.

Vinum dilutum. Artificiosè *diluitur Vinum*, si nimis generosum fuerit, hoc modo: Reple vitrum æqualiter amplum vino, cui impone vitrum inversum angusti orificii, aquâ plenum, ut amplioris vitri fundum non attingat. Sic aqua sensim destillabit in vas suppositum; vini verò spiritus, & melior substantia, per medium aquæ, in superpositum vitrum ascendet, & ipsius aquæ parti levissimæ, in superiori vitro relictæ, commiscebitur; crudior autem & terrestris vini pars in vase subjecto manebit: quod ascendit, bibitur pro *Diluto.* Quod ego primò vidi apud Illustrissimum D.D. Erenicum de Traun &c. in Arce ipsi propria, Meissau. Videtur mentionem facere hujus diluti Horst. *Oper. Tom. 2. p. 185.* ubi ait: *Interdum unâ cum cibis haustum vini, cum aqua extracti (nostri vocant, gezognen Wein) concessimus. &c.*

Hic

Hic multorum Auſtriacorum errorem præterire non poſſum, qui, neſcio quamobrem, à Vino diluto mirè abhorrentes, malunt, æſtate præſertim, ut ſitim meliùs, & quidem plenioribus poculis, extinguant, , vel *Vina horna, cruda*, vel *vetuſta*, talia tamen, quæ ſeri multum, ſpiritûs verò parum, in ſe habent, bibere. **Wann ſie nur Rörig ſeynd**; cùm tamen illa, ob tartari immaturam depoſitionem; hæc ob ſpirituum paucitatem, quibus deficientibus inanis vappa reſtat, plerunque ſint inſalubria, delicatioribus, & iis, quibus res eſt amplior domi, omnino disſvadenda. His ego conſultor eſſem, ut eligerent *Vina generoſiora*, qualia ſunt *Gumboldisfanenſia*, *Medlingenſia*, *Nußdorffiana*, *Clauſtro-Neoburgica*, & hiſce locis locis vicina, quæ omnia tertio demum anno maturitatis ſuæ terminum attingunt, &, à fecibus tandem abſtracta, vel in minori quantitate ſalubriter bibuntur, vel aquâ non ineptè diluuntur. Sic enim ſuis ſpiritibus, & hinc acquiſitâ præſtantiâ, minimè privantur. Vinum generoſum dilutum, melius tenui.

An *vinum aquâ ſit adulteratum*, dignoſcitur, ſi tale vinum infuderis poculo ex hederæ arboreæ ligno facto. Tunc enim aqua in poculo manebit, vinum verò per poros vaſis exſudabit. Camerar. *in hiſtor. heder. arbor.*

Fiunt vina, Auſtriaca imprimis, nonnunquam valde noxia, quando, ob impuri tartari ebullitionem, *Lentorem* quendam contrahunt. Hoc menſe Martio utplurimùm contingit, in locis præſertim ſubterraneis non ſatis profundis, nec ab externo aëre tepido liberis, etiam vinis generoſiſſimis. Sed *emendatur* vitium hoc multâ vini cum fecibus agitatione, vel à fecibus abſtractione, vel loci mutatione. Dicuntur talia vina *Pendula*, **zehe Wein**. De *Cereviſiâ*, potu minùs in Auſtriâ, magis in Saxoniâ & Bavariâ conſveto, vid. Horſt. *Op. Tom. 1. p. 367.* Vina pendula. Emendatio.

Primiroſius, *libell. de vulgi errorib. in Medicin. libr. 3. cap. 1.* inſinuat errorem Zytheþſatum, qui Cereviſiam nõ ſatis diu coquunt, præſertim ſi ex aqua aliàs impura conficiatur. Sic enim

dupliciter peccari. Præstat itaque, si, quod Kelhaimenses faciunt, ex impura & stagnante aqua velit coqui Cerevisia, ut ea quàm diutissimè, non sex, septem horis, sed 12. 24. 48. coquatur, ut sic feces per fermentationem ritè deponantur: & tales cerevisiæ non in hebdomadas, sed in annos durant: ut in Belgio, inferiorique Saxoniâ.

Potus interdiu. Sanctor. Sanctorius, *Aph. 97. sect. 3.* Potus, *ait*, inter prandium & cœnam nocet, sed si tantundem minùs in cœna potamus, tollitur nocumentum. Id quod mihi familiare est, qui tantum in cœna soleo abstinere, quantum interdiu potatum est. Idem, *Aph. 102. s. 3.* ait: Nihil magis impedire perspirationem, quàm potum, dum fit chylus: quod Ego experior, nullo potu magis offensus, quàm circa secundam, vel tertiam, horam à prandio: quia sic concoctio turbatur: secus se res habet, si circa quintam bibam: tunc enim concoctio jam ferè peracta est.

Aquæ potus. Etiam *Aqua simplex* subministrat potum salubrem; quod Abstemii norunt. De hac Monavius, apud Craton. *Epist. 196. pag. 315. 316.* postquam diu discurrit, quænam sit salubrior; tandem dicit, etiam flumina aquas habere ad potum salubres, præsertim si clarescant in fictili: quemadm. de *Danubii* aqua certum est: id quod ad ripam habitantes Ungari testantur. Idem affirmatur de *Tyberis* aqua, quæ in vase fictili, clarificata & conservata, intra centum annos non corrumpitur. *Nilus* etiam, fluvius turbidus, potum exhibet suavem, ita, ut quidam Imperator miratus fuerit, milites suos vinum expetere, cùm Nilum habeant. Confirmatur hoc ab Illustrissimo Joh. Christophoro Teuffel / Barone de Gundersdorff, in *Itinerario* propriis manibus descripto, annoq; 1591. feliciter peracto, *folio* circiter 15. his verbis: **das Wasser des Nili, ob wol es des meistentheils des Jahrs trüb ist; schadet doch solches / auch überflüssig zutrincken / im wenigsten nichts / und bekommet dem Menschen wol.** Aliàs *aqua, quæ citò calescit, & citò refrigescit, levissima* (id est optima) *Hipp. l. 5. aph. 26.*

Primi-

Primiroſius exiſtimat, *libell. de vulg. errorib. l. 3. c. 1.* omnes Aquas per ſe eſſe ſalubres; ex accidenti verò quasdam inſalubres: quia aliquæ inquinantur acceſſione rerum impurarum, quæ, niſi bene transcolentur, impuræ maneant. Hinc ciſternarum aquas, quia per arenam transcolantur, ſaluberrimas putari. Sed nihil obſtat, quò minùs aquæ in ſe ipſis permixtas partes heterogeneas habeant, quæ nec arte, nec naturâ ſatis transcolari poſſunt.

Utrum ſine diſpendio ſanitatis liceat bibere *Potum glacie refrigeratum*, ſæpius diſputatur ad Menſam. Equidem hujus ſum opinionis, in defectu aquæ, vel cellæ ſatis frigidæ, omnino licere; ſic tamen, ut gradus frigoris in refrigerato multò ſit remiſſior, quàm in refrigerante; aliâs ipſe potus, Vinum præſertim, ſaporem ſuum perdet, & ventriculum & pectus ſummoperè offendet; juxta *Hipp. aph. 24. l. 5. Frigida, velut nix & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, ſanguinis profluvia, & deſtillationes excitant.* Quod plurimi experiuntur, appetitui nimium indulgentes; qui non ſolùm *glaciem* in copia extra admovent, ſed & potui magnam aliquando quantitatem commiſcent, & ſic dupliciter peccant: primò, quòd frigidiſſima admittant; ſecundò, quòd *glaciem*, quam ſtagna & paludes non rarò ſubminiſtrant, unâ cum potu hauriant. Rationem, *cur aqua calefacta citiùs in glaciem congelaſcat, quàm frigida*, innuit Rolfincc. *de febrib. f. 325.* ubi ait: Nero, ſciens, aquam calore attenuatam potentiùs à frigore penetrari, & fæces deponere, eam priùs decoqui, & vitro immiſſam, in nive ſubmergi jubebat. Potus glacie refrigeratus.

Conſervatur autem *glacies* per æſtatem in locis ſubterraneis, ita, ut ſubtus relinquatur ſpatium liberum, pro deſtillandâ aquâ; ne, mixta cum glacie, ipſam paulatim in liquorem vertat, & inutilem faciat: ſupra tegitur ſtramine glacies, & locus ab aëre munitur. Quemadm. obſervavimus, vinum, pelliceis veſtibus implicatum, iter facientibus diutiſſimè conſervari frigi- Eisgrub. Glacies ut conſervanda.

 dum;

dum; non, quòd vestibus per se insit frigus, sicût nec stramini; sed quòd hac ratione aër calidus removeatur. Propter eandem causam videmus, Ungaros, & Croatas, æstate & hyeme pellibus vestitos. Hinc Germanorum illud: **Was gut ist für die Kälte / ist auch gut für die Hitz:** quod nec Philosophi negant; ex eadem scil. causa oriri posse diversos effectûs, sed non eodem modo. Quantumvis autem diligenter custodiatur sic, ut dictum, glacies; nihilominus ingentem ejus massam, asperso salis manipulo, per nequitiam liquari posse, ajunt. Sicut Agricolæ quoque agros suos terrâ argillaceâ, utique multo sale nitri prægnatâ, primò vere, conspergunt, ut segetes

Nix. à nive nimis profunda, in umbrosis locis, ubi Solares radii à propinquis silvis, ædibus, sepibus arceantur, liberent. Effectum

Salis effectus. hunc Chymici ascribent virtuti *Salis* resolubili, respectu imprimis illius materiæ, quæ frigore concreta est. Sic, ajunt, per sales plantarum pituitam in homine quasi congelatam dissolvi, & ad eductionem præparari. At verò non solùm pituitam, sed & salsos humores, *Sales* emendant; ut notat Sennert. *de Cons. & Dissens. Chymicor. cum Galenic. & Aristotelic. fol. 467.* (Verum est etiam, sales medicatos in febribus, & multis quoque chronicis morbis feliciter adhiberi, ad præcavendam sc. ulteriorem putredinem, & tartarum melancholicum incidendum)

Tartarus vitriol. Quod experientiâ probat per *Tartarum Vitriolatum:* ubi ambæ res corrosivæ & salsæ si conjungantur, si scilicet facto optimeq; purificato oleo Tartari guttatim affundatur oleum Vitrioli, non sine excandescentia (sed cave, ne nimis magna sumatur ol. Tartari quantitas, respectu olei Vitrioli; aliàs nauseam concitabit: sed partes debent esse fere æquales) fit compositum sine omni ferè acrimonia: sic *Oleo Tartari*, cum *sale absinthii* mixto, fit antidotus tertii corrodentis, *Mercurii sublimati. Chalybis* etiam *limatura* si affuderis *spir. Vitrioli*, vel *succum limonum acidissimum*, prodibit *Tinctura* subdulcis: quod supra etiam scriptum.

De

De *Cryſtallis Tartari* rectè monet Riverius, *Prax. Tom. poſt. fol. 30.* eos ab Impoſtoribus alterari additione *aluminis*. Etſi enim Tartarus crudus leviori fere pretio ematur: alumen tamen totum fere in cryſtallos abit. Effectum autem habebit medicamentum tartaro contrarium, adſtringentem ſcil. non deobſtruentem. Dein Pharmacopœos arguit, quod tartarum coquunt in vaſe æneo, vel cupreo: inde enim corrumpi medicamentum: hinc fieri, ut cæruleum nonnunquam, vel viride evadat. Atque hunc errorem noſtri ferè omnes errant. Cryſtalli tartari.

De *Salibus medicatis* porrò notandum, quòd eorum uſus ſit loco *Decoctorum longorum*; quibus Itali, & Antiquiores etiam Medici, antequam compendioſior conficiendorum medicamendorum modus per Chymiam innotuit, in hydrope, viſcerum obſtructionibus, & morbis inde natis chronicis utebantur, & quæ Guiliel. Fabric. *fol. 550.* illepida vocat; quaſi hauriantur ſine lepore, id eſt, non ſine corrugatâ fronte. Unde cordatiores Medici familiarisſimè ſalibus medicatis utuntur, & eos ferè omnibus, purgantibus præſertim, medicamentis admiſcent; plerunque verò præmittunt, digeſtivi loco, cum *fæculis bryon. ari, tartaro*, &c. Rectè tamen de *Tartari criſtallo, magiſterio, Tartaro Vitriolato*, advertit Rolfincc. *de febr. f. 308.* dum, quantum, *ait*, proficiunt, ad craſſitiem incidendam, tantum fervidos & aduſtos ſuccos irritant, & incendendo nocent. Propterea ſimilibus digeſtivis indifferenter in febrib. non eſt utendum. Par eſt ratio de ſalibus quibuscunque. Aliàs videntur tales *medicati Sales* quibusdam unius ejusdemq; eſſe valoris, & efficaciæ, quia virtutes adhuc virentium herbarum inter calcinandum omnino deſtruuntur. Sed aliter, & quidem rectè, docet Quercetan. Rediv. *in Pharmac. fol. 543.* & ablegat dubitantem ad experientiam, quæ habetur in diverſitate Salium; item ad ſenſus externos, ſaporem, odorem, colorem &c. quibus conſtiturum ſit, Sales plurimos plerumque conſervare virtutem ſuorum Sales medicati. Decoctum longum.

simplicium. Hinc dantur Sales sudoriferi, anodini, diuretici, deobstruentes, mensescientes, cephalici, stomachici, purgantes &c. Neque ii rectè sentiunt, qui putant, vim ignis demum per combustionem plantis salsedinem conciliare; cùm & plantis, & ossibus, & cornubus &c. salis natura congenita sit, & vi ignis separetur saltem, & in apertum prodeat: ut demonstrat Horst. *in Probl. Tom. 3. pag. 6.* De *Sa'e alcali*, & *cinere clavellato*, vid. Schröder. *Pharmacop. Med. Chym. libr. 2. pag. 279. c. a. libr. 3. p. 478. c. a.* & *lib. 4. p. 230. c. b.*

Potus calidus. Chinenses omnes *calidè bibunt*. Adhibent etiam decoctum herbæ *Thea* in aqua, quæ Japonensibus *Chia* dicitur. Fortè illa est herba, quæ allata est per Jesuitas nostro Archi-Episcopo Ungaro, tam, ni fallor, dolosè decantata. De hac verba tamen vid. Tulpius, *lib. 4. Obs. 59.* ubi habetur, Thee herbam Japonensiú, Germ. Theekraut/ folia habere oblonga, acuminata, & in ambitu crenata: radicem esse fibrosam, ac in minimas particulas dispersam: Chinensis verò folia esse ex nigro viridia: ac longè pluris æstimari horum Thiam, quàm illorum Tchee: &c.

Decoctum herb. Theæ.

Somnus & Vigiliæ. Horstius, *Oper. Tom 3. p. 158. Somni* inquit, *defectus provenit ob denegatam, cruditatis ratione, convenientem materiam, quam aliàs amica concoctionis exhalatio constituit: quod in febribus, aliisq; morbis non rarò contingit*: & quia in affectibus animi quoque vitiantur concoctiones, inde etiam *Vigiliæ* proveniunt; prætorquam, quòd vapores, *somnum* aliàs causantes, per varias & molestas cogitationes perturbato cerebro, præter voluntatem discutiantur, &, per consequens, etiam *somnus*.

Biliosi. Biliosis, ut putasses, longior somnus non competit, quamvis humectare videatur; quia perspirabilis materia per somnum longiorem fit mordacissima, & sic caput ferit, & alia viscera: Sanctor. *aph. 51. fol. 93.*

Ligationes cavendæ in somno, & nuditas. Somnus *nocturnus* non instituatur *Calceatis pedibus*: idem de *Tibialibus* intellige: nam corpus nimiùm calefaciunt, ob vaporum refluxum. Schol. Salernitan. *fol. 19.* Neque instituatur *corpo-*

corporis parte aliquâ nudâ; ut vult Barth. Montagnana, *Conf. 1.* fortè ne externum frigus membrum exertum lædat.

Quod ipsum, sc. detecto aliquo membro dormiendum non esse, confirmatur etiam passim à Sanctorio, imprimis *sect. 4. aph. 14.* Magis prohibetur perspiratio in dormientibus, ab austrina aurâ frigidiusculâ, quàm in vigilantibus, ab ingenti frigore: & plus nocet nocturnum frigus, quàm diurnum. Rationem innuit *aph. seq. 52.* quia ob quietem nocturnam, & defectum exercitii, quo vigilantes, etiamsi in frigore constituti, gaudent, perspiratio adhuc magis impeditur; tum quia calor externarum partium refugit ad intra, & sic externæ condensantur. Sicut memini, me legisse de quodam, qui, inter dormiendum, *pede nudo* supra lecti cubicularis marginem extenso, in *Gangrænam* incidit; calore nativo non tam per externum frigus, quàm ex compressione vasorum, recedente. Gangræna.

An salubrius sit, dormire in *loco calfacto* hyeme, quàm *frigido*, quæritur? Ad quod, habito respectu consvetudinis, primæ & ultimæ ætatis, quæ tenella, vel morbosa est, respondeo: salubrius esse posterius: quia pori, post exercitium diurnum, vel moram in hypocausto calido, utcunque aperti, modestè per stragula frigida clauduntur, & sic corpus non solùm firmatur, sed & cibus, non ita pridem ingestus, recurrente calore nativo ad ventriculum, meliùs concoquitur; sequiturque *suavior somnus*: nihil obstante nimio frigore, quod lectum ingredientes, aliquando etiam cum stridore dentium, molestat. Illud enim breve est, & habet succedentem suavem caloris, per totum corpus, dispensationem, atque, dum hoc fit, *quietiorem somnum*: quod erat demonstrandum. Somni locus.

Hippocr. *in Prognosticis*, *interdiu*, ait, *vigilare oportet*, *noctu dormire*: si verò hoc fuerit transmutatum, pejus est. Sic non oportet noctem in diem vertere; & contra. Cardanus, *in Prognosticis*, *fol. 159.* Somnum solam privationem esse, secundum quorun- Tempus.

dam opinionem, prudenter negat: sic enim à morte, & syncope, & catalepsi, non distingveretur; quæ privationes, & rerum quidem earundem sunt, motûs sc. sensus, & cæterarum actionum. Præterea somnus est utilis, reparando vires, creando insomnia &c. privatio verò nulla utilis est. Somnus itaque res est vera, & actio animalis principalis, ut sentire, & intelligere, &c. Hactenus Cardanus. De somno diurno hoc notandum, quod Valeriola, *l. 2. loc. comm. c. 8. ap. Moll. f. 216.* scribit: Si defatigationis, ac lassitudinis, à labore contractæ, sensus aliquis adsit, aut inquieta & insomnis nox præcesserit, aut æstus immodicus vires debilitarit; tum somno etiam diurno tantisper indulgendum erit. Sit autem ille brevissimus, qui calorem solùm colligit ab externis partibus, revocatque ad concoctionem alimenti obeundam, ex Fuchsii sententia, *Libr. 2. Instit. f. 4. c. 3.*

In *Vigiliis*, ubi placet *somnum* conciliare, *Acetum* medicamentis non esse permiscendum, ait Riverius, *Pract. Med. c. 11. pag. 51.* nisi in minima quantitate; quia vigilias augeat.

Decubitus supinus. *Supini decubitûs* incommoda recensentur à Cardan. *Progn. pag. 16.* incalescunt nim. renes, inflammatur sub spinali medulla strata vena & arteria, incalescit etiam spina, pulmo comprimitur, pituita à naribus derivatur ad gulam. Ita Princeps (puta Arabem aliquem Medicum) *tertia primi:* decubitus, ait, supinus præparat ad apoplexiam, paralysin, & incubum: quia omnia excrementa retinet, & ad partem posteriorem præcipitat; ubi nullus patet exitus. Prodest tamen oculis, & iis, qui valde sunt imbecilles, ut in Syncope: de qua supra, *lib. 2.*

Motus & quies. *Motus corporis in lecto* malus est & ut *signum*, & ut *causa*. Ut *signum*, quia corporis jactatio, & inquietudo, etiam sine allegatione causæ, vel latitantem significat malignitatem; vel malum aliquod incognitum. Cùm verò talis in lecto circumvolutio cum omnium musculorum motu fiat; enervat, & coctionem,

nem,

nem, & perspirationem utilem diminuit. Remedio est, in eodem situ obstinatè quiescere, juxta Sanctor. *Med. Stat. Sect. 1. aphor. 90.*

Ad motum pertinet *Vectio*, quæ si retroversâ fiat facie, visui debili, ejusque obfuscationi magnum juvamentum affert, & vomitum ap. nonnullos causat, & vertiginem. Nota tamen, Vectionem non esse absolutè in causa, sed omnem inconsvetum motum, ubi præsertim ventriculus humoribus, & caput vaporibus plenum est. Vectio.

De *animi affectibus* hoc solum addo: malè sibi consulere eos, qui, ut curis & adversitatibus quibuslibet remedium inveniant, *Vino* se totos quantos consecrant, & rem eô deducunt, ut non, nisi *bene poti*, noctu quiescere possint. Novi ego complures huic errori deditos, qui omnes, hoc ærumnarum remedio valetudinarii facti, præmaturâ morte secesserunt. *Animus* itaque sinistræ fortunæ fluctibus quando exagitatur, non pervenit securiùs ad tranquillitatis portum, quàm si ratione bonâ utatur, & firmâ patientia: illa eluctandi viam ostendit; hæc omnem laborem facilem reddit, & perdurationis anchoram subministrat.

Senectutis causam Sanctorius Sanctor. ponit, *l. 5. aph. 35.* in fibrarum duritiem, quæ, condensando meatûs, calorem suffocat: mollities contrà, aperiendo, longævitatem facit. Hinc sequitur, exercitium violentum senibus non conducere. Agricolæ quidem etsi continuo & violento exercitio exiccantur, fibrarumque duritiem contrahunt: nihilominus senescunt plurimi, quia assveti laboribus ab ineunte ætate. Plura de rebus non naturalibus docebit subsequens Consilium. Senum exercitium.

Corpora impura quò plus nutrieris, eò plus lædes. Hippocr. l. 2. aphor. 10.

Cibus ac potus paulò deterior, svavior tamen, melioribus quidem, sed insvavioribus, est præferendus. l. 2. aph. 38.

 Facilius

Facilius est, potu refici, quàm cibo. l. 2. aph. 11.

Ubi fames, laborandum non est. l. 2. aph. 16.

Ubi præter naturam copiosius alimentum ingestum est, morbum facit: indicat autem & sanatio. l. 2. aph. 17.

Eorum, quæ confertim & celeriter nutriunt, celeres quoq; excretiones fiunt. l. 2. aph. 18.

Famem meri potio solvit. l. 2. aph. 21.

Animadvertendum etiam, quibus semel, aut bis, & quibus plura, & pauciora, & particulatim, alimenta sint exhibenda. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati, & consvetudini. l. 1. aph. 17.

Æstate & Autumno cibos difficillimè ferunt; Hyeme facillimè; Vere minùs. l. 1. aph. 18.

Victus tenuis atq; exquisitus, tum in morbis longis semper, tum in acutis, ubi non admittitur, periculosus; ac rursum victus, qui ad extremam tenuitatem pervenerit, gravis. Siquidem & ad extremum deductæ refectiones, graves. l. 1. aph. 4.

In tenui victûs ratione delinquunt ægrotantes; ob id magis læduntur: siquidem quodvis peccatum gravius hîc, quàm in paulò pleniore, esse solet. Idcirco sanis etiam valde tenuis atq; exquisita victûs ratio periculosa: quoniam errata graviùs ferunt. Quare tenuis exactusq; victus paulò pleniore existit ut plurimum periculosior. l. 1. aph. 5.

Ventres Hyeme & Vere naturâ calidissimi, somniq; longissimi: proinde temporibus iis alimenta copiosiora sunt exhibenda: siquidem plus nativi caloris habent: igitur alimento copiosiore egent. Argumento sunt Ætates, & Athletæ. l. 1. aph. 15.

Refectiones ad extremum perductæ, periculosæ. &c. l. 1. aph. 3.

Ad extremum deductæ repletiones, graves. &c. l. 1. aph. 4.

Non satietas, non fames, neq; aliud quidquam, quod naturæ modum excesserit, salutare. l. 2. aph. 4.

Corporibus, humidâ carne præditis, famem inducere convenit. Fames enim siccat corpora. l. 7. aph. 59.

Somnus,

Somnus, vigilia, utraque, ſi modum exceſſerint, malum. l. 2. aph. 3.

A vigilia convulſio, aut delirium, malum. l. 7. aph. 18.

In omni corporis motu, ſimul ac quis laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem ſolvit. l. 2. aph. 48.

Solitis laboribus aſſveti, licet invalidi ſint, aut ſenes, faciliùs eos ferunt, quàm inſveti, licet fortiores, ac juvenes. l. 2. aph. 49.

Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint inſvetis, minùs moleſta eſſe ſolent. Quare ad inſolita quoque facienda eſt mutatio. l. 2. aph. 50.

Quibus eſt aviditas bibendi noctu, iis adm. ſitientibus obdormiſcere, bonum. l. 5. aph. 27.

CONSILIUM.

De Tuenda Sanitate, pro aliquo Juriſperito.

METhodus conſervandæ ſanitatis, quæ pro quarta Medicinæ parte à Theoricis tractatur, etſi per ſe Sano inutilis, & ſupervacanea videatur, ut quæ, juxta Celſum, *l. 1. cap. 1.* nullis ſe legibus obligare, ſed liberum & varium vitæ genus habere debet: videmus tamen, in Politicis, etiam Juſto vivendi leges præſcribi, Juſtitiæ ſanctiùs colendæ gratiâ, ne fortè exorbitet. Ita Sano quoque certa vivendi norma ac regula ſalubrior eſt, quàm ſi naturæ vel aberranti, vel non attendenti, vel ad mala proclivi, curſus relinquatur. Certior ſanè dux eſt Ars vitæ regendæ, ad ſanitatem obtinendam, quàm appetitus fallax, præſertim ubi quis ad aliorum potiùs, quàm ſuum, arbitrium vivit. Quo fit, ut priùs, teſte Dan. Sennert. *L. 4. Inſtit. part. 1. cap. 1.* in hac morum corruptione *Sanitatis dignitatem* non ſentiamus, quàm in morbos incidamus: tunc ſcil. prudentiores facti, bona noſtra intelligimus, cùm, quæ in poteſtate habuimus, ſunt à nobis negligenter perdita: quemadm.

voluptates pacis Germania pacata non æstimavit, antequam belli incommoda, magno suo dolore, persentisceret.

Hæc animo volvens Nobilis, Consultiss. & Prudentissimus Vir, N.N. ne revocaretur in dimidio dierum suorum, utque sibi, conjugi, liberis, annos, per Dei gratiam, ad justum usque terminum prorogaret, vitæ instituendæ regimen Medicum exoptavit; quod singulari quadam confidentia à me, sibi antiquitus noto, petiit, & eô promptiùs impetravit, quô minùs partibus meis deesse, & sanissimæ cupiditati neutiquam resistere volui. Ordinariam itaque amplectar Methodum, *Rerum non naturalium*, quia naturam corporis nostri non constituunt, sic dictarum, enumeratione, & ordinatione justa, totum quantum absolvens. Sunt autem numero sex. I. *Aër*. II. *Cibus* & *Potus*. III. *Motus* & *Quies*. IV. *Somnus* & *Vigiliæ*. V. *Repletio* & *Vacuatio*. VI. *Animi Motus* & *Tranquillitas*.

Aër. *Aërem*, primò, quod attinet, spectat is ad custodiendam facultatem vitalem potissimùm. Cùm autem illa omnium sit nobilissima, post rationalem, meritò, pro conservandâ sanitate, eligendus is erit temperatus, non frigidus, ne impediatur transpiratio; non calidus, ne spiritûs cum calore nativo dispareant: sit ab omni fœtore & putredine liber. Si talis necessariò subeundus, nares comprimendæ, facies avertenda, vel odoramenta suavia naribus objicienda. In hunc finem laudantur, Hyeme, suffitus bene olentium; Æstate, flores & arborum folia, fenestrarum versus Orientem apertio, frigidæ super pavimentum aspersio. Quantæ efficaciæ sit *aër* integer, ad penitissima viscera, & ad cor ipsum, penetrans, & vix parum à pulmonibus alteratus, innuit Hipp. *6. Epid. In morbis longis*, inquiens, *conducit, solum vertere*: quasi sola loci mutatio, & unâ etiam aëris, superaret, quodcunque malum non valent medicamenta vincere. Certum est denique, Galeno teste, *in*

Comment.

Comment.1. Epist.1. ex aëre talem generari spiritum, qualis est *aër* ipse; sicut è cibo sanguinem, qualis est ipse cibus.

Inter res non naturales secundum sibi locum vendicant *Esculenta*, & *Potulenta*: quorum tanta est varietas, ut compendii ratio non admittat singulorum enumerationem. Hæc varietas pro maxima causa, ab Anton. de Guevara, **in den Guldinen Sendschreiben** / *fol.33.* allegatur vitæ nostræ jam magis decurtatæ, quàm olim: quamvis Macrobio, *l. de Cibor. variet.* tunc cibi varietas non omnino improbetur, ubi cibi varii non adeò multum inter se dissident. Etenim natura vicissitudine gaudet, & variorum est appetens; siquidem & nutriendæ partes variæ. Hinc statim prodit *victûs* Regula: Esculenta & Potulenta.

I. Ut is sit simplicior, non varius, & valde heterogeneus.

II. Cœna levior sit prandio. Hæc autem Regula quadrat potissimùm, ubi mos est, seriùs & largiùs prandendi. Propterea bis in die saturum fieri non oportet. Aliâs, litteratis præsertim, largior debetur cœna. I. quia studia & negotia ardua post prandium moderatum fluunt & procedunt liberaliùs. II. quia majus est tempus, quod inter cœnam & prandium, per noctem integram, intercedit, quàm â prandio ad cœnam. III. quia concoctio nocturnâ quiete singulariter promovetur, &c. Cœna & Prandium.

III. In hebdomade ad minimum semel cœna omninò exulet.

IV. Inter unam & alteram mensam nullus ingeratur cibus, aut potus. Ubi tamen limitationem ponit Crato, *lib. 1. Consil.1.* & iis, qui calidioris sunt hepatis, cùm plerunq; vesperi sitiant, potum cerevisiæ, aut vini dilutioris, concedit.

V. Potus quantitas non superet alimenta sicca; ne cibus in ventriculo fluctuet, & inde corrumpatur. Potus.

VI. Molles cibi, & liquidi, semper durioribus præmittendi.

VII. Si quid unâ die quantitate cibi, vel potus, peccatum est, abstinentiâ sequentis diei compensetur.

Cibus. VIII. Cibus non deglutiatur, nisi in ore bene masticatus.

IX. Ea sit cibi & potus mensura, quam usus docet, commodè, sine labore, sine compressione ventriculi, sine expressione sudoris, posse confici.

X. Sanitatis studium est, juxta Platonem, non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem.

Tempus cibandi. XI. Socrati ille cibus & potus est maximè noxius, qui non esurientes & sitientes allicit ad edendum & bibendum.

XII. Tempus prandii, sive cœnæ, non excedat horam unam.

XIII. Prandii hora sit undecima, cœnæ sexta, vel paulò pòst.

Consvetudo. XIV. Si in potu vini excessus præcessit, sequenti die, à somno statim jusculo, vel ovo sorbili, vescendum; omittendo potum, vel parcissimè bibendo.

Tempora anni. XV. De cibo & potu, ut & reliquis omnibus rebus non naturalibus, etiam hoc advertendum, quòd *consveta longo tempore, etiamsi deteriora sint insvetis, minùs tamen molesta esse soleant.* Hinc vulgatum illud: *consvetudo est altera natura*: sed prava consvetudo sensim corrigenda.

XVI. Præter consvetudinem in victûs ratione, aliquid etiám dandum *Tempori*: ita Hyeme, cùm ventres sunt calidissimi, & somni longissimi, plenior conducit cibus, quàm Æstate: Regioni: ita Populi Septentrionales voraciores sunt Meridionalibus; Ætati: ita juvenes minùs ferunt jejunium, quàm senes; illi enim plurimum calidi innati habent; plurimis igitur alimentis indigent. &c.

XVII. Dum vivendi methodum præscribimus, non ad strictissimè observanda omnia nostros prudenter adigimus. Nam ex Hipp. *l. 1. aph. 5. Sanis etiam valde tenuis & exquisita victûs ratio periculosa: quoniam errata graviùs ferunt.*

XVIII

XVIII. Præstat tardiùs bibere in mensa, ne famelicum hepar justo citius crudiorem potûs partem ad se trahat, & lieni, tanquam notho hepati, materiam concoctioni suæ familiarem præripiat. Tempus bibendi.

XIX. *In genere*, eligantur cibi facilioris concoctionis, boni succi, pauci excrementi, in quantitate parva multum nutrientes. Cibi quales esse debeant.

XX. Qui autem illi sint, *in specie*, etsi Lector ad alios Auctores, & imprimis ad Quercetani Diæteticon, & notum illum libellum, Scholam Salernitanam, remitti possit: ne tamen etiam hîc aliquid desideraretur, placuit quorundam meminisse.

Eligantur itaque, inter *Carnes*, bubula bene cocta, vitulina, agnina juvenis, castrata, hœdina, agnelli, gallinæ, caponis, avium minorum, & quæ in sylvis & montibus degunt, lepusculi juvenis, columbarum, pullorum gallinaceorum &c. Removeatur suilla, bubula durior, aprugna, animalium quadrupedum, anates, anseres &c. Inter *Pisces* funduli, trutæ, lucii minores, transeant; cæterorum usus parcus, aut nullus: cancrorum, limacum, testudinum usus sit mediocris, fungorum nullus, fructuum horariorum paucus, isque ante cibos reliquos. Amygdalæ, pistaciæ, nuces pineæ, passulæ, cibebæ, cappares, olivæ, limones, poma aurantia, pyra non nimium astringentia, mala cotonea, conceduntur. Lacticinia, & farinacea, ubi vinum bibitur, non quadrant. Inter *Hortensia* juvat spinachium, beta, raphanus juvenis, petroselinum, cichorium, endivia, salvia, ruta, pimpinella, borrago, melissa &c. quarum pars vina alterat, pars cum carnibus, aceto, oleo, butyro, sale, coquitur & conditur. *Acetaria* minùs nocent, si aceti parum, olei multum, sacchari aliquid, additur. Nocent, in metu imprimis Erysipelatis, ea, quæ sanguinem ebullire faciunt, ut allium, cœpe, porrum, raphanus sylvestris, sinapi, multa aromata, melones, cucumeres, valde pinguia & salsa, &c. &c.

Carnes: Pisces. Secundaria. Hortensia. Acetaria.

Potus qualis esse debeat. *Potus* ordinarius sit frigidus, non qualis est nix, & glacies, quia pectori singulariter inimicus; sed paulò remissior. Ubi tamen Æstas est fervida, locus conservationis tepidus, licet glacie potum ad justam frigiditatem reducere. Sit autem *Vinum* Austriacum, mediæ ætatis, defæcatum, cujus potentia infringi potest aquæ, sacchari, herbarum præscriptarum, admistione. Licet quandoque pro primo haustu *Cerevisiam* bonam bibere; tantundem autem vino detrahere.

Motus & Quies. Natura non tam est solicita de bono assumendo, & intra se retinendo, quàm de malo expellendo. Propterea non sufficit recta nutritionis administratio, ad sanitatem tuendam, quæ fit per Cibum & Potum; sed opus etiam est expulsione superflui, Exercitium. quam imprimis *Exercitium* promovet. Dicitur autem *Exercitatio*, à Cicerone, *2. Tuscul.* functio quædam animi & corporis, gravioris operis & muneris: à Galeno autem, *l. 2. de Tuend. san.* motus vehemens, anhelitum alterans. Hinc patet, levem aliquam deambulationem pro exercitio non sufficere, sed motum vehementiorem requiri: ubi *Consvetudo* consideranda. Consvetudo. Nam, juxta *l. 2. aph. 49. Assveti laboribus ferendis, licet imbecilles aut senes, faciliùs eos ferunt, quàm insveti, licet fortes & juvenes.* Deambulatio. *Literatis* verò sufficit moderata *deambulatio* ante pastum, eaque diuturnior: juxta Celsum, *l. 1. cap. 2.* Tale *Exercitium* præstat sanitatem corporis & mentis; alimenta scil. distribuendo, excrementa educendo, & sic sanguini bonitatem, & spiritibus nitorem, conciliando. Unde mirum ait Plinius, *l. 1. Epist. 6.* ut agitatione, motuq; corporis, etiam animus excitetur. Ignavia certè, Celso teste, corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem; hic longam adolescentiam reddit. *Cavendum* exercitium paulò post cibum. Nam tunc natura colligit nativum calorem ad ventriculum; labor autem eundem ad exteriora trahit; hinc irritatur naturæ cursus, & coctio vitiatur. *Quousq;* exercendum, patet ex prædictis; ad levem scil. pulsus alterationem,

nem, & ſudoris principium: ſi laborare deſinas, dum adhuc laborare queas. Iſocrates *ad Democritum*.

Videbor hic Æthiopem lavare, ſi *Somni* & *Vigiliarum* modum illi præſcripſero, cui prava *conſvetudo* jam in naturam ceſſit. Illa autem ipſa correctionem admittit, ſi ſenſim inſtituatur; qualis in qualibet immoderatione requiritur. Vellem proinde, Conſultiſſimum Virum *Somno* nocturno magis indulgere, quàm nocturnis lucubrationibus, ſive lectionibus & meditationibus. A cœna itaque finita ad Somnum intercedant horæ duæ, feneſtræ noctu clauſæ ſint, lumen & Lunæ ſplendor removeatur, ſilentium imperetur omnibus, quieſcat in lecto, etiamſi non dormiat, & pro lege habeat, primam ſomni partem deberi ventriculo, ſecundam hepati, tertiam cordi & cerebro. Jam ſi uni harum partium aliquid detrahitur, univerſo corpori injuriam fieri, certò ſibi perſuadeat. Primis horis duabus dextro, reliquis ſiniſtro, lateri incumbendum; ſupinus decubitus omnino malus; pronus nonnunquam iis conducit, qui ventriculo ſunt imbecilles. Non dormiendum *membro* aliquo *denudato*, ſvadet Barth. Montagnana, *Conſ. 1.* Somno indulgendum *nocturno* natura dictat, quia ſequitur *Vigilias* diurnas; & frigore noctis ſomnus adjuvatur; neque oportet noctem in diem vertere: niſi ſomnus nocturnus à cauſa aliqua externa impediatur, tunc *interdiu* domire, & compenſare id, quod noctu neglectum eſt, nihil vetat. Licet etiam, ſine magno ſanitatis diſpendio, aſſvetis præſertim, Vere & Aeſtate, *poſt ſumtum prandium* nonnunquam quieſcere, & ſomno indulgere, etiamſi noctu bene dormitum ſit; ſed non ultra horam, & ſedendo magis, quàm cubando. Præſtaret autem, huic ſomno *nunquam aſſveſieri*, &, ut faciliùs quis abſtinere poſſit, prandium parciùs inſtituere. Sic enim occaſio præcideretur catarrhis, arthritidi, apoplexiæ.

Somnus & Vigiliæ. Conſvetudo.

De *Repletione* dictum eſt ſub titulo Cibi & Potûs; quæ neceſſariò ſequitur quamlibet coctionem. Nullum enim alimen-

Repletio & Evacuatio.

Uuu tum

tum tam est purum & sincerum, quin partes suas superfluas, & excretione dignas, habeat. Propterea natura, de *evacuandis* maximè solicita, meatûs plurimos satis amplos, & occultos etiam, generavit, per quos transeat id, quod nutriendis partibus non debetur. Hoc demonstrat quotidiana alvi & urinæ excretio, perpetuæ transpirationis per poros necessitas, sudor, flatus, strigmenta cutis, oculorum, narium, palati, sordes; quæ omnia singulis diebus, ope facultatis expultricis potissimùm, ad destinata loca colliguntur, & excernuntur, vel certè excerni deberent, si sanitatem sartam tectam conservare velimus. Deponantur itaque feces alvi, & vesicæ, vel manè, post somnum, vel certè parum ante prandium; os, nares, oculi, manûs, mundentur statim à somno, caput pectinetur, corpus denique totum à frigore externo muniatur, ne pori occludantur, & *Transpiratio*, quæ fit per occulta cutis spiracula, impediatur. Natura enim, dum in perspirandi officio est impedita, incipit in multis deficere. Transpiratio autem *impeditur*, ut *supra* dictum, ob aërem externum, vel ob errata in victu. Propterea cibi, qui parum, vel nihil, transpirant, *supra* interdicti; quos inter præcipuus est *Caro suilla*, quæ licet aliâs copiosè nutriat, ideo tamen suspecta habetur, quia, ob lentorem quendam, vasa obstruentem, transpirationem impedit. De cæteris verò excrementis certum est, ea omnia quantitate non fore excrescentia, in homine sano, si in victu nullus committatur error. Hinc Ægyptii sputatores, oscitatores, pandiculatores, infames fere, & ludibrio habuerunt, quasi excrementis similibus abundarent, Cereri tantùm & Baccho, non Marti & Minervæ, litantes.

Transpiratio.

Suilla caro.

Venus.


Pertinet huc, inter retinenda & excernenda, *Venus;* quam inter animi affectûs recensuit quidem Galenus, *l. de Tuend. sanit.* Hæc, ut *moderata* totius corporis habitum floridum conservat; sic *excedens* tabem & cerebri affectûs plurimos inducit. *Nocet* potissimum à sumpto cibo pleniore, & ventriculo etiam famelico: ergo medium tempus eligendum.

Balnea


Balnea quoque huc ſpectant; quibus cùm Nob. Dominus non multum aſſueverit, præſtat, rariora eſſe, & Laconica potiùs, id eſt Sudatoria, quàm Inſeſſoria; de quibus Dan. Senn. *Inſtit. l. 4. part. 1. cap. 7.* illa non rarò, ait, atque imprimis inſuetos, ſæpe graviter lædere, & plethoricos, & qui crudis humoribus referti ſunt; ſicut & eos, qui catarrhis obnoxii ſunt, & inflammationibus, & eryſipelati. Addo ego, Balnea *humida* calorem nativum hebetare, corpus nimium humectando, & homines effæminatos reddere. Interim *Lotionem capitis* ſingulis forſitan anni quadris non prohibemus, ſi ea fiat ante cœnam, capilli paulò pôſt exiccentur, nec caput eo die aëri exponatur; ſi lixivium fiat ex herbis cephalicis, majorana, roſis, chamæmelo, betonica &c. cum ſapone Veneto, moſcho, ambra, oleo lavendulæ, & roſarum, facto. Balneum. Lotio capitis.

Etſi *Affectuum animi* curatio imprimis à Philoſophia Morum, quam Ethicam dicimus, petenda videatur: nihilominùs tamen Medico etiam ij conſiderandi, tractandi, moderandiq; obveniunt. Quia, ſi immoderati ſunt, functiones corporis non parum labefactare, quin & ipſam mortem inferre poſſunt. *Ira* certè, affectuum omnium vehementiſſima & communiſſima, ſpiritûs concitat, ſanguinem inflammat, nervos debilitat, mentem perturbat, &, quia vehementer *iratus* rationem repugnantem non admittit, quis eum animal rationale definiet? Similes effectûs ſortitur etiam *Terror*: quia in terrore, ut Horſtius ait, *l. 4. prior. f. 193.* calor, ad principium ſuum confertim recurrens, anſam præbet humoribus præter naturam collectis, ut, regimine caloris nativi quaſi deſtituti, plurimum exorbitent, & partes nobiliores afficiant. Supponit autem ſubjectum cacochymicum, quod ſemper affectibus animi magis obnoxium, & ab iis faciliùs offenditur, quàm temperatum & ſanum. Hinc *Ægri* plerunque ſunt *moroſi*, impatientes, ad iram imprimis & terrorem facilè mobiles. *Metus* & *Triſti-* Animi Motus & Tranquillitas. Ira. Terror. Ægri moroſi. Metus.

Tristitia. *Tristitia*, ut est Hippocrati signum melancholiæ, ita eam auget, calorem nativum strangulat, corpus refrigerat atque siccat, & emaciat. Præstat itaque *Animi tranquillitas*, optima moderatrix affectuum; quæ hominem præmaturè senescere non sinit, neque admittit, ut rationi prædominetur quidquam; ipsa sibi lex est, sedulò observans illud, NE QUID NIMIS. *Compescuntur* autem vehementiores animi motûs à Viro Prudente per se, ut admonitione nulla indigeat. Melancholia. *Melancholia* profundiori, cui etiam Sapientissimi viri non imperant satis, medemur amænioribus literis, conversatione, curarum domesticarum ad tempus sepositione, vino, non quousque caput gravat, sed quousque curas deprimit. Et sic concludo, Nobilissimúmque Virum, si quid in mea Præscriptione, quæ ipsi Compendii tantùm loco esse debet, ampliùs desideraverit, ad varios, qui hanc rem tractarunt, à me citatos Auctores, & ad propriam suæ valetudinis experientiam, ac nocentium & juvantium cognitionem, remitto. Deum Opt. Max. autem precor, ut, si naturale & modernum temperamentum extremam senectutem fortè denegaret, Ipse, promissi sui memor, per absolutam gratiam Nob. Virum, cui hæc scripta sunt, longitudine dierum repleat, & tandem nobis omnibus salutare suum ostendat. Scriptum die 17. Maij, Anno &c.



APPEN-



APPENDIX
Consiliorum aliquot Medicorum, pro diversis Personis, ad petitum, consignatorum
ab
AUTORE.

I.
in Passione Hysterica.

anno 1636. 13. Mart.

Oemina aliqua honesta post purgationem menstruam corripitur doloribus capitis, coxendicum, pubis, & femorum: menses fluxerunt per quatriduum, sed coloris pravi, flavi nimirum, nec rubicundi. Per literas petit auxilium à Pharmacopœo Simone Höller / utp. bene noto. Ille, nuncium ad me remisit, suæ professionis non esse, dicens, medicamenta præscribere, sed præscripta componere: cui hoc scrisi Consilium:

Aus beygefügtem Schreiben nehme ich ab/ daß der Frauen Kranckheit allein herrühre von der Mutter/ als welche für sich selbsten zu schwach/ und nicht fehig/ die monatliche Purgation ohne

Ungelegenheit zu vollbringen. Dahero dann allerley schwere Zuständ: als Kopffwehe / Schmertzen im Leib / um das Kreutz / Rucken / und Hüfften verursachet werden. Wie auch der Magen per consensum uteri inficirt, und der Mutter Gebresten theilhafftig wird. Diesem allen zu remediren / habe ich / hierzu von dem Herrn erbetten / etliche Medicamenta fürgeschrieben / welche folgender massen zu gebrauchen:

1. Das Trüncklein mit lit. A. notirt solle in zwey gleiche Theil abgetheilt / und der eine Theil 3. Stund vor dem Mittag-Essen: der ander Theil aber folgenden Tags um benannte Stund genommen werden: darauf solle man nicht schwitzen / sondern wachen und nüchtern bleiben / 3. Stund lang. Es wird den Leib eröffnen / und gar wenig purgirn: hat nichts zu bedeuten / wann sich schon die monatliche Zeit wiederum anmeldet.

2. Zu dem Bündelein mit lit. B. gezeichnet / mag die Frau / sonderlich in grosser Schwachheit / wol riechen. Item man solle Rebhüner-Federn anzünden / und für die Nasen halten. Dann die Schwachheit und Abkrafft von nichts anders herkommt / als von der Mutter / wann dieselbe beunruhiget wird.

3. Das Säblein mit lit. C. solle man von stundan theils um die Reihen / theils um das Kreutz / wol warm hinein schmieren. Das wird die unruhige Mutter stillen / den Schmertzen lindern / und deroselben übrige und unreine Materi ausführen helffen.

4. Zu Stärckung des Magens / habe ich beyligende Confection mit lit. D. signirt / verordnet: davon zu Morgens / vor und nach dem Essen / 4. oder 5. Zeltlein zu nehmen.

5. Wann keine sondere Hitz gespüret wird / mag die Frau wol ein Necker- oder Oberländer-Wein trincken / doch allzeit mit Wasser vermischt: es seye dann grosse Schwachheit vorhanden / da darff sie gar wol den lautern / ungewässerten Wein / doch nicht zu viel / trincken. Wann aber ein extraordinari Hitz / und anzeigen eines Fiebers vorhanden / muß mans mit dem Wein bleiben

lassen/ und die Stuck mit lit. E. verzeichnet/ in 3. Seidle Wasser sieden/ biß schier ein Seidle eingesotten/ und an statt des Weins trincken.

6. Vor sauren/ gesaltzenen und vielgewürtzten Speisen solle sich die Frau auf das höchste hüten. Es wäre vonnöthen/ daß die Frau Fleisch ässe/ insonderheit Hennen-Brü/ Gestossens/ Gehäcklein und Knötlein davon/ Eyer/ und was davon zugerichtet/ ist nicht verbotten. Wann der Leib (salv. hon.) gar zu fast offen/ so trincke die Frau Mandel-Milch/ das Wasser darzu/ wanns vonnöthen/ solle man stählen.

Im übrigen muß man die Ordinari und gewöhnliche Purgation und Aderlaß/ auf beykommenden Früling/ nicht unterlassen.

Sequuntur præscripta medicamenta:

℞. *Syrup. de artemis.*
v. radicibus,
oxymel. helleborat. an. ℥v.
aq. artemis.
puleg.
calendul. ana ℥j.
Misc. ad fictil.
S. Träncklein: lit. A.

℞. *Castorei* ℈ij.
asæ fœtid ℈j.
M. & pulverisata includantur sindoni: Fiat Nodulus.
S. Bündelein: lit. B.

℞. *Spec. diacymin.* ʒiij.
castor pulverisat. ℈j.
sacchar. fin. cum *aq menth.* sol. q.s. F. s. a. Confectio in Rotulis, ad scatulā.
S. Confect. lit. D.

℞. *Ungvent. de Artanit.* ℥j.
ol. nardin.
lilior. alb.
cheirin. ana ℈iiij.
moschi,
croci,
myrrhæ, an. gr. iiij.
styrac pulveris. ℈j.
M. F. Linimentum.
S. Sälblein: lit. C.

℞. *Hord. mund.* Mj.
passular. min. Mß.
sem. anis.
coriandr. prap. an. ℥ß.
C. C. usti ʒij.
flor. cordial. ana p. ij.
cinamom. ac. ʒj.
M. incis. incid. cont. contund. ad chartam.
S. Stuck zum sieden. lit. E.

II. im

wann sie es schon gewohnt / allgemach davon entwehnen / oder / wann sie es nicht gewohnt / bey dem alten bleiben. Im übrigen ist zu mercken / was in dem ersten Puncten von dem Mondschein und Lufft gesagt worden. Bey schönem Wetter sollen die Fenster des Tags über alle offen stehen: es seye dann / wann der Lufft unrein ist von Thung ausführen / oder sonsten

Fünfftens: gleich nach dem essen muß man nicht arbeiten / lesen / schreiben / beten / schwermütige Gedancken haben / sondern in dem Haus oder Stuben aufs wenigst ein Stund lang langsam hin und wieder gehen. Sonsten ist das beste / daß man den gantzen Tag lustigen occupationibus, oder Geschäfften abwarte / damit die Speiß in dem Magen desto besser möge verdäuet / die übrige Feuchtigkeit aber durch stete Bewegung verzehret werden. Würde benebens der Langweil und Melancholi, durch dergleichen leichte Geschäfft vergessen / und nicht Ursach gegeben. V. Motus & Quies. Von der Bewegung und Ruhe.

Sechstens: die Erfüllung des abgehenden stehet meistens im ordenlichen Essen und Trincken: von welchem weitläufftig im andern und dritten Puncten gehandelt worden. Allein ist noch zu melden / daß man allezeit von dem Tisch oder Mahlzeit alsdann solle auffstehen / wann der Lust zum essen noch nicht gar vergangen. Von Entziehung des überflüssigen ist zu mercken / wie die fürsichtige Natur wol erkenne / daß in allen Speisen etwas gefunden werde / welches dem Menschen zur Nahrung untauglich. Hat also recht und wol einem jeden Uberfluß sein gebührendes Ort / und Weg / dardurch er kan und solle ausgetrieben werden / verordnet. Wann dann dergleichen Untauglichkeit sich / wider die Natur / in dem menschlichem Leib verhältet / wie kan es müglich seyn / daß solches ohne sondern Nachtheil / und mercklichen Schaden der Gesundheit könne abgehen? Ist demnach gar rathsam / daß der Leib niemahlen verstopfft seye; sondern alle Tag aufs wenigst einmal sich bediene seines beneficii, und / wann solches nicht geschehe / wäre vonnöthen / etwan ein Quintlein von der schwartzen Latwergen VI. Repletio & Vacuatio. Von Erfüllung des abgehenden / und Entziehung des überflüssigen.

Yyy lit.

lit. A. ein Stund vor dem Essen einzunehmen. Es ist auch zu mercken / daß der reverenter Unflat / welcher zu morgens sich aus dem Haubt / Magen / Lungen / durch das schneutzen / reispern / husten erreget / im wenigsten nicht zu verhalten ; sondern der Natur gemäß heraus gebracht werde. Item wann zu Tags über / oder zu Nachts / ein Schweiß herfür breche / muß man denselben mit Empfangung frisches Luffts nicht verhindern / sondern mit einem saubern Salvet / oder Haupttuch abtrücknen / und allgemach / nicht gehling / von dem Schweiß an den Lufft kommen : eben dieses ist in dem Bad zu mercken.

Sudor non est cohibendus. A sudore horror non bonus.

VII. Animi motus & tranquillitas. Von der Bewegung und Ruhe des Gemüts.

Zum siebenden : insonderheit unter wehrender Cur vermeide die Frau viel Sorg und Kümmernuß / Zorn / Traurigkeit / Unwillen / Melancholi / schwere Gedancken / emsige vielnachsinnige Geschäfft. Hergegen ist sehr nutz / nicht allein in dieser / sondern allen andern Kranckheiten / ein fröliches Gemüth / ehrliche Belustigung / mit Spaziren gehen / und gutem Gespräch : Item mit lustiger und angenehmer occupation im Hauswesen.

VIII. Usus Medicamentorũ. Vom rechten Gebrauch der Artzneyen und Cur.

Zum achten und letzten. Ehe und zuvor als der Stahel gebraucht wird / ist hoch vonnöthen / daß der Leib wol gereiniget / und purgiret werde / mit vorgeschriebener schwartzer Latwergen / davon 3. Tag nach einander 2. Quintl schwer solle 3. Stund vor dem Mittag-essen eingenommen werden. Dieselben Tage muß man sich zu Haus inn- und warm halten / nicht an den Lufft gehen / doch nicht im Bett ligen bleiben. Nach diesem kan man mit dem Stahel einen Anfang machen folgender massen : zu morgends um sieben Uhr / nach dem die Frau 6. oder 7. Löffel voll Hennen- Erbis- oder dergleichen Brüe hat ausgetruncken / so nehme sie gleich von Stund an das Pülverlein lit. B. mit eim Loth des Saffts lit. C. vermischt ein / und trincke darauf ein halbes oder ein gantzes Gläslein von dem sonderbar hierzu verordnetem Wermut-Wein lit. D. und gehe in einer halben Stund hernach spazieren in das Feld / wann schön / und warm Wetter (wo

nicht /

nicht/ doch in dem Haus) hin und her/ aufs wenigst ein Stund lang/ so starck daß ihr anfange warm zu werden: wann sie dann schier ein wenig Müdigkeit und anfangenden Schweiß empfindet/ so lege sie sich daheim zu Bett/ oder ruhe ein halbe Stund in einem Sessel/ lasse hernach den Schweiß abtrucknen/ und esse zu Mittag. Nach dem Essen mag sie ihren Hausgeschäfften gebürender massen abwarten. Und dieses solle 4. Tag nach einander geschehen. Den fünfften Tag muß die Frau mit dem Stahel aussetzen: an statt dessen die schwartze Latwergen/ wie vorgeschrieben/ lit. A. gebrauchen. Daß also mit dem Stahel und der Latwergen werde umgewechselt/ biß die Frau den Stahel aufs wenigst 12. mal/ die Latwergen aber 7. mal hat gebraucht. Nach vollendeter Cur/ wäre mein Rath/ daß die Frau den gantzen Herbst hindurch alle Wochen 2. oder 3. mal von den kleinen Pilulen lit. E. etwan 20. oder 15. 2. Stund vor dem Mittag Essen einnehme. Werden wenig purgiren/ die Frau aber von ihren Hausgeschäfften nichts verhindern. Sein allein dahin angesehen/ daß sie die verbliebene Ursach und Materi der Kranckheit lindlig und gemach vollend hinweg nehmen.

Der Allmächtige GOtt gebe seinen Segen auch darzu/ damit die Frau mit gutem Anfang voriger Gesundheit die gantze Cur vollenden möge.

Formulæ Medicamentorum:

℞. *Pulp. tamarind.*
saff. recens tract. a. ℥j.
rad. gialap. ʒiiß.
mechoac. ʒiß.
cinnam. acut. ʒß.
syr. aper. Mag. q. s.
M. F. Electuarium.
S. Schwartze Purgier-Latwergen/ dos. ʒij. lit. A.

℞. *Chalyb. præp.* ℈ij.
spec. diatr. sant. ℈ß.
M. F. Pulv. F. sex doses tales, ad chartas singulas.
S. Stahel-Pülverlein auf die ersten 6 mal. lit. B.

℞. *Syrup. aperit. Magistr.* ℥iij.
Ad fictile.
S. Safft zu den Stahl-pülverlein. lit. C.

℞. *Comar. absinth.* Miß,
centaur. min.
card ben. ana piij.
flor. rorismar. p. j.
cortic. citr.
rad. cichor. recent. an. ℥ij.
zz. calam. arom. an. ℥j.
M. incis. & contus. & F. Sacculus cum seric. alb.
S. Säcklein auf drey Seidle. h. e. ℔iij. Wein. lit. D.

℞. *Aloës rosf.*
spec. hier. simpl. an. ℥iß.
agaric. trochisc. ℈ij.
rhab. elect. ℈j.
M. cum *aq. cinnam.* formentur Pil. pond. gr. j. ad pyxidem vel scatulam.
S. Pilulen nach der Cur / in der Wochen 3 mal zugebrauchen. lit. E.

Electuarium præscriptum sumpsit primo die ℥ij. pondere, & hinc semel alvum copiosissimè deposuit, cum multa serositate: altero die drachmis duab. addidit ℥ß. at nihil omnino purgavit: tertio die sumpsit ℥ij (sumpsisset ℥ii jnisi ex insperato apparuissent menstrua) quæ itidem nihil purgarunt: quarto, quinto die meo jussu nihil sumet, ne fluxum mensium concitet: sexto die sumet de *Electuario* sic parato ℥ij. ℞. *Elect. præscripti* ℥ij. *gummigutt.* gr. XLV. *salis tart. vitriol.* ℈j. gr. v. *aq. cinnam.* ℥ß. *syrup. rosat. solut.* q. s. M. f. Elect. molle.

V.

in Tertiana duplici:

an 1636. 8. August.

Reverendus quidam Vir hîc Straubingæ petiit à me, ut morbi sui descriptionem, curandique modum conferrem cum Excellent. Viro, D. Ferdinando Schüzio, Serenis. Elect. Boiariæ Archiatro, qui una cum Serenissim. suo Electore Ratisponæ in Comitiis tunc degebat.

Vir robustus, biliosus & pituitosus, annorum 70. corripitur febre tertiana duplici. Circa noctē incipit paroxysmus, & durat

totam

totam noctem, usque ad quartam matutinam, cum siti & calore ingenti, appetitu dejecto, vomitu pituitæ, cum paucâ bile, ac vigiliis. Die intermissionis, antequam ibat cubitum, dedi Emulsionem semin. 4. frig. major. cum decocto hordei factam. Ad capitis dolorem ungventum de alabastro, populeon. cum ol. mandragoræ applicatum: pro siti Julapium rosatum, cum spir. vitrioli exhibitum: ad stomachi imbecillitatem præparatum *Emplastrum* ex

℞. Ceroti stomachal. Gal. ℥j.
ol. absinthii,
mastichis, ana ʒij.

mistis, & alutæ in forma Scuti inductis, prætenso serico rubro, ventriculi regioni impositum.

Pro Potu ordinario præscripsi has Species, quæ iteratâ vice fuerunt paratæ:

℞. C. C. usti ℥iß.	*sem. anis.*
passular. min. ℥j.	*fœnicul.* ana ʒij.
hord. mund. Mj.	*cinamom.* ʒvj.

Incis. & contusa Coq. in aq. fontan. ℔vij. ad consumption. tertiæ ferè partis.

Die minoris afflictionis bibit hanc Potionem:

℞. Elect. lenitiv. Florenz. ℥ß.
è succ. rosar. ʒiij.
syrup. rosat. laxativ. compos. ʒx.

Misc. cum decocto flor. & fruct. F. Potio.

Dimidium statim rejecit per vomitum: restans verò purgavit quinquies. D. 10. August. meo jussu sumpsit Mithridatii ℈iiß. & procurasset sudorem, si potuisset. Non potuit autem sudare, quia nimis serò sumpsit Mithridatium, circa illud nimirum tempus, ubi frigus paroxysmum antecedens appropinquavit. D. 12. ejusd. necdum cessavit febris. Præscripsi ergo tale Decoct. longum, singulis diebus bibendum:

℞. *Cortic. rad. cichor.* ℥vj.
cappar. ℥ß.
h. acetosa,
endiv.
hepatic.
cichor.
summitat. absinth.
fl. 4. cordial.
nenuphar. ana p. ij.
sem. fœnicul. ℥ij.
jujubar.
sebesten,
prunor. Damasc. ana n. v.

Incis. & contus. Coq. in s. q. aq. buglos. & endiv.

℞. *Colatur.* ℔j. adde
syrup. acetositat. citr.
de 2. radicib.
oxysacchar. simpl. an. ℥j.
aromatizetur cum
spec. diarrhod. abb.
diatrion santal.
diatragac. fr. ana ℈j.
M. ad formam Clareti.

D. 14. Aug. misimus sangvinis ℥iij. ex medianâ dextra: & bene tulit. Statim post venæsectionem ebibit de supra ordinato decocto ℥vj.

D. 15. vires fuerunt valde debiles, calore tamen multum remittente. Confortationis gratiâ præscripsi, quod

℞. *Confect. alkerm.* ℈iiij.
margaritar. prap. ʒß.
coralliorr. alb. ℈j.
aq. paon.
ceras. nigr. (ob metum convulsionis vel apoplexiæ)
aq. rosar.
borragin. an. ℥iß.
syr. de acid. citr. ʒx.
Misc. F. Julepus.
S. Krafft-Julep.
Sumat interdum cochlear 1.

D. 16. Aug. maximè de Siti conqueritur: adest verò summa virium debilitas, loquela etiam deficit. Pro confortatione sumit crebriùs cochlear 1. de præcedente Julepo. Pro siti hoc, quod

℞. *Syrup. de acid citr. limon.* *syrup. granator. acid.* ana ℥ß.
M. S. Safft / davon etlichmal zu schlecken.

Sed

Sed nec hoc placuit delicato Patienti: ergo præscripsi succum limon. rec. expresf. cum f. q. sacchar. perlat. atque hoc laudavit. Interim deprehendi motus quosdam quasi epilepticos, febre nec dum cessante (Epilepsiâ verò, ut audio, aliàs etiam laboravit Æger. Quapropter in utrunq; finem, propter febrem sc. & motus convulsivos, præscripsi sequentem Syrupum, bis in die sumendum:

℞. Syr. acetositat citr.
acetos. simpl.
de cichor. cum rhab.
oxysacchar. simpl. ana ℥j.
aq. paon.
aq. ceras. nigr.
rosar.
borrag. ana ℥iß.
acetos. cichor. ana ℥j.
M. ad vitrum.

S. Julep / etliche mal zu gebrauchen.

Potus ordinarius est Vinum dilutum.

Sequitur nunc Consultatio cum D. Schüzio:

Præter obsequia debita, salutem plurimam, Nobilis & Excellentissime Domine, Patrone eximie.

TOt negotiis occupatum hisce meis literis nō fuissem ausus interpellare, nisi tam seriò, quàm, propè dixerim, importunè Patiens noster, valetudinis moræ omnino impatiens, id à me flagitasset. Itaque mihi propemodum invito veniam dabis: Aegrotus facilè merebitur veniam, quandoquidem novi nihil est, ægrum perditæ valetudinis recuperandæ gratia parvâ quadam uti importunitate.

Petiit is à me, ut morbi sui præsentis statum, præterito tamen non penitus intermisso, literis parum declararem tibi, me multò seniori & in arte Medica exercitatiori. Ut ita, signis anamnesticis, diagnosticisque collatis, certiora, auctore te, emergerent prognostica: & hinc, quomodo in curatione ulteriùs procedendum, clariùs elucesceret.

Morbi

Morbi initum fuisse *febrem tertianam duplicem*, te præsente dictum est; huic successit, meo quidem judicio, *tertiana continua*, eò periculosior, quò tantæ ætatis viro inconvenientior. Hanc comitabatur notum illud symptoma, *lingua & faucium asperitas*, Barbaris *Prunella* dicta. Nocte morbi die 14. præcedente, qui aliâs solet esse criticus, tantæ fuit imbecillitatis, ut de certissima morte nemo non cogitaret, præter me, bene memorem *aph. 13. s. 2.* Decepit vulgum loquela antè diminuta, tunc ablata ferè penitus, facies item ab Hippocratis Idea *aph. 49. s. 4.* nobis proposita parum discrepans. Animadvertimus etiam extremos digitos, utrosque humeros, brachia & nasum epileptico quodam motu interdum contorqueri, materiâ febris proculdubio à venis ad nervos in crisi detrusâ. Id quod non parum timoris mihi incussit, consideranti bonæ criseos requisita: dum maluissem cum Hippocr. convulsioni febrem, quàm febri convulsionem supervenire. Attamen, cùm astantes narrassent, ipsum antea quoq; sæpius eodem malo correptum, spem altiorem cepi ducere, & minimè formidare mala, quæ præter validam rationem leviter accidunt.

Hipp. aph. 34. s. 2.

Quib. fit Crisis, iis nox acced. &c.

In hoc misero & periculis pleno statu, tanquam in dubia lance, ad 16. morbi diem stetit noster Patiens. Ego ipse, propter suspectam crisin, quid prognostici facerem, nescius, rem totam Deo & naturæ per biduum fere integrum commisi; interea, quò natura vergat, diligentissimè auscultans.

Circa decimum septimum morbi diem rediit paulatim, sed debilis loquela, motu tamen convulsivo adhuc perdurante. Tunc demum advertit Æger, se inter vivos esse. Cibum etiam tenuissimum, quem antea nec voluit nec potuit admittere, tandem ipse repetit. Potum quoque nimium non ampliùs tam avidè desiderat. Linguam aridam, quam dentibus includebat satis pertinaciter, nunc abstergendam spontè exerit. Atque ita constitutus vivit in hordiernum usque diem, tempo-

temporis diuturni morbi pertæsus, pristinæ a. valetudinis, non immerito quidem, avidissimus. De nihilo ampliùs conqueritur, nisi de summa virium jactura; absque illa se nullo modo ægrotare crederet. Ego verò, quantum ex urina, cum rubedine pellucida, adeoque cruda, pulsu celeri & parvo, manuum, totiusque corporis æquali & quasi mordicante calore suspicari licet, prorsus arbitror, febrim (etsi certas & evidentes periodos nō observet) necdum penitus extirpatam, sed subesse fomitem putredinis, in vasis majoribus cordi proximis, qui calorem nativum alterando, non solùm sangvinem, sed & vitalem spiritum, sangvini mixtum, inficit. Infectus a. spiritus vitalis quid mirum, si animalem, cujus materia est, secum trahat in perniciem? Unde etiam nervos, animalis spiritûs delatores, noxia quadam repletione gravatos, violenter versus origines suas convelli necesse est.

Jam facili negotio Indicationes ex dictis eruuntur. Ac inprimis perditas vires esse restaurandas; febri intemperiei calidæ & siccæ, frigida & humida deberi, nemo ambigit; de motu illo depravato corrigendo vel auferendo non est quod laborem. Nam exhibito Unicornu cum conf. Alkermes & aq. pœon. cerasor. nigr. paulatim cessare incipit malum, ita, ut sperem, illud mox integrè remissurum. Ad debellandam febrim proposui alterantia, quæ ille non admittet, donec Excell. Tuæ mentem intellexerit. Quare cùm aliquando ægrotantis fiducia erga Medicum plus valeat, quàm remedium ipsum; quæso opinionem Tuam de morbi præsentis specie, deque remediis imposterum usurpandis breviter explicare haud graveris. Ægrotus certè plurimum, meritò, Auctoritati tuæ tribuit, promittit firmiter, se ad nutum deinde mihi obtemperaturum, modò priùs abs te Medendi Methodus literis hisce proposita non improbetur, aut, hac reprobatâ, præscribatur melior. Laboris mercedem debitam à Patiente accipies, à me

grates maximas; & si quid, præter hæc, plus petieris, certo certius impetrabis. Interim discipulum tuum ama, & Tibi Præceptori commendatum habe. Straubingæ, die 27. Augusti, Anno 1636.

Excellentiæ Tuæ addictissimus

Wolffgangus Höferus.

Nobili, Excellentissimoq; Viro, Dno. Ferdinando Schüzio, Serenissimi Elector. Bojariæ Archiatro dignissimo, Domino & Patrono meo singulari, honoratissimo. Ratisbonam.

Ad has literas, post dies aliquot, Ratisbonâ tale Responsum est secutum:

Nobilis & Clariss. DD. Honorande.

Literas tuas accepi. Fiducia Rev. adm. Dni Patientis in me fortassis major est, quàm subsidium, quod à tenuitate ingenii mei expectare possit: præsertim cùm, te assistente Medico, alterius operâ vix ac ne vix quidem opus habeat; quippe statum morbi ita dilucidè explicasti; intentiones tuas ad tollendam febrim ita doctè direxisti, ut his nihil addere liceat. Verùm cùm febrim ipsam nondum ex toto solutam, sed fomitem adhuc putredinis aliquem subsistere scribas; ego profectò pronunciare ausim, futurum, ut hæc ipsa febris non per ulteriorem crisin judicetur, sed tandem, prolongato adhuc aliquo tempore, per coctionem evincatur. Quod ut accidat, jusculis alterantibus ex soncho, borragine, agrimon. capill. Ven. rad. pentaphyll. graminis, & petrosel. additis ipsis, ob convulsiones & caput, flor. beton. pœon. aut lilior. convall. &c. insistendum erit, adjecto ipso sale tartari (fortè sale tartari vitriolato,

lato, aut cremore tartari) ut obstructiones sine caliditate feliciùs expediantur: & apparentibus dd. signis concoctionis, licet etiam in tanto senio non perfectæ, humores ipsi per medicamentum absque diagrydio, ex brodio: e. g. laxativo, syrup. diasereos &c. cum decoct. aperitiv. major. & rhabarb. erunt expurgandi.

Interea tamen ipsis viribus etiam providendum, ut hæ, in ista ætate, pro tempore decubitûs sufficere possint. Quamvis enim humidum radicale (ut in æternum vivatur) reficere, & nectar vitale nectari huic addere, ut oleum lampadi, ars non possit; foveri tamen, & conservari posse tum per medicamenta ex magister. 5. lapid. precios. ex margarit: bezoar, osse de corde cervi &c. tùm per alimenta, contusa scil. consummata, juscula analeptica &c. nemo ibit inficias. Quæ singula Tuæ prudentiæ & dexteritati committo. Quibus si fidem habebit & obtemperabit Dominus Patiens, sentiet, se adhuc diutius inter vivos futurum esse. Quod ut fiat, Deum Opt. Max. precor.

Atque hæc tantilla sunt, quæ brevibus in otio extra domum agens, nunquam tamen, ob perpetua officia Aulica domi, nunquam otiosus, proponere volui: mea omnia & singula grata servitia tibi offerens & deferens. Dab. Ratisbon. ultim. August. Anno. 1636.

Excellentiæ Tuæ

Studiosissimus

Ferdinandus Sagittarius, ab & in Hagenau, Serenissimi Elector. Maximil. Consiliarius & Medicus Cubicularius.

VI.

in Quartana legitima.

an. 1636. 20. Sept.

TRactatus perbreuis de *Febre Quartana simplici legitima*, à Wolfgango Hœfero, Juniore, Phil. & Med. Doctore, nec non Straubingæ Physico Ordinario, conscriptus

In gratiam

Prænobilis & Virtute ornatissimi Domini Georgii Christophori Dürnitzel/ *ab & in Hönhart & Attilsburg &c. eodem morbo laborantis, Straubingâ ad Regiones exteras profecti.*

ARGUMENTUM.

DIviditur tractatus integer in sex partes. I. aget de Natura morbi. II. Causas enarrabit. III. Signa diagnost. & prognostica demonstrabit. IV. Proponet Indicationes curandi. V. Curationem ipsam aggredietur: ex Pharmacia primùm, dd. Chirurgia petitis remediis. VI. Continebit Diætam, quæ sex res non naturales complectetur.

NATURA MORBI.

DE Febre Quartana sermonem facturo, ut compendiĭ ratio postulat, quàm brevissimè, occurrit Natura morbi inprimis explicanda: quod proposita & exposita definitione absolvetur. Hic itaque affectus *est Febris putrida ab humore melancholico in primis viis collecto, & putredinem concipiente orta, quarto quoq; die recurrens.* *Definitio*, vel potius *descriptio* hæc etsi per se satis clara Medicis, tamen, quia illis solùm hæc non scribuntur, nonnulla explicatione indiget. *Febrem* esse, si nihil aliud, certè pulsus & urina à naturali non parum discrepantes, temperies corporis, præsertim die accessionis multum immutata,

Dan. Sennertus, de febr. lib. 2. c. 10.

tata, arguunt. Neque Sapientum quisquam, febrem esse putridam, ibit inficias; cùm quia febres, quæ periodos observant, absque putredine, secundum veram Medicorum sententiam, non consistunt: tum, quia succus melancholicus naturalis, vel in qualitatibus primis solùm alteratus, aut quantitate turgens, malignéve corruptus, febrem non efficit, sed alios quosdam morbos febre leniores, ut melancholiam hypochondriacam &c. aut graviores, ut lepram, cancrum, malignamq; scabiem. Oriri hanc febrem ex melancholia, paroxysmi natura & reversio manifestè declarat. Quarto in quoque die movetur & acerbatur; cujus exacerbationis causam non ad Siderum & Lunæ vim, ineptè & superstitiosè propemodum revoco: sed propter singularem, & soli huic humori propriam, nemini Philosophorum hactenus cognitam qualitatem, cum celeberrimo Medicorum grege fieri, statuo: idque in hepate nonnunquam, plerunque a. in liene, venisque illis, quæ humorem melancholicum illuc deferunt.

CAUSA MORBI.

Continens causa patet ex prædictis: Antecedens, bilem atram accumulans, esse potuit inordinata victûs ratio, temperamentum naturâ melancholicum, adeoque ad hujusmodi vitia inclinatam. Aestas præcedens calida & sicca, autumnus incipiens humidus, inæqualis, conceptæ putredinis causa, obstructio venarum splenetîcarum, ipsiusque lienis; unde humor multus in angusto positus ut putrescat, necesse est.

SIGNA MORBI.

Signa Diagnostica, ut vocant, quæ præsentis morbi statum significant, subticere mallem; cùm propter certos paroxysmorum ordines res in aperto sit. Tamen ne studio, vel inscitiâ, rem præterire videar, pauca annotabo. Omnia ferè symptomata, quemadmodum in febre tertiana graviora; ita in quoti-

diana leviora accidunt: adeoque hæc febris medium inter utramque sibi locum vendicat. Invadit plerunque cum *horrore*, quarto quoque die, & duobus sequẽtibus fit pura intermissio; ita, ut *Novercam* habeat *unicam*, *Matres duas*. Paroxysmus interdum in 24. horas protrahitur; cui succedit remissio horarum quadraginta octo, dies naturales duas exquisitè complectentium. Absolvitur periodus plerunque copioso *sudore*; inchoatur prima alteràque vice, ut dictum, refrigatione mediocri præcedente. In *statu* autem morbi percipitur rigor ita vehemens, ut Æger sibi ossa confringi firmissimè credat. *Pulsus* in principio tardus, rarus, & veluti ligatus: in augmento velocior & frequentior; non tamen sine omni tarditate & inæqualitate, tanquam huic febri propria. *Urina* primitùs alba, cruda, tenuis, aquosa, copiosa; in augmento rubicundior, parcior, aliquantulum crassior.

Favorinus apud Gellium, l.17. c.12.

Prognostica.

Morbus iste nescio utrum Medicum magis, an Ægrum fatiget, ita contumax, ut aliquando remediis etiam generosis minimè, vel saltem tardissimè cedat: ita rebellis, ut si vel paulò fortioribus pharmacis tentetur expugnari, exacerbetur potiùs. Hoc tamen habet solatii, præterquã quòd sit mitis & tuta febris, vindicet etiam à morbis magnis, ut epilepsia, convulsionibus &c. Mitem dixi, & tutam: juvenibus intellige, de quibus illud Italicum: La quartana non fa sonare la campana: senib.a.eò periculosior, quò ipsorum ætatibus inconvenientior. At neque juvenibus omnino mitis & tuta: si nimirum visceris (lienis aut hepatis) accedat tumor: tunc enim plerunque transit in hydropem. Si verò ex melancholia adusta fiat, sequitur fœdissima scabies, eaque morbus terminatur. Denique Quartanas, quæ æstate incipiunt, breviores; quæ Autumno, longiores esse, Hippocrates noster testatur. Cùm igitur D. Patiens, cujus gratia hæc paucula collegi, circa autumnum ægrotare ceperit, facilè ausim pronunciare, quartanam hanc, suapte natura

Hipp. aph. 70. l. 5.

Petr. Forest. obs. de Febrib. lib. 3. obs. 32. in schol.

Utrum autẽ fieri possit, v. apud Forest. de febr. l. 3. obs. 40. in schol. fol. 159.

Hipp. aph. 25. sect. 2.

natura pertinacem, non sine magna difficultate expugnatum iri. Accedunt insuper itineris suscipiendi incommoda, quæ curam hujus morbi quàm maximè impediunt, dum Diætam, in qua præcipua totius curationis & salutis spes posita est, vix ac ne vix quidem admittunt. Attamen ne Medicina, ars planè Regia, videatur, nullas huic hosti debellando invenisse machinas, pauca quædam ex amplissimo cornu copiæ depromam; modò priùs, communi insistens methodo, Indicationes, Intentiones, Scopos, ut vocant, curandi ennarravero.

INDICATIONES CURANDI.

PRimò itaque modis omnibus contendendum, ut humor melancholicus, præmissa debita præparatione, evacuetur, id quod auxilio Pharmaciæ & Chirurgiæ præstari poterit. Secundò diligenter providendendum, ne, ablatâ morbi materiâ, nova renascatur; quod fiet, si (quantum loci & itineris conditio concesserit) Patiens victûs rationem debitam & accommodatam huic malo observaverit. Tertiò viscera, quæ causæ continentis sedes sunt, occurrunt corroboranda, ne debilitatis ipsorum functionibus humorem vitiosum cogantur suscipere; susceptum nequeant expellere.

CURATIO.

QUòd Quartana fortibus medicamentis, ab initio præsertim, non tractanda sit, supra dictum est. Confirmatur plurimorum, vel damno, vel interitu, qui, Paracelsicorum suasu, nequissimo Antimonii usu extincti fuerunt, vel in duplicem quartanam inciderunt. Medicamentum itaque, vacuandum humorem præparans, vias scilicet, per quas fertur, reserando, hoc est obstructiones expediendo, crassum item attenuando, tenacem incidendo, inprimis laudarem, si diebus intermissionis (quas ἀπυρεξίας vocant) ad ℥iiij. mane & vesperi calidè sumeret: quo absoluto, levi quadam purgatione humorem præpara-

Foreſt. l. 3. de febr. obſ. 34. in ſchol. fol. 135.

paratum oportere educere. Ut a. palato consulerem, atque diutius absque corruptione asservari possit medicamentum, in Electuarii formam composui. Corpore ita purgato, quandoquidem materia morbi sangvineæ massæ permixta est, utilissimam forè judico venæ manûs sinistræ, inter digitum minimum, minimoque proximum sitæ (Arabibus Salvatella) incisionem: cujus apertio in affectibus melancholicis plurimum valere, Doctissimis Medicis compertum est. Post sectionem feliciter peractam, si febris, ut suspicor, omnino soluta non fuerit, ad Syrupum præparantem supra propositum denuo accedendum: quo absoluto, subjiciatur purgantis electuarii, major tamen, quàm antea, dosis. Atque hæc ritè observando, satis fiet, adjuvante Divino Numine, primæ intentioni, evacuandæ scilicet materiæ putrefactæ, febrem quartanam excitantis, destinatæ.

Vomitus. De *Vomitu* quid dicere debeam, ferè nescio; cùm videam gravissimorum virorum hac de re opiniones multum discrepantes. Sunt, qui admittunt; sunt, qui prohibent. Ego (pace tamen Auctorum mihi repugnantium) pro tenuitate ingenii & auctoritatis meæ, audacter pronuncio, in quartanis (legitimis præsertim, qualem hanc arbitramur) periculosum esse vomitum: idque testatum facio auctoritate Hippocr. qui melancholicos largiùs per inferiora purgare jubet. Etiam ratio ex mea stat sententia. Nam humor melancholicus naturâ gravis, fæculentus, terrestris, loca amat inferiora, neque sursum, nisi violenter coactus, petit: ergo per inferiora educendus: quò enim natura vergit, eò ducere oportet. Attamen, sine exceptione nullam regulam esse, norunt Grammatici. Absolutè igitur *Vomitum* improbare, temeritatis est, non prudentiæ. Licet nonnunquam, exemplo Galeni, per *Vomitum* purgare, quoties scil. melancholiæ pars crudior è splene regurgitat in ventriculum: id quod, in paroxysmis quartanæ fieri posse, experi-

Hipp aph. 9. f. 4.

Galenus l. 1. ad Glauconem.

experientia docet. His autem positis, nihilominus invicta stat sententia, vomitum periculo non carere: in iis nimirum, quibus rarò admodum, aut omnino nunquam vomere contigit: quibus humor melancholicus est sincerus, nullamque bilem admixtam habet, quæ levitate sua sursum tendat, adeoque superius os ventriculi titillando vomitum concitet: quibus denique in hyemem Febris protrahitur: quo tempore vomitum dissvadet Hippocrates. Ex his facile est colligere, vomitum non esse cohibendum, quando sponte in ipso paroxylmo cupit erumpere. Hipp. l. 4. aph. 4.

Ad alteram Indicationem explendam, quæ in viscerum corroboratione consistit, oleum de capparibus circa regionem lienis inunctum; vel, ejus loco, emplastrum conveniens gestatum, mihi probatur. Commodè etiam Rotulis præscriptis post sumptum syrupum alterantem, & cœnam & prandium, utetur. Reliquum ex convenienti Diæta, mox præscribenda, petendum.

DIÆTA:

Sex Res non-naturales continens.

AD tertiam intentionem impetrandã opus est, ut diæta servetur, cujus communiter intelligunt Medici Res non-naturales sex: ut Aërem: Cibum & Potum: Somnum & Vigilias: Motum & Quietem: Repletionem & Evacuationem: Animi affectûs: Dixi non-naturales, eò quòd naturam corporis nostri non constituant, ut naturales, &, si non rectè observentur, tanquam aliquid nonnaturale, sanitatem destruant. De his itaque notatu haud indigna, observatu planè necessaria proferam, servatâ convenienti methodo, & compendiosa brevitate.

Aër ægroto huic, propter peregrinationem mox futuram, certus ordinari vix potest: præstat tamen, puriorem, in Aër.

ficcitate & humiditate fere temperatum, ad caliditatem nonnihil inclinantem, eligere. Fugiat paludes, aquas fœtidas, loca frigida, obscura, nebulosa, tristia. Noctu in cubiculo hoc tempore fenestræ clausæ, interdiu cœlo sereno apertæ sint. Lunæ radii ad lectum minimè pertingant: imo ipsis ad cubiculum etiam aditus intercludatur, ne, si nihil aliud, saltem impediant somnum fulgore suo.

Cibus & Potus. Interrogatus quondam Socrates: qui cibus, qui potus esset vitandas præ ceteris, prudenter adm. ut ad omnia, respondit; illum Cibum esse maximè noxium, qui non esurientes allicit ad edendum; Potum, qui non sitientes delicatâ suâ fallaciâ invitat ad bibendum: id quod Domino Patienti quoque inculcatum velim. Cæterùm in genere omnes cibi vitandi, qui concoctu sunt difficiles, & improbum, fæculentumque succum generant, qui impensè refrigerant & siccant, nimiumque calfaciunt. Hujus generis est caro bubula, cervina, leporina, suilla, anserina, anatina: carnes item & pisces saliti, fumoque indurati: animalium extrema, & intestina viscera; quiquid ex lacte, caseo, farina, ovis duris paratur, quiquid in sartagine coquitur: ut placentæ, *Bavarorum offulæ*; *Deggendorfensium globuli*. Pisces plerique improbantur, præsertim ij, qui Germanis dicuntur, Blateis / Stockfisch / Hering / Schleyen / Kutthen / gar grosse Hechten / geselchte Renckeu. Nocent præterea fructûs crudi, multa aromata, olera fere omnia, Acetaria, acetum inprimis, utpote melancholiæ pabulum. Non bibat aquam crudam, mulsam, cerevisiam albam & rubram novam, malè defæcatam, vinum novum, nubrum, astringens, turbidum. Contrà non improbantur cibi boni & laudabilis succi, facilisque concoctionis: quales sunt carnes ovium juvenum, vitulorum, hœdulorum, gallinarum, pullorum, perdicum, phasianorum, avium, præsertim montanarum, columbarum, caponum, atque ex his composita cibaria. Vitellus ovi unius & alte-

& alterius, non ad duritiem coctus, abjecto albumine, jusculа carnium, cicerum, ferculum Italis commune, Panatella. Pisces minùs noxii sunt, quos Germani vocant die Ferren / kleine Hechtlein / Sängele / Grändlen / Esch / Sälmling / Nerfling / &c. Herbæ etiam nonnullæ medicamenti & alimenti locum habent, ut borago, buglossum, petroselinum, cichorium, melissa, ruta, beta, spinachia, pastinaca, endivia, portulaca, rapæ coctæ, sem. anisi, cumini, fœniculi. Cappares etiam, cum paucissimo aceto & oleo olivarum, ad utramque mensam summè laudantur, Hispanici magis, quàm Italici. Neque prohibentur fructûs, quos ex Italia ferunt, ut poma arantia, citria, granata, limones conditi, passulæ, Zibebæ, mora, mala Armeniaca. De amygdalis dulcibus, & uvis maturis, parum, pruna dulcia, & olivæ &c. Potus ordinarius sit, si haberi possit, cerevisia rubra, non acida, non recens, non turbida, sed clara, pellucida, vetus, bene defecata. Item Vinum Neccarinum buglossatum: in cujus locum substituatur purum, cum aq. destill. buglosſ. vel boraginis tertia parte. Notandum autem, cibum die paroxysmi vel omnino non, vel certè eo tempore, quo longissimè à febe distat, porrigendum, ne natura cibo gravata vehementiùs debilitetur, neve fomitem materiæ morbi aliâs turgenti suggeramus.

Porro *Somnus* liberalior sit oportet, hyemis præsertim tempore. Diurnus nullo modo concedendus: replet enim caput vaporibus, & impedit concoctionem. Neque consultum est, statim à cœna ire cubitum, sed horarum trium duarumve spatium intercedat. Huc spectat quod de cubiculo supra dictum est. Somnus & Vigiliæ.

Motus post cibum sit mediocris, non violentus, immoderatus, qualis equitatio, cursus, vehemens ambulatio, vel opus mechanicum. Parcissimè igitur prandendum, si equita- Motus & Quies.

tio vel vectio subsequatur necessaria : dd, quod in prandio neglectum est, in cœna compensetur.

Repletio & Vacuatio. De *Repletione*, præter ea, quæ dicta sunt in genere, observandum, valdè prudenter agere illos, qui à mensa penitus satiati nunquam surgunt : id ut Patienti utile, ita & necessarium fore judico. Porrò repletionem evacuatio, ut umbra corpus, respicit : neque enim alimenta tam sincera corpori nostro proponuntur, quin partes nutritioni ineptas secum trahant. Hinc sollicita natura pro iis loca idonea ordinavit, donec ad hominis arbitrium & requisitam necessitatem excernuntur. Alimenti crassiores sordes ad intestina ; tenuiores ad vesicam propriam demandavit, & concoctionis ultimæ excrementum per occulta cutis spiracula jussit evanescere. Si itaque natura ipsamet nihil, nisi quod homini consultum est, habere cupit ; quomodo fieri potest excrementorum absque singulari noxa retentio ? Quare, ad vitanda periculosa incommoda, alvus semper respondeat, &, si naturâ (quod communiter in hisce affectibus contingit) non vult procedere, arte proritetur, sumpto medicamento leniente, suppositorio, vel clysteribus ; qui in melancholicis morbis, non immeritò quidem, ab omnibus celebrantur. Ego quoque eorum usum etiam curationis gratia inprimis suaderem, nisi scirem, D. Patientem tantopere ab iisdem abhorrere. Sudor. *Sudor* insuper spontaneus non tantùm frigidiore aëre non impediatur, verùm etiam studio adjuvetur præsertim quatuor vel 5 horis ante paroysmum, assumpto modico theriacæ, vel Mithridatii.

Animi affectûs. Inter *affectûs animi* juvat hilaritas, vel saltem tranquillitas. *Ira* spiritûs concitat, sangvinem adurit, bilem auget: ergo vitanda. *Metus* & *tristitia* mala sunt & ut signum, & ut causa. Hipp. aph. 23. sect. 6. Ut signum, quia, teste Hippocr. nihil aliud, quàm melancholiam indicant. Ut causa : nam quemadmodum ira, sangvinem attenuando, inflammandóque, bilem facit ; ita tristititia

&

& metus sangvinem incrassando, exiccandóque, melancholiam generant. Remedium est occupatio honesta, & minimè otiosa vita; ne locus detur tristibus & profundis cogitationibus. Occasionem peropportunam adeundi laboris abundè suppeditabit pulchrè propositi itineris curiositas, quam ut per ablationem molestissimæ febris secundet Deus Opt. Max. unicè exopto. Scriptum die 20. Septembris, Ann. 1636. ex Museo.

VII.

anno 1637. d. S. Viti.

METHODUS USURPANDARUM Acidularum Bruzensium.

Ad Reverendiss. & Illustrissimum S.R.J. Principem, Dominum,

DN. VITUM ADAMUM, Dominum & Episcopum Frisingensem.

QUanquam superfluum videatur, Rerverendissimo & Illustr. S. R. J. Principi ac Domino, Domino Episcopo Frisingensi, Vito Adamo &c. methodum quandam usurpandarum acidularum Bruzensium præscribere, cùm id à Medicis præclarissimis, quorum etiamnum scripta extant, sat superque noverim fuisse pertractatum: tamen, quandoquidem utile etiam millies repetitum sapienti non displicet, non abs re duxi, paucula quædam de Acidulis Bruzensibus rudi stylo exarare, atque hoc qualiquali munusculo, tanquam debiti obseqvii symbolo, Natalem felicissimum votis ardentissimis precari. Spero equidem, Te, Reverendissime & Illustrissime Princeps,

ceps, ea vultûs serenitate suscepturum hanc elucubrationem Medicam, quâ gratiosa voluntate, in hoc ipso loco, Praxis exercendæ facultatem, insuper mensæ Aulicæ accumbendi licentiam hactenus tua mihi concessit Illustris liberalitas; neque negabit imposterum, si modò, Parentis mei vestigia sequendo, talem me gessero; qualem exoptat vilis plebecula, qualem requirit Princeps Reip. consulens: humanum scilicet, non tumentem fastu; circumspectum; non ægrorum pernicie audacem: eruditum, non turpis ignorantiæ nubeculâ excæcatum: liberalem, non, ægrorum damno, divitiarum mancipium: sedulum, non somnolentæ noctis filium. Id quod diligentissimè, quantum per vires licebit, me observaturum certo certiùs promitto; & ad rem venio, Tractatum integrum tribus tantùm absoluturus partibus: quarum I. aget De natura & qualitatibus Acidularum Bruzensium. II. enodabit Quæstiunculam: utram hæ conveniant Reverendissimo & Illustrissimo nostro Patienti. III. modum tradet & methodum aquarum usurpandarum.

I. PARS.

De Acidularum Bruzensium Natura & Qualitatibus.

SI Neotericorum celebrium scripta de hisce Acidulis nonnihil diligentiùs perpendo, adverto, rectè quidem, eas constare copioso sale Capadoceo, Plinianè loquendo, ferri & aluminis æqualibus portionibus, nec non pauco sulphure. Ita illi, qui residuum diligenter factæ destillationis penitius examinarunt. Dixi, sale Capadoceo &c. hoc est sal saxeus, vulgo Bergsaltz/ materia quædam solida, pellucida, instar crystalli, siccat & calefacit, abstergit, resolvit, digerit, adstringit, alvum irritat & urinam promovet sua acredine. Ferrum, res fabris notissima, primis

primis qualitatibus vix excedit, siccat tamen, extenuat, resolvit, viscera corroborat. Alumen, putà scissile, est crassarum partium, calefacit præterea, adstringit, siccat, abstergit. Sulphur, vivum intellige, multò præstantius facticio, calefacit, siccat, discutit, & citò concoquit. Jam, si quatuor simplicium dictorum congeriem accuratè spectaveris, invenies Acidulas; quæ ex iis componuntur, virtute calfacientes (quamvis actu refrigerent sat valenter) siccantes item, sapore svavi amabiles, viscera obstructa aperientes, debilitata & plusquam satis resoluta confortantes, constringentes, impura noxisque humoribus referta expurgantes. Hæc de natura & viribus Acidularum Bruzensium.

II. PARS.

Utrum conveniant Reverendissimo & Illustrissimo Domino &c.

ERit hîc operæ pretium, pauca quædam de Illustrissimi mei Domini natura, complexione, & corporis constitutione naturali disserere, ut, eâ perspectâ, propositæ Quæstiunculæ responsum clariùs elucescat. Quantum a. exiguo, quo hîc moror, tempore licuit observare, adverti, temperamento ipsum esse calidum & siccum, si exceperis ventriculum ad frigiditatem & caput ad humiditatem plus justo declinantia. Temperiem, calidam, si nihil aliud, certè bilis copiosæ proventus arguit; quem nonnunquam prodit indubitata bilis soboles, iracundia. Hinc sanguis in flammam agitur; &, quando ad alendas partes excurrit, non potest ipsis etiam qualitatis suæ proprietatem impertire: sentiunt molestum calorem hepar; lien (jecori cognatus: unde à nonnemine sapienter dicitur τὸ νόθον ἧπαρ, hoc est spurium jecur) & renes imprimis, qui arenularum & calculi materiam generant hoc modo. Ventriculi facultas,

cultas, propter frigiditatem utcunque debilis; onerati præsertim ciborum copiâ & varietate, cruditates multas accumulat, quæ cùm ad hepar calidius necessariò delabuntur, è dicto parenchymate facta ebullitione quodammodo assantur, hinc vapores plurimi velut à foco in cerebrum efferuntur, ubi libenter suscepti, & in liquorem versi, vel ex levissima causa irritati, cerebro nimirum instar spongiæ compresso, ad subjectas partes decidunt; sique ad pulmones pervenerint, tussim, asthma, catarrhum suffocantem, nonnunquam phthisin inferunt; si colli glandulis infiguntur, anginas periculosas excitant: si ad articulos, molestas arthritides procreant: sid renes, quod in nostro Reverendissimo Patiente solet contingere, catarrhus, sive destillatio ruit, materiam suggerit arenulis & calculo; idque vehementius & citius accidit, quando renes calida intemperie exorbitant. Tales serosam materiam ad sentinam corporis, vesicam puta, prius vix detrudunt, quàm in cinerem redacta, meatibus renum sat pertinaciter fuerit impacta; ubi ad tempus retinetur, & paulatim in lapillos minutos cogitur; nisi facultatem expultricem sua acredine, non sine dolore eximio, vel stimulet, vel medio cujusdam pharmaci ad vesicam depellatur. Id quod sæpe sæpius, præter alios multos, etiam Illustrissimum Principem, cum suo damno, virium & valetudinis jactura, fuisse expertum, apprimè novi. Rectè igitur, si virtutes Acidularum descriptarum consideravero, iisdem utetur, me quidem judice, præsertim ad educendas arenulas, & conterendos calculos. Nam præterquam, quòd svavitate saporis toti corpori acceptus fit iste fons; etiam obstructiones viscerum expediet, suo calore potentiali, ventriculo, nimirum facultatem concoctricem adjuvando, conducet, innata vi adstrictoria visceribus robur addet, virtute sua abstergente totum corpus vel per sudorem, vel per alvum, vel per urinam, vel per vomitum expurgabit, & per consequens materiam arenula-

rum

rum crudam concoquet, perfectam per meatûs aptos educet: si modò aquæ usus rectus instituatur, diæta conveniens non omittatur, prægressa tamen corporis totius justâ præparatione: quæ tria, quantum per tempus licet, abunde pertractabit tertia & ultima pars.

III. PARS.

Methodus usurpandi Acidulas Bruzenses.

ANte omnia corpus idonea purgatione, sæpius iterata, ad aquam hanc salutarem sumendam, sufficienter expurgetur, necesse est, ne, primâ & secundâ regione impurâ & obstructâ, Acidulis viam præcludamus. Remediorum autem formulas præscribere supervacaneum duxi, quandoquidem earum Sylvam penè inexhaustam Clarissimi Medici antehac præscripserunt. Corpore ritè evacuato, audacter ad aquæ potationem accedendum: ita tamen, ut primis tribus diebus quarta pars mensuræ Augustanæ (h. e. quantum capiunt tres vini cyathi) minimè superetur. Post hoc spatium absolútum, licet paulatim ascendere, additâ semper una parte mensuræ, ita quartam sequatur tertia; tertiam secunda &c. usque dum ad integram Augustanam, vel ad summum Frisingensem perveniatur: ubi, pro ratione temporis & tempestatis, nec non virium, persistendum, descendendo dein'eo, quo ascensum fuit, modo. Nonnulli tantum bibunt manè, quantum vesperi: mihi verò consultum, & rationi quoque consentaneum videtur, manè paulò plus bibere: cibus enim, præcedente cœna sumptus, per noctem integram facilius concoquitur, quam à prandio ad vesperum interdiu; adeoque virtus aquæ in totum corpus meliùs distribuitur, ventriculo scil. vacuo. Atque hæc est methodus aquarum usurpandum: superest, nonnihil annotare, quod ad rectum Acidularum usum scitu videtur quàm maximè necessarium. Itaque

Notandum I. post aquam, dicto modo bibitam, corpus exerceri oportere, illudq; exercitium, pro modo, quo agit & evacuat aqua, instituendum. Aliquando enim solet humorem noxium per sudorem; aliquando per vomitum; per urinam; per alvum excernere. Si itaque per sudorem quærat exitum, maximè valenter corpus moveatur, donec ille incipiat prorumpere; tuncque in lectulo mundo ad horam unam continuetur, & abstergatur calefacto linteo. Si per vesicam, minùs exerceatur corpus: si per sedem, minimè. Per vomitum vix erumpet; quod si autem præter spem evenerit, ea motûs habenda erit ratio, quæ de proxima evacuationis specie fuit observata: minima nimirùm instituatur exercitatio. Præterea motûs vehementia respondeat potui: & illa quidem fiat equitando, vehendo, ambulando, ludendo &c.

II. Ne actualis aquæ frigiditas offendat viscera, ventriculum imprimis, consultum videtur, inter bibendum confectione aliqua stomachica & cephalica uti: verbi gratia, morsellis, rotulis, tragea grossa & minore &c. Sunt, qui, in hunc finem, non ineptè quidem, ànte potationem aquæ, aliquot offæ cochlearia admittunt; cui, si requirat necessitas, addunt gr. v piperis albi leviter contusa: item guttulas aliquot aquæ vitæ Matth. Inungendus insuper ventriculus debilis oleis stomachalib. v.g. mastichino, absinthii, nucis moschatæ &c. muniendus emplastris quibusdam convenientibus.

III. Semel per octiduum iteranda erit purgatio, per pilulas ex aloë, & similibus: quæ, postquam sufficienter purgarunt, ventriculum etiam corroborant. Si verò alvus ad libitum non respondeat, adjuvanda erit clysteribus, & purgationibus idoneis, quoties videbitur necessarium.

IV. Quòd si Acidulæ nullo ex præscriptis modo sufficienter excernantur (debet enim excretio potui utplurimùm respondere) ab iis aliquantulum erit abstinendum, intereaque

vesperi,

vesperi, hora 4. domesticus clyster injiciendus, ex sacchar. rubro, ol. olivarum, cassia fistulari,&aq.Bruzensi &c. postero die mane potio purgans sumenda; ut ita præparetur locus acidulis.

V. Fit nonnunquam materiæ viscosæ, acris, stimulantis, ad intestina nimis violentus lapsus, unde diarrhœa satis periculosa, & diuturna, subsequitur: cui succurrendum clystere detergente: item rhab. ℈ij. cum aq. cinam. sumtis.

VI. Ut in omni cura methodica; sic in hac quàm maximè observanda est conveniens *victûs ratio*, sine qua nihil prorsus emolumenti expectandum. Diligenter igitur illud Socratis animadvertat Reverendissimus & Illustrissimus Princeps, Socratis, inquam, interrogati: quis cibus, quis potus sit maximè vitandus: ad quod, ut ad omnia, respondit admodum sapienter: illum cibum esse præ cæteris noxium, qui non esurientes allicit ad edendum; potus verò, qui non sitientes, delicata sua fallacia, invitat ad bibendum. Generatim verò *Cibus* fugiendus, qui est concoctu difficilis: vitandi insuper fructûs, quos horarios vocant: Germanis Amarellen/ Kirschen/ Erdbeer/ und zu viel Weichsel ꝛc. Tales enim vitiosi sunt nutrimenti, & facilè in stomacho corrumpuntur: ideoque novas viscerum obstructiones, & per consequens recentem arenularum materiam generant. *Potus* sit vinum Neccarinum, interdum aquâ Acidularum, cui infundatur lignum nephriticum, diluta. Vitetur imprimis vinum Tyrolense, quod articulos contrahit, & colicam lethalem infert. Vitandus insuper *Aër* impurus, fœtens, turbulentus, frigidus. *Somnus* procuretur solito longior; conclave noctu non aperiatur, nisi aër sit Serenissimus: neque etiam tunc fenestræ, per quas directè ventus ad lectulum intrat, reserentur. *Affectûs animi*, quantum fieri poterit, moderentur: juvat animi hilaritas, vel saltem tranquillitas: summè nocet ira, tristitia, absint curæ nimiæ, & arduæ occupationes.

VII. Denique, his rite obſervatis, ſi effectus ad votum non ſtatim reſpondeat, deſperandum non eſt, ſed magno animo pauliſper acquieſcendum. Compertum enim eſt, Thermarum & Acidularum virtutes in hominis commodum nonnunquam per tempus deliteſcere, donec emolumento maximo, & inſperato, manifeſtè prorumpant atque eluceſcant. Id quod Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi ac Domino ſuo Clementiſſimo votis quibus poteſt maximis à Deo Opt. Max. unicè precatur Auctor.

VIII.

in Phthiſi.

Die XXVI. Junii. Juſſu Reverendiſſimi mei Domini Conſilium dedi Herrn Richtern zu Eiſenhofen. Is, quantum ex relatis colligo, laborat phthiſi ipſiſsima. Itaque ſcripſi & declaravi mentem meam Doctiſsimo D. Finckio, Secretar Friſing. qui tunc temporis ibidem Eiſenhovii degebat.

Doctiſſime Domine : Amice amiciſſime.

HErrn Richters zu Eiſenhoven Leibsbeſchwerden antreffend: bin ich aus des Herrn kurtzer / doch klarer Beſchreibung zu genügen berichtet / und vernimme / daß Herr Patient Febre hectica, ut vocant Medici, laborire / eaque tali, quæ ſecundum gradum jamjam attigit: iſt alſo kein Aderlaß / kein purgiren / kein ſchwitzen rathſam / ſondern müſſen allein Analeptica, h.e. medicamenta reſumptiva, vel vires reſtaurantia gebraucht werden. Dieſe werden Theils und meiſtens aus der Kuchen / theils aus der

Apo-

Apothecken erfordert: die Kuche subministrirt diætam convenientem; die Apothecke medicamenta apta, imò hîc medicamenta, absolutè non dicta, sed quæ à Medicis vocantur medicamenta alimentosa (dabis hanc dictionem Medico) vel alimenta medicamentosa, dergleichen werden/ meines Erachtens/ Herrn Richtern zum tauglichsten seyn / und könten folgender Gestalt zu wegen gebracht werden. Er / Patient/ halte ein Gais/ mittlers Alters / dieselbe fütere man mit gewissen Kräutern / 8. Tag lang. Nach diesem fange er an die Milch derselben Gais morgens frü um 6. Uhr warm zu trincken / all Tag das fünffte oder vierdte Theil einer Freysinger Schenckmas / und verbleibe nüchter zwo Stund lang: darauf mag er ein Fleisch- oder Erbes-süpplein essen. Er bemühe sich nicht viel mit Arbeit/ item hüte sich vor viel wachen und sorgen; Curæ enim & vigiliæ siccant; somnus largior humectat corpus.

IX.

in Epilepsia.

anno 1638. 8. Januar.

Literæ ad Perill. Excell. D. D. Antonium à Colle, Comitem Cæsanæ, Serenissim. Ducis Bavar. Medicum Cubicularium, de Dn. Georgii Philippi Finckii Secretarii intimi Episcop. Frising. symptomate subitaneo, Epilepsia.

Literarum lator est Reverendissimi mei Minister ex paucis charissimus, quem proinde humaniter commendatum velim. Is die 5. Januari, hoc anno 1638. postquam præcedente nocte multum vigilavit, sentit manè capitis gravitatem, cum sensuum torpore; cujus depellendi gratia manè cum

puero cepit ambulare, & vix ex arce Burckrain (ubi cum Illustrissimo meo Principe tunc erat) digressus, subitò cadit, pòst intrò in arcem deportatus, convellitur, tremit, vociferatur, ratione & sensibus privatus. Paulò pòst multò vehementiùs concutitur (fortè propter violentum de loco in locum raptum, sive transportationem, spiritibus scilicet & vaporibus de novo perturbatis) quin & hinc inde tam fortiter jactatur, ut à viris sex vix ac ne vix quidem sustentari sufficienter potuerit. Duravit paroxysmi initium horam unam; status unam & dimidiam; declinatio horam dimidiam: quæ remisit vomitu ter repetitò succedente, & capite nonnihil stupido permanente. Collectis denique viribus, antè actorum omnino nescius, haustum vini petit, & bibit, nullo inde molestiæ sensu percepto. Altero die huc rhedâ vehitur, consilium malo quærendi causa, quod, narratis omnibus diligenter perpensis, à me impetravit. Facilè quidem imprimis erat judicare, affectum nihilo ab Epilepsia diffidere; de causa tamen tam horrendi & subitanei symptomatis certi quid statuere, difficultate non caret. Temperamentum ipsius calidum, & ratione secundarum qualitatum utcunque moderatum, mali nihil indicavit, hyeme præsertim, ubi majori sangvinis copia aliâs corpus nostrum indiget. Accedit, quòd à sangvine, si rationi & Foresto credimus, rarissimè contingat Epilepsia, &, si fiat, non finiatur absque ægrotantis interitu. Superest igitur, ut causam morbi statuamus sangvinem non tam copiâ, quàm qualitate peccantem. Quomodo autem causæ istæ Epilesiam faciant, non est quòd multum Tibi scribam, ne sus videatur Minervam docere velle. Sufficiat antecedentis etiam causæ parum meminisse, quam ego quidem non levis momenti esse judico: vigilias scilicet solitò longiores, & pedum à frigore, nive, & aquis contractam humiditatem & dyscrasiam, quæ procul dubio caput non leviter offendit. Curationem auspicatus fui à pilulis cephalicis,

℞. Extr.

℞. *Extr. cochiar.* ℈j.
sal. cran. hom. gr. vij.
spec. diamarg. fr. ℈ß.
ol. cinamom. gutt. iij.

M. F. Pilul. num. xj. Obaurentur:

venæ medianæ brachii sinistri sectione, & scarificatione: omnia & singula non absque commodo; dum Pilulæ purgarunt septies fere, cum εὐφορίᾳ.

Quia lingvam in paroxysmo mordendo læserat Æger, Linctum hunc præscripsi:


℞. *Syr. è ros. sicc.* ℥j.
bol. Armen. præp. ℈iiij.
aquæ plantagin. parum. Misc.

Ad collum, utunq;, propter motûs violentiam, dolens, præscripsi ol. amygd. d. quod bene fecit. Interim præservationis gratiâ per vices sumit nonnihil de Confectione aliqua ant-Epilepticâ Magistrali.

d. 25. Januar. sumpsit has Pilulas:
℞. *Extr. cochiar.* ℈iiß.
ol. succin. gutt. iiij.

M. F. Pilul. xix. Deaurentur.

Hæ quoque, cum syr. acetosit. citr. sumptæ, purgarunt quater, εὐφόρως. Quid ulteriùs sit faciendum, Tibi, Tuæq; prudentiæ committit Patiens & Ego &c.



in Me-

X.

in Melancholia.

Anno 1738 Die 2. Aprilis Melancholicis insultibus cepit laborare Nob. & Excell. D. Francisci Schiltii, U. J. Doct. & Consiliarii Frisingensis Dn. Uxor, annorum quadraginta quatuor, staturâ satis longa, physiognomiá melancholica; siquidem faciei tenuis, & utcunque nigræ. Rogatus autem pro Curâ, præscripsi primò has Pilulas:

℞. *Extr. cochiar.* ℈ij. *pulv. Syrii* gr. v.

M. F. Pilul. num. xv. Purgarunt absque molestiâ novies. Tertio & quarto die tota fit melancholica, propter ægrotantem filiolum, & belli statum minùs prosperum. Itaque svasi adhibere dorso cucurbitulas, & sumere hanc Trageam, ad confortandum caput:

℞. *Confect. sem. anis.*
coriandr.
cubebar.
cinamom. an. ʒvj.
liquirit. ʒiß.
galang.
zedoär.
zingiber.
nuc. moschat. ana ℈ij.
confect. diarrhod. abb.
aromat. ros. an. ℥ß.
Misc. f. a. Fiat Tragea grossa.

Ad somnum conciliandum dedi noctu ℥ß. Theriac. rec. cum gran. ij. laudan. opiat. Sed nihil hinc dormivit. Altero die, me præsente, ex venâ mediana brachii dextri emisit sangvinis ℥iij. Post prandium ex pedis venâ cephalica detractæ fuerunt sangvinis ℥ij. qui erat serosus & putris. Noctu hausit *Emulsionem* sequentem:

℞. *Sem.*

℞. *Sem. 4. frig. maj. ex*	*aq. folatri* ℥iß.
cort. ana ʒj.	*cichor.*
papav. alb. ʒiiß.	*endiv.* ana ℥ij.
amygd. dulc. ℥iß.	M. F. f. a. Emulfio :
aq. portulac.	cui add.
borrag.	*man. Chrifti perlat.* ℥ß.
nymphaa, an. ℥iij.	*C.C. Spag prap.* ℈ij. M.

Sumpfit hac nocte mediam tantùm partem ; ac nihilominùs dormivit utcunque.

Quinto April. erat. conftipatæ alvi à tempore fumtæ purgationis : ufa verò his Suppofitoriis, habuit fedem copiofam :

℞. *Spec. hier. diacolocynth.* ℈ij.	*mell. q. f. ad Suppofitor.* n. ij.
falis communis ʒß.	*acuantur diagryd.* gr. viij.

Interim Ægra fentit totius corporis langvorem, quafi omnes mufculi effent vel refoluti, vel infenfiles : caput item omninò vacuum. Svafi itaque, ut medulla fpinæ inungeretur oleo nuc. mofchat.

D. 8. fat malè habuit, anxia ambulabat in ædibus, & quafi defperabunda deliravit. Ut igitur materia melancholica fenfim evacuaretur, præfcripfi hunc Nodulum purgantem. Interim de admovendis hirudinibus cæpi cogitare :

℞. *H. melisf.*	*fem. anif.*
card. B.	*fænicul.*
veronic.	*coriandr. prap.* an. ʒj.
betonic.	*cort. arantior.*
flor. 4. cordial.	*citr.* an. ℈iiij.
calendul. an. pij.	*epithym.* pij.
rad. borrag. ℥ß.	*polypod. q.*
petrofelin.	*vifc. q.* an. ʒj.
fænicul.	*fol. fen. el.* ʒvj.
fem. 4. fr. maj.	*fem. cartham. cont.* ʒiij.

rad. helleb. nigr. prap.	*zingib.*
rhabarb. opt. an. ℥ß.	*cinamom.*
turpeth. a. & gumm.	*Zedoar.* an. ʒj.
agaric. trochisc. an. ʒvj.	*spic. Ind.* gr. xj.

Incis. & contus. Misc. & Ligentur in Nodul. ex Sindon. r. Ex hoc indies semel atque iterum alvum deposuit. His ita dispositis, & tamen renuente ad votum successu, Ægra, me consentiente, consuluit etiam Dn. D. Balthasar. Ernst. Medic. Provincial. Landshutii, ad quem ejus rei gratiâ has perscripsi Consultatorias :

Nobilis, Excellentissime Domine Doctor.

NOb. & Excell. Domini Francisci Schiltii Domina uxor, aliâs bene colorata, viribus integris, sat robusto corpore, cæpit cephalalgiâ dieb. ab hinc duodecim laborare; cui successit melancholia, morbus, non, ut opinor, per essentiam à cerebro, sed per consensum à liene & hypochondriis oriunda, adeoque hypochondriaca. Sumsit tunc, me præscribente, ℈ij. ertract. cochiar. additis gr. iiij. pulv. syrii. Inde licet novies purgata absque molestia, nihil tamen sensit levaminis, imò quodammodo deliravit; mœsta, & de salute animæ prater modum sollicita, melancholicorum more. Accessit ratione carenti tristitiæ, nimia filioli febricitantis cura, id quod D. Maritus, & ego, omnibus viribus ex animo ipsius conebamur evellere : sangvine interim ex brachii dextri vena media, & pedis sinistri cephalica ad ℥v. detracto. Nihilominus mens ægra perstitit per intervalla; vigiliæ insuper caput & totum corpus insigniter debilitarunt. Ad somnum conciliandum, melancholiæ evitandæ gratia, hausit noctu emulsionem sem. papav. 4. frig. ma. & amygd. dulcium, à quâ nonnunquam dormivit, somnum tamen interruptum; expergefacta, quasi subito territa, contremiscit, & timet non timenda : terrorem hunc sequitur

quitur sudor copiosus, somnum impediens, capitis dolor acutus non est, sed obtusus, quasi fluctuans: signum ab humore pituitoso repleti capitis. Nonnunquam calvaria videtur penitus excavata & orbata cerebro. Ægra, de recuperanda valetudine non injustè anxia, de me quidem multum sperat, video tamen, non parum fiduciæ in consultando Te quoque habere. Ut igitur voluntati ipsius satisfacerem, hæc paucula scripsi, quid ego remedii in hoc affectu laudarem, libenter addens. Melancholici sangvinis evacuandi viam meliorem non video, quàm per hæmorrhoidum, ope hirudinum, apertionem. Ita capitis per consensum facto dolori succurrimus. Qui autem per essentiam, pituita in capite collecta, gignitur, commodissimè positis in utroque brachio fonticulis, corporis purgatione præmissa, posset auferri. Interim Sacculo humores noxios purgante utimur, ut morbi materia facta sensim evacuetur, nec non alvus, in melancholia plerunque strictior, aperta conservetur. Hæc mea, de affectu hoc, est sententia. Tuum erit, vel mea approbare, vel, si minùs convenientia videbuntur, alia & meliora præscribere pharmaca. Ego consilii tui executor ero. Cæterùm filiolum Ignatium invasit febris tertiana simplex, quæ singulis paroxysmis ita hactenus anticipavit, ut jam de tertiana duplici, non immeritò, oriatur suspicio. Alvum ipsi movit manna, sed minùs sufficienter: quia puer est admodum delicatus, respuit omnia, quæcunque offeruntur, vix decipietur remediis. Me præscribente usus est bis clystere laxante, non sine commodo. Potus ordinarius est aqua simplex, syr acetos. citri diluta. Quòd si huic puerulo ars tua, in curandis febribus, ut audio, satis exacta, subvenerit, non solùm mihi, sed imprimis Patienti, & Domino Patri gratum feceris officii genus, & compensatione dignissimum. Vale, & ama successorem tuum.

Ad literas parum respondit, sed saltem sequentia præscripsit remedia:

℞. *Herb. malv.*	Coq. in s. q. *aqua ad* ℥x. & in
bismalv.	Colat. dissolv.
flor. chamamel.	*sacchar. rubr.* ℥iß.
violar. ana Mj.	*mell. mercurial.*
sem. anis. ʒij.	*ol. chamomill.*
cortic. arantior. ʒj.	*commun.* an. ℥j.

M. F. Enema: post prandium, hor. 4. applicandum. Fecit satis bene, & alvum egregiè eduxit. Die altero, qui erat 14. hausit hanc Potionem:

℞. *Decoct. flor. & fruct.*	*mann. el.* ℥iß.
cum fol. sen. el. ʒiij.	*syr. diasereos* ℥j.
zinzib. ℈i. *epithym.* ʒij.	*cremor. tartari* ℈j.
ad ℥iiß.	M. F. Haust.
In quibus dissolv.	S. Purgiertränckſein auf 1 mal.

Movit alvum nonies cum commodo, absque molestiâ. D. 15 hæmorrhoidibus apposuit Chirurgus hirudines 6. Augustâ delatas, quæ sangvinis nigerrimi ℥iiij. eduxerunt. Dein' Apozemáte hoc usa est:

℞. *Rad. polyp. q.* ℥ß.	*sem. citr.* an ʒiß.
fœnicul.	*passul. maj.*
scorzoner. an. ʒiij.	*min.* an. ℥j.
liquirit. ras. ʒij.	*fol. sen. el.* ℥ß.
cort. rad. helleb. nigr. pp. ʒj.	*zinzib.* ℈ij.
bugloss. ʒij.	Incis. & cótus. Coq. in *aq. simpl.*
h. borrag.	s. q. ad tertias.
bugloss. ana *c. flor.*	℞. Colat. ℔iß. Clarificentur
fl. anthos,	*c. album. ov.* adde
primul. ver.	*syr. de betonic.*
salv. an. pj.	*cichor. simpl.*
sem. anis.	*fumar.* an. ℥j.
fœnicul.	M. F. Apozem. pro trib. dosib.

Hoc

Hoc Apozema alvum bis terve singulis diebus movit.

D. 24. sumpsit hanc Potionem:

℞. *Prædict. colatur. resid.* ℥iiß.	*confect. hamech* ʒiß.
in quibus dissolv.	*syr. diaſereos* ʒvj.
mann. el. ℥iß.	*cremor tartari* ℈j.

M. F. Haustus. Alvum movit septies.

Ad somnum conciliandum

℞. *Conserv. nymphaæ,*	*pilular. de cynogloss.* gr. vj.
violar. an. ʒiß.	M. sumat noctu.

Hinc dormivit utcunque.

℞. *Balsam. aloët.* ʒiii.	*gumm. ammoniac.* ℈ij.
extr. rhabarb. ℈ij.	Cum *aq. fœnicul.* F. Pilul. ex
cochiar. ʒß.	ʒß. num. xi.
helleb. nigr. ℈j.	S. Ordinari Pilulen / rc. auf ein mal einzunehmen.

Confortationis gratiâ

℞. *Conserv. rosar. Damasc.*	*margarit. Or. præp.*
borrag.	*C C. Spag. præp.* an. ʒß.
bugloss. an. ʒv.	*spec. el. de gemm. fr.* ℈j.
confect. alkerm. ℈ij.	*syr. acetositat. citr.* q. s.

M. F. Electuar. S. Krafft-Latwerge.

XI.

in Melancholia hypochondriaca.

anno 1638. 12. Octobr.

Vir quidam literatus laborabat Melancholia hypochondriaca, quæ ut penitius curaretur, exigebat plurium Medicorum Auctoritatem. Itaq; ipso D. Patiente hoc flagitante, scripsi literas ad Magn. Nob. & Excell. Dn. Mülgiesserum, in hac forma: VIENNÆ.

Admodum Nobil. Magn. & Excellentissime Domine Doctor, Patrone honoratissime.

ÆGer noster, quem nosti, Melancholia hypochondriaca laborans petiit à me, ut Magnific. Domination. Tuam una cum Dom. Managetta mecum traherem in consilium. Videtur sibi ex toto sanus, si capitis partem sinistram nescio quibus vaporibus & humoribus repletam non haberet. Sentit circa aurem dicti lateris, vesperi potissimum, absque tamen notabili molestia, ruborem, qualitatis mutatæ speciem; vitium verò structuræ nullum: insuper continuum sibilum & tinnitum auris sinistræ; nonnunquam sternutatio, sed rarò, supervenit. Post hanc nihil molestiæ, parum levaminis. Caput per consensum laborare, certissimum est, id, quod indicat, circa ventriculi regionem, sensatio quædam molesta. Urinæ crudæ, alvus non semper respondens, præcordiorum angustia, syncopis cordis palpitatio. Accedunt his metus & mœstitia, insomnia terribilia, sanitatis recuperandæ spes ambigua &c. Quæ omnia si diligenter examinentur, ad unum fontem reduci posse, facilè mihi persvadeo. Fovetur autem, ni fallor, malum ab obstructione venarum mesaraicarum, quæ humores ad destinata expurgationis loca transferri non sinit; unde vapores tetri ad ventriculum, hinc, utpote naturâ aërei, sursum rapti, cor petunt, ipsi denique cerebro molesti, narrata invehunt symptomata, melancholicis similia: siquidem ægri naturalis constitutio, prægressa febris quartana, tempus anni, morbi ipsius pertinacia, in eandem conspirant sententiam: quin & sinistrum hypochondrium, dextro ferè mollius, & quantitate minus, nihil contradicit. Significat enim lienis in attrahendo succo sibi familiari unde unde contractam debilitatem. Unde retenta alibi melancholia non potest non inferre ea, quæ recensui, symptomata. Usus est heri cum commodo

modo syr. aperit. Magistr. ℥iß. mann. ʒij. cremor. tartar. ℈j. Auri dolenti nonnunquam infundit ol. amygd. amar. De obstructione solvenda Patiens ipse non est sollicitus: petit tantùm consilium D. V. quomodo repleto capiti, quod fortè, ut æger credit, non per consensum tantùm, sed insuper per essentiam patitur, sit succurrendum. Quid si sternutatione hæmorrhagiam narium procuraremus? quid si sangvisugam unam vel alteram auri applicaremus? quid si errhinis catarrhum derivaremus? Hæc omnia D. V. judicio accuratiori libenter subjicio, nihil aliud sperans, quàm his, vel similibus approbatis remediis Domino Patienti optime consultum iri. Interim vale, & me commendatum habe.

Ad has literis ita respondit Consultus Dn. D. Mülgiesserus:

NObilis, & Excellentissime Domine Doctor, Amice peramande &c. Accepi heri vesperi literas Dom. T. ad quas br. hæc pauca respondeo: me scilicet ex relatis signis facilè induci, ut cum D. T. credam, affectum, quo D. Æger ab aliquot septimanis affligitur, hypochondriacum esse, causatum ab obstructionibus venarum mesaraicarum, ob humores melancholicos ibidem stabulantes. Nam cùm ventriculus, quem à natura sortitus est valdè debilem, cibos ingestos improbè concoquat; necessarium est, cùm error, in prima concoctione commissus, in secunda non corrigatur, ab hepate calidiore magnam crudorum calidorumque humorum saburram in venis mesaraicis relinqui, quam cùm lien, propter naturalem debilitatem, vel copiam sufficienter expurgare nequeat; contingit necessariò, ejus partem aliquam in vapores tetros resolvi, qui dum ad pectoris regionem penetrant, cordi molesti, angustias, timorem, syncopes, & cordis palpitationes faciunt: dum verò ad

ad ipsum caput ascendunt, ob copiam membranas tendentem, dolorem aliquem, ob motum non rectè ordinatum, tinnitum auris lateris sinistri, ubi focum mali hærere æstimandum est, &, ob calorem, ruborem quendam efficit. Quæ tamen symptomata cùm non continuò affligant, sed remittant interdum, maximè post levem duntaxat sternutationem, non ausim dicere, cerebrum per essentiam esse læsum; sed totum malum per consensum partium infernarum foveri: & hinc non exiguam mihi spem facio, D. Patientem brevî iterum restitutum iri, si non in pristinum, saltem in meliorem valetudinis statum, si ea fecerit, quæ Æger ipsemet bene intelligit, & præcipuè omnes graviores animi affectiones, applicando se iis, quæ valetudinem meliorem & reparare & conservare quàm diutissime possunt, procul abigat. Quoniam verò utrunque hoc vel recto sex rerum non naturalium, vel medicamentorum usu est præstandum; ad Viros eruditos de iis nullam faciam mentionem: cùm putem, me satisfacturum officio meo, si ad quæsita respondero. Quorum primũ est, me manere in antiqua adhuc mea opinione, scilicet caput per essentiam affectum nondum esse, sed à vaporibus, ex partibus naturalibus perpetuò elevatis, affici, & fortassis ab adusto & crassiore sangvine. Hinc, præmissis purgationibus, ut scribunt, & obstructionibus solutis, ego præ reliquis omnibus consulo, ut venæ hæmorrhoidales sanguisugis quamprimum aperiantur, & ex iis ad minimum ℥iiij. exsugantur: sic enim non solùm revulsionis, sed & evacuationis melancholici sanguinis loco erunt. Postmodum, malo nondum cessante, post aliquot dies venirem primùm ad ea, quæ diverterent proximiùs, vel etiam evacuarent: qualia sunt, frictiones dorsi & brachii lateris affecti, apertio venæ post aurem sinistram, sanguisugæ, vesicatorium &c. masticatorium etiam è sola *mastiche* laudo: errhina verò & sternutatoria non placent, quia, acriora cùm sint, possent nimium irritare expul-

tricem

tricem, & materiam capiti inhærentem ita commovere, ut uno impetu caderet; sed istorum loco impedirem ascensum vaporum simili *Electuario*, exhibendo bolum ante ingressum lecti:

℞. *Myrob. embl.*
chebul. an. num. ij.
cort. citr.
rad. bugloss. an. ℥j.
scorzon. cond. ʒiij.
conf. borrag.
viol. an. ℥j.
conf. anthos ʒß.
conf. alkerm. ʒiß.
lap. Laz. præp. ʒß.
bezoar. Occ. ℈ß.
el. de gem. frig.
hyacinth. an. ʒiß.
Cum *syr. de portul.* *s. q.*

M. F. Opiata. Sic corroborarem caput, ungendo partem affectam hoc *Linim.*

℞. *Ung. alabastr.* ʒiij.
ol. nuc. mosch. ʒj.
bals. apoplect. ℈j.
ol. nymph. q. s. F. Linim.

Hæc raptim. Faxit Deus, ut sortiantur, quod ex animo intendimus.

XII.

in Melancholia hypochondriaca.

anno 1638. 3. Decembr.

ITidem Vir quidam Doctissimus, annorum 48. circiter, aliàs bene valens, Templum accessit, & inter sacra imaginem in excelso positam acutè intuitus, oculis demissis subitò, inde aurium tinnitum, cordis palpitationem, pòst defectum quendam virium, tandem lipothymiam persensit, motu interim, ratione, & sensibus integris permanentibus. Tunc, ad præcavendum majus malum, maturè surrexit, domumque venit, curru vectus; ubi, clystere adhibito, atque pilulis cephalicis sub noctem sumptis, cepit habere meliùs: nihilominus per intervalla rediit cordis palpitatio, lipothymia, præcordiorum an-

gustia, quæ omnia sudorem expresserunt frigidum in fronte, manuumque volis: mitigata tamen fuerunt hæc symptomata usu clysterum domesticorum. De recuperanda sanitate, ut decet, sollicitus D. Patiens, D. Doct. Krafft traxit in consilium. Is, consideratis considerandis, haud malè (contra ipsius Patientis mentem, qui metuebat sibi de futura apoplexia) morbum statuit esse *melancholiam hypochondriacam*, adeoq; foveri à partibus inferioribus, neque caput pro tempore per essentiam labore. Suasit itaque syrupum Magistralem aperitivum, præmissa purgatione, venæsectione, vesicatoriis, & clysteribus sæpius iteratis: quæ omnia ita profuere, ut paroxysmus, sive molesta illa accessio, quam ille in principio vertiginem tenebricosam appellavit, ego autem syncopen stomachicam vocare mallem, rariùs invaserit, quàm antea. Accessit tunc dolor arthriticus, Podagræ species, qui dolor Dn. Patientem similiter domi ad tempus detinuit, donec, illo soluto, nimis maturè aëri se committens, antiquum illud malum, quod videbatur utcunque sopitum, rursus incurrit. Quin & Nephritide tunc laboravit, quâ tamen, levibus adhibitis remediis, brevî curatâ, lectionibus assiduis caput ita debilitavit, ut illius quædam gravedo, cum continuo ferè auris sinistræ tinnitu, suborta fuerit, cui nonnunquam animi deliquium, cum sudore frigido manûs sinistræ volæ, partis affectæ rubedine, aurâ quadam vaporosa, nec non angulorum narium compressione succedit. Cessat autem hic paroxysmus, cùm ventriculus jusculo calido, vino cydoniorum, & similibus reficitur, permanente solùm susurratione auris dictæ: Quoniam vero à lædentibus & juvantibus aliquando morbus cognoscitur, certò licuit statuere, malum suam habere originem ab inferioribus membris. Neque tamen omnino negaverim, materiam quandam circa aurem, successu temporis, impactam fuisse, quæ morbum per essentiam excitavit. Ubi autem, & qualis materia in capite detinea-

tur:

tur impacta, controversum est. In cerebro latitare malum, credibile non est, siquidem sensus & motus, omnesque cerebri functiones sunt integræ, nullus dolor, nulla vertigo, quamvis in principio videbatur adesse obscura satis, commotis scilicet spiritibus animalibus ad levissimum quemlibet sonitum, quem proinde gravissimè ferebat. In maxillarum junctura nihil mali; quia inter masticandum dolor perciperetur. In meatu auditorio infixam esse materiam, vix concedet aliquis veritatis amator, quandoquidem auditus non est diminutus, ne dicam ablatus. Domino Patienti videtur juxta maxillæ sinistræ juncturam, è regione auditorii meatûs, malum stabilitum, è materia quadam tenui conflatum, quæ in vaporem quandoque versa, in aurem vicinam missa, tinnituam efficiat. Id quod mihi non probatur, affectum locum penitius contemplanti. Insuper affecti loci rubedo, paroxysmi tempore subito oborta, & dolor quidam obscurus ex contrectatione, in eandem conspirant sententiam; quin &, inter emungendum nares, videtur Patienti aliquid membranæ per aurem protrudi, non absque omnimodo dolore: ideoque non licuit hactenus nares sufficienter emungere. Hæc omnia nihil aliud videntur significare, quàm morbum per consensum transiisse in morbum per essentiam. Argumento est morbi pertinacia, quæ etiam adhibitis generosis pharmacis expugnari hactenus non potuit. Fecit quidem suum officium syrupus magistralis, cui subjunximus chalybeatum, hæmorrhoidibus priùs apertis. Quin & loci affecti rationem habuimus, hirudinem auri apponendo, instillandoq; ol. amygd. amar. Caput & frontem munivimus Ung. Magn. Dn. D. Mülgiesseri. Brachii sinistri fonticulo humorem peccantem deorsum derivavimus. In summa nihil intentatum, nihil inexpertum reliquimus ad expediendas obstructiones, pro melancholici humoris evacuatione. His positis, pro ulteriori morbi hujus curatione, à Domino Patiente

Quæritur I. Quomodo materia, circa aurem sinistram hærens, & tinnitum inferens, sit loco movenda.

II. Quomodo repleto capiti sit succurrendum.

III. Quomodo malum jam curatum possit præcaveri.

IV. Utrum consultum sit, apponere fonticulum pedibus, cucupham capiti; contra opinionem M. D. D. Krafft: vesicatoria auri, vel loco affecto &c.

Ad has quæstiones coràm mihi responderunt Medici tres, M. & Exc. D. Rechberger, Managetta, & Mülgiesser. Responsa ipsorum ego Dn. Patienti perscripsi hisce verbis:

Honoratissime Domine &c. Functus sum meo officio, ut decet, quanta potui celeritate, & diligentia. Optant Seniores Medici Tuam bonam valetudinem. Magn. Dni Rechbergeri, circa descriptum affectum, opinio hæc est: Fateor, inquit, me non tam in cognoscendo, quàm curando morbo Ægri absentis sæpe sæpius errasse; ideoque, si conscientiæ consultum volo, nihil præscribo. Attamen nota mihi est D. Patientis constitutio, longo ab hinc tempore; novi ipsius mores: scio, ipsum scatere multis humoribus noxiis, qui non ita facilè, ut persuadet sibi Æger, expelluntur. Testis est longa valetudinis inconstantia, morborumque proventus varius. Olim venter torquebatur doloribus colicis: pòst renes laborarunt calculo, pedes arthritide: jam hypochondria distenduntur flatibus: absque his foret, dudum suscepisset munus Aulicum. Itaque puto, caput per essentiam nullo modo laborare, sed malum omne suscitari ab hypochondriis, quæ proin purgationem expetunt per medicamenta secura, sæpius tamen iterata. Interim diætam observet, qualem ipsi præscribere, non est necesse. Nolim sibi persvadeat Æger, corpus syrupo magistrali & chalybeato hactenus sufficienter esse purgatum, & ventriculum ipsi esse salvum: dudum enim cessasset malum. Velim, ipsum

esse

esse memorem illius aphorismi : corpora impura quò plus nutrieris, eò plus læseris. Hæc D. Rechberger.


Mag. D. Managetta haud aliter sensit de morbi specie; esse nimirum *Melancholiam hypochondriacam*, à qua cætera dependent omnia, quæ sponte arbitratur cessatura, si corpus sufficienter purgatum fuerit. Interim loco potûs ordinarii vinum chalybeatum præscripti schematis infra, *lit. A.* summopere prædicat; quo cum multos se curasse melancholicos, constanter affirmat. Post corporis manifestam purgationem, & vinum illud usurpatum, quin & inter bibendum, corroboratione opus habent membra omnia, conveniente Electuario, cujus pro tempore descriptionem habemus. Fonticulum novum excitare ipsi, superfluum videtur, antequam effectus prioris appareat. Cucupham gestare, nihil nocet, imo capitis ratio etiam habenda : aurem dolentem oportet munire, vel obstruere lana bombycina, cui moschus immixtus est. Vesicatoria parum efficient. Malum præcavebitur observata diæta. Hæc Mag. D. Managetta.

D. D. Mülgiesser, idem prorsus judicat, quod alii duo priores, nisi quòd suspicetur, malum utcunque insinuasse se capiti, ita, ut, localibus remediis non omissis, interim generalibus deobstruentibus & purgantibus exstirpari opus sit, quæ pro tempore non desunt: scil. syrupus chalybeatus, Magistralis &c. Balsamus apoplecticus, ol. succini appositum, & per olfactum cerebro communicatum. Sternutatoria insuper & errhina ipsi non improbantur. Morbus, inquit, alio modo commodiùs non præcavebitur, quàm observatâ diæta.

Habes, Amice honorande, primariorum trium Medicorum sententiam. Superest, ut, quid ego sentiam, apertè scribam, tanquam satis diu Tibi præsens. Morbi notitiam & curationem dilucidè explicarunt Excellentissimi Medici, ut, vel literam addere, esset hominis tempore & otio abutentis. Sub-

jungam itaque nihil, nisi prognosticum. Vel dolor ille, tinnitus ille, molesta illa sensatio, præter mentem diutius perseverans, sensim dissipabitur, absque ulteriore crisi; siquidem morbi cronici, qualis hic tuus mihi *videtur*, crisin non habent: vel materia undeunde collecta, absque putrefactione, ad glandulas juxta sinistram aurem positis, tanquam corporis emunctoria à natura constituta propellitur, ibidemque citra valetudinis incommodum quàm diutissime commorabitur: vel, natura instigante, per affectam aurem, successu temporis, abscessus instar, absque notabili molestia evacuabitur. Primum autem mihi omnium videtur certissimum. Deus optimus Maximus fortunet pro singulari sua clementia Consilia trium Medicorum, & meum quale quale Prognosticum. Vale.

℞. Chalybis candentis & bene igniti q. pl. Cum magdaleone sulphuris fricetur; & chalybs liquabitur in vas suppositum, aquâ frigidâ plenum, instar granorum pisi: ℞. Chalybem ita liquatum, quem in cochleari ferreo ad excandescentiam iterum ignire perge, ut sulphuris fœtor exhalet. Postea contuso grosso modo affunde Spir. vin. q. s. quem accende: ubi conflaflagraverit, habebitur chalybs instar pulver. tormentar. niger; de quo uncia una Nodulo oblongo inclusa suspendatur in vini albi defæcati mediocris ℔viij. De vino Patiens bibat in prandio & cœna, quantum aliàs solet. Vesperi verò lagena, seu vas repleatur novo vino: & hoc per octiduum. Postea nova uncia chalybis imponatur, & hoc per 3. septimanas. Durante verò usu chalybis, opus est corporis exercitio.



in Me-

XIII.
in Melancholia hypochondriaca.

anno 1639. 28. Maij.

Conqueritur Illustrissimus Princeps de mentis perturbatione aliqua, cui nonnunquàm succedit nimia, &, præter rationem, gravis sollicitudo, quasi minùs rectè inter colloquendum sese gereret, vel collocutores perperàm tractaret: sequitur tacita quædam mussitatio, voluntariæ ratiocinationi similis, quæ aliquando tam vehemens est, ut ope phantasiæ aliquando in actum erumpat, manuumque, ac capitis motum & gesticulationem causet. De origine & natura hujus symptomatis quid sentiendum, breviter, jussus, aperiam: deinde, quæ ad ejusdem curationem spectant, subnectam.

Ex Illustrissimi Principis relatione & avtopsia, sive oculari inspectione palam est, Ipsum ætate medium, 34. annorum circiter; corporis habitu inter tenuem & crassum moderatum; staturâ longum; temperamento utcunque temperatum esse, sangvineum quippe; quod faciei color floridus, capillorum flavedo, venarum sangvine turgentium prominentia abunde demonstat. Dixi utcunque temperatum. Nam enarrata symptomata actionum integritatem omnino perfectam non arguunt; imo melancholici humoris præsentiam certo certius demonstrant, qui fortè ex inordinata victûs ratione, multis studiis, profundis cogitationibus & lectionibus, antehac collectus, nunc ex continuo ferè decubitu auctus, non potest non esse malorum omnium radix ac fundamentum. Accedit vel naturalis, vel acquisita ventriculi imbecillitas, qualem ferè omnes literati sentiunt: unde excrementorum proventus major; minor excretio. Nolim tamen Illustrissimo persvasum, vitiosum illum humolem in cerebro fixisse sedem; ita enim multò vehementiùs laboraret caput; sed hærere in hypochondriis, infra

infra hepatis & lienis regionem, circa ventriculi os inferius, pylorum, ubi venæ à liene transmissæ tument melancholico sangvine; ex quo transpirant tetri & obscuri vapores & flatus, cerebro potissimum noxii: facilè autem recipiuntur à cerebro, cùm quia, naturâ lenes, sursum petunt; tum quia illud, multis cogitationibus occupatum, debilius est redditum, adeoque vaporibus ascendentibus sufficienter non potest reluctari. Neque obstat, in hypochondriis nullam deprehendi duritiem, nullum lienis tumorem, nullam à flatibus ortam distensionem, neque cætera melancholiâ hypochondriacâ laborantium symptomata. Nam hæc & similia meam non tollunt sententiam, Sufficit unum vel alterum in principio dictum symptoma, quod melancholiam prodit, quamvis non tam vehementem, ut & lienis duritiem, & hypochondriorum manifestam distensionem inferat. Atque hoc est, quod Illustr. Princip. de certo certius recuperanda sanitate summopere consolari debet, & adhortari, ut, ad consequendum id, missis medicamentorum catervis, Diætam mox præscribendam studiosissimè observet. Si verò, præter Diætæ usum, pharmacis expugnari malú cupiat, pro hypothesibus ex dictis facilè colligendis statutú volo. I. non pe resentiam, ut loquuntur, sed per consensum, qué cum hypochondriis habet, cerebrum affectum esse. II. symptomata omnia ad hypochondria, quasi ad unum fontem, commodè reduci, & ab his, non malè, *Melancholiam Hypochondriacam*, vel, ut aliis placet, *flatuosam* insigniri. Unde tres resultant Indicationes: I. Materiam jam genitam evacuandi. II. nondum collectam præcavendi. III. Membrum recipiens, cerebrum; & mandans, ventriculum, confortandi. Tria hæc perficiuntur tribus remediorum generibus: Pharmacia, Chirurgia, Diæta.

Materiæ evacuatio fit per medicamentum purgans, Vere & Autumno, &, si opus, reliquis anni temporibus, usurpandum: formam relinquo præsenti vel Ordinario Medico. Præcavetur

cavetur novi humoris & flatuum generatio, diligenter observatâ Diætâ &c. Cerebrum & Ventriculum imbecillum confortabit Tragea post pastum, & Electuarium manè sumendum, quorum præscriptio hîc est annexa:

℞. *Conserv. rosarum vet.* ℥iß.
flor. tunic.
anthos a. ʒvj.
borrag. ℥j.
nucis moschat. cond. n. ij.
carnis citri cond.
syrup. è cinnam. an. ʒvj.
è succ. citri q. s.
F. Opiata cooperta fol. Aur.

℞. *Spec. latific. Gal.* ʒiß.
diamarg. frig. ℈ij.
cordial. temper. ℈j.
macis pulv. ʒß.
cinnam. acutiss. pul. ʒij.
sacchari fin. q. s. F.
Tragea ad scatulam, addendo *fol. auri* num. vij.
ol. anisi gutt. iiij. M.

Thermæ Badenses in affectibus hujusmodi probantur à quamplurimis: has ego, pro tempore, affectu scil. supra modum non urgente, minùs judico necessarias; nisi fortè propter crus sclopeto perforatum, & malè primitùs curatum: ideoque nonnunquam dolens Thermis uti velit Illustr. Quod quia huc non spectat, alterius est considerationis. Non malè tamen in hoc, de quo agimus, morbo Thermis substituemus, ut securius, ita svavius, tolerabilius & magis domesticum remedium, *Cremorem Tartari*, cujus usum & utilitatem deprædicant & describunt Auctores Medici passim omnes.

Sangvinem minuet cucurbitularum scarificatarum, aliâs consvetarum applicatio: item venæ, vere quidem, media brachii dextri; autumno autem, præter hanc, salvatellæ manûs sinistræ, incisio. Hirudines, vesicatoria, novi fonticuli, & cætera Chirurgiæ remedia, hîc vel non sunt necessaria, vel inutilia.

Diætæ nomine non solùm Cibum & Potum, sed res omnes non-naturales à Medicis dictas intelligo; quæ si rectè obser-

ventur, non dubito, quin & Chirurgia & Pharmacia ulteriori Illustrissimus Princeps subsidere possit.

Aër itaque eligatur purus, temperatus, fugiat Æger paludes, aquas fœtidas, loca frigida, obscura, nebulosa, tristia. Aëris certè necessitas tanta est, ut ne ad quadrantem horulæ eodem carere possimus: igitur maxima aëris est habenda ratio.

Ordine necessitatis Aërem sequitur *Cibus* atque *Potus*; quo diutius saltem carere possumus; cæteroqui ad sustentandum corpus, & reparandum id, quod est deperditum, æquè necessarius. In hoc sanitatem hominis ut plurimùm consistere, fatentur omnes Medici, nec diffitentur ij, qui morborum suorum causam unam ac præcipuam statuunt malè observatam Diætam. Hinc illa patienter potiùs toleranda, quàm tollenda Podagra: hinc calculi, arenulæ, viscerum infarctûs, corruptiones, & omnium ferè morborum species. Si itaque Illustrissimus Princeps diu salvus & incolumis vivere, & Melancholiam Hypochondriam ablatam cupit, talem victûs rationem amplectatur necesse est. In genere autem omnes cibi vitandi, qui concoctu sunt difficiles, & improbum, feculentumque succum generant, qui impensè refrigerant & siccant, nimiumque calefaciunt. Hujus generis est caro bubula, cervina, leporina, suilla, anserina, anatina, carnes item & pisces saliti, fumoque indurati, animalium extrema, & intestina: quidquid ex lacte, caseo, farina, ovis duris paratur, quicquid in farragine coquitur, ut placentæ, ova frixa &c. Pisces plerique improbantur, præsertim ij, qui Germanis vocantur, Blateis / Stockfisch / Hering / Schleyen / Ruthen / gar grosse Hechten / geselchte Rencken / Aal ꝛc. Nocent præterea ea maximè, quæ flatûs pariunt, ut sunt fructûs crudi, olera fere omnia, acetaria, item multa aromata, quia hepar inflammant. Contra non improbantur cibi boni & laudabilis succi, facilisque con-

conco-

coctionis: quales sunt carnes ovium juniorum, vervecum castratorum, vitulorum, hædulorum, gallinarum, pullorum, perdicum, phasianorum, avium, præsertim montanarum, columbarum, caponum, atque ex his composita cibaria: vitellus ovi unius & alterius non ad duritiem coctus, abjecto albumine, juscula carnium, cicerum, ferculum Italis commune, Panatella. Pisces minus noxii sunt, quos Germani vocant, die Forellen/ Hechtlein/ Sängle/ Gründl/ Esch/ Sämling/ Zinnen/ Nerfling/ rc. Herbæ etiam nonnullæ medicamenti & alimenti locum habent: ut borrago, buglossum, petroselinum, cichorium, endivia, ruta, beta, spinachium, pastinaca, portulaca, rapæ coctæ, sem. anisi, cumini, fœniculi. His autem, & similibus, vel cibi condiuntur; vel potus ordinarius alteratur, aliquot nimirum herbarum eidem infundendo. Cappares etiam, cum paucissimo aceto, & oleo olivarum, ad utramque mensam summè laudantur. Neque prohibentur fructûs, quos ex Italia ferunt, ut poma aurantia, citria, granata, limones conditi & recentes; quorum succus, cibis admixtus, cor exhilarat, cibos putrescere non sinit, urinam, & cum hac calculos arenulasque pellit, appetentiam concitat: acredinem ejusdem corrigent juscula, & cætera cibaria: solus enim & dentes & ventriculum offendit, & infert intestinorum tormina. Passulæ, zibebæ, mora, mala Armenia, amygdalæ dulces, uvæ maturæ, pruna dulcia & olivæ, conceduntur: omnia tamen moderata sunto. Potus esto, pro veteri & non vituperanda Illustris. Principis consvetudine, vinum Neccarinum: in ejus defectu substituatur Rhenanum, cui postponendum Austriacum vetus, defecatum, duorum annorum, tenue, non nimis forte. Alterari potest, ut supra dictum, boragine, buglosso, melissa, ruta, salvia &c. Cæterùm fugienda imprimis ciborum varietas, piscium præsertim, & carnium mixtura; quin & piscium usus,

 quan-

quantum fieri poteſt, omnino vitandus ; nonnihil tamen appetitui, tempori, conſuetudini indulgendum. II. Notandum, cibos facilis concoctionis ſemper præmittendos reliquis: ut ſunt juſcula, ova ſorbilia, pultes ex pane fricato, ptiſana, avena ad cremorem cocta. III. Potus reſpondeat cibo, aliâs non excedat menſuram mediam Viennenſem ; cœnam vel prandium non finiat, ne laxetur os ventriculi ſuperius ; quod claudi vult vel cydonio, vel meſpilis, vel pyro, vel alio aſtringente: horum tamen locum Tragea, pani toſto & vino macerato inſperſa, admodum commodè explebit. IV. Ultra horam ad menſam nō eſt diſcumbendum, & inter unam menſam & alteram à cibis abſtinendum. V. Juſcula quantitatem juſtam non excedant, ne flatûs concitentur, neve cibus in ventriculo fluctuet, vel pituitæ detur materia. In eundem finem carnes & reliqua fercula, ad aſſandum apta aſſentur; nimium elixa vitentur. VI. Nunquam ſatur finiat menſam, ſed tunc, cùm veſcendi appetitus non omnino eſt impletus, & ventriculus nullam ſentit gravitatem. VII. Cœna omnis ſit parcior prandio. Si equitatio vel vectio occurrit neceſſaria interdiu, prandendum eſt parciſſimè ; deinde, quod in prandio neglectum eſt, in cœna compenſetur. Ita, ſi propter quamcunque cauſam & occaſionem in victûs ratione error committitur, commodiſſimè abſtinentiâ emendabitur: ſiquidem repletionem curat inanitio.

Somnus octo vel novem horarum ſpatio pro Illuſtr. Principe videtur eſſe optimus. Fiat autem in cubiculo Lunæ radiis non expoſito. Aeſtate, cœlo ſereno, aëre puro, licet feneſtras aperire noctu ; ita tamen, ut cortinâ obvelentur. Corpus non ſit rectum inter dormiendū; ſed nonnihil incurvatum, ſive contractum, ut muſculi non nimis ſint intenſi, adeoque quietiores. Primis quatuor horis dextro ; reliquis ſiniſtro incumbat lateri, dorſo nunquam, ventri interdum. Somnum

diurnum

diurnum meritò damnarem, nisi diutius consvetum esset, interdiu dormire. Proinde non malè continuabitur, ita tamen, ut ultra horam unam & dimidiam non extendatur, & eodem spatio post sumptum prandium inchoetur. Similiter inconsultum est, statim à cœna ire cubitum: intercedant ad minimum horæ duæ. Caput interdiu, præsertim inter dormiendum, tectum sit: æstate tenui; hyeme crassiore operculo. A somno capillos pectere, faciem & manûs lavare convenit; illam vino cum aqua mixto tepidè; has aqua simpliciter frigida.

Motus post cibum sit moderatus, non violentus, qualis est equitatio, cursus, vectio, vehemens ambulatio: ante sumptum cibum itidem mediocritatem non excedat: conceditur tamen paulò longior. Talis appetitum concitat, alvum movet, urinam pellit, calorem nativum excitat. Ad sudorem usque non moveatur corpus: quod si fortè fortuna contigerit, quiescendum, suasore Hipp. in aph. Motus cibo & potui respondeat: aliâs vel concoctio turbabitur, vel vires destituentur.

De Repletione nihil ferè restat ampliùs. Hanc Evacuatio, ut umbra corpus, respicit: sub cujus titulo vomitus, sudor, alvi & urinæ excretio hîc comprehenduntur. Vomitus, tanquam motus p. n. absque causa gravissima non est concitandus; si sponte obveniat, in principio statim non impediatur, neque coerceatur, nisi urgeat necessitas. Sudorem noctu obrepentem licet aliquando adjuvare, deinde abstergere: post abstersionem oportet corpus à frigore tueri. Alvi excrementa, si diutius retinentur, totum corpus vaporibus fœtidis inficiunt: ergo quotidie respondeant vel naturâ, vel arte, suppositoriis scil. clysteribus, passulis, & prunis laxativis, butyro ante pastum comesto sollicitata. Urina ante cubitum reddatur quotidie, cùm ut excrementis crassioribus in intestinis hærentibus amplior relinquatur locus, tum ne somnus, propter sen-

ſum irritantis facultatis expultricis fiat turbidior ; neve urinæ ſabulum mox excernendum in arenulas & calculum coaleſcat.

Denique non minimam ſanitatis partem in *Tranquillitate animi* ſitam eſſe, veriſſimè Divinus Plato, *in Charmide*, teſtatur: ubi ait, cuncta ferè mala corpori ab animi affectib contingere; quos Philoſophis quidem explicandos relinquimus: quantum verò ad noſtram facultatem attinet, ſtudiosè pertractamus. Juvat itaque hilaritas, vel ſaltem tranquillitas : abſit omnis metus : abſit triſtitia, quæ, ſicut Ira, ſanguinem attenuando, inflammandoque, bilem facit: ita triſtitia, ſangvinem incraſſando, melancholiam generat. Remedium eſt occupatio honeſta, & minimè otioſa vita, ne locus detur triſtibus & profundis cogitationibus; hîc multum proderit lectio librorum curioſorum; non ad lucernam tamen, neque ſtatim à menſa. *Animi* certè *anxietas & discordia & diverſitas*, ſuadente imprimis Franciſco Petrarcha, de rem. utr. fort. Dial. 75. *abjicienda eſt: alioqui, ut contrarii ac corrupti humores febrem corporum, ſic contrarii affectûs febrim pariunt animorum, quæ tantò eſt periculoſior, quantò & animus corpore eſt nobilior, & æterna mors terribilior temporali; utrobique tamen adhibitum temperamentum & æqualitas, quædam ad ſalutem eſt via.* Vir bonus rationem opponit affectibus: in adverſis fortitudine, in proſperis cautelâ utitur: non contriſtatur tempeſtate nubila, ridentem Phœbum paulò pòſt expectans. Ita velim Illuſtriſs. Principem res ſuas agere, ut, miſſis animi pathematis & perturbationibus, ſeſe ipſum ſereno vultu in proſperis exhilaret, in adverſis conſoletur: quod profectò ad abolendam minùs fortè neceſſariam ſollicitudinem permultum eſt valiturum.

in Fe-

in Febre Putrida, cum suspicione Hecticæ.

anno 1639. 19. Maij.

IN Thermis Badensibus, à Comite aliquo magni nominis jussus invisere ipsius Conjugem, habitâ diligenti avtopsia, & urinâ, pulsu, relationeque adstantium, ipsiusque Dnæ Comitissæ probè consideratis, deprehendi illam laborare *Phthisi*, cum suspicione febris *Hecticæ*, nec rem sanè esse sine periculo; ideoque svasi, ut præter me consuleretur etiam ipsis aliàs consvetus Medicus, ne, si res præter opinionem succederet, in me, tanquam juniorem, culpa rejiceretur.

Consensit meæ petitioni Comes, & me ipsum Viennam misit, ad Mag. D. D. Rechbergerum. Is me fideliter admonuit, ne quicquam præscriberem remedii, donec D. Patiens curru vel lectica Viennam transportaretur; ac tunc in præsentia sui, & aliorum, de recuperanda sanitate ægrotantis se initurum consilium: quod altero die circa primam factum est. Ibi ego, morbi specie narratâ, meam hisce verbis subjunxi sententiam:

Quòd Clarissimorum Virorum Conventui intersim, facit Illustr. D. Comitis gratiosum imperium, cujus Dna Conjunx annorum 21. habitu corporis tenui ante hac, post proximum puerperium, mensibus abhinc 8 feliciter peractum (nisi quòd paulò largiùs fuerit per uterum sangvis expurgatus & hæc purgatio quolibet mense redit satis copiosè.) utcunque macilenta, mente cœpit perturbari, propter inopinatum prolis masculæ obitum; victûs rationem tunc minus rectè observabat, potu glacie refrigerato utebatur, corpus à frigore munitum sufficienter non erat. Unde pituita in visceribus collecta, eorum obstructiones inferebat, quæ corpus probè nutriri non permiserunt: hinc carnosarum partium qualisqualis absumptio, quæ, in corpore delicato & tenello, faciliùs animadversa, suspicio-

OPINIO I. W. Hœfer M. D.

ſuſpicionem hecticæ cauſavit. Acceſſit tunc tuſſicula, absque notabili ſputo. Quin &, poſtquam ab alto Thermas Badenſes longiùs contemplaretur, & tunc recreationis gratia fontem, non ita longè ab urbe diſtantem accederet, aquam hauſit copioſam, concitataque nauſea, vomere non potuit. Unde acceſſit ſtatim à potu frigidæ horror quidam febrilis, cum ſubſequente calida alteratione, quam per dies aliquot neglexit, ita, ut tempore acceſſionis nihilominus menſam accederet, &, quantum per appetitum licuit, comederet; donec febris, manifeſtior facta, occultari non potuit. Itaque Illuſtriſs. D. Marito patefacit tandem, ſe malè ab aliquot diebus habere: is in principio expectare illam jubet, neque ullis uti remediis, niſi fortè rob. cydonior. ad procurandum ſudorem. Interim nihil ceſſat febris, ſed inordinatè primitùs, deinde ſingulis diebus redit, ita, ut duplicis tertianæ typum cœperit obſervare. Hæc de morbi ſpecie: cujus curationem quod attinet, exiſtimo, ipſam in obſtructionum reſeratione potiſſimum conſiſtere; quas proinde totius morbi cauſam continentem eſſe arbitror. Remediorum formulas præſcribendas relinquo Senioribus Dn. Medicis: loco earum meum, de hoc morbo, ſubjungam prognoſticum. Certum eſt, in delicata & debili Patiente febrim hanc periculo omni non carere; &, ſi careat, remanere nihilominus ſuſpicionem febris hecticæ, quia præſens putrida corpus aliâs ſupra modum ſiccat: propterea in ejusdem curatione ſemper eſt habenda ratio alterius nec dum quidem conſummati morbi: id quod Excell. D. Medicis conſiderandum relinquo. Tuſſicula, juxta meam opinionem, pulmonis ulcus non arguit; neque enim ſputum à naturali multum diſtat, neque ſanguinis præceſſit expuitio: igitur ejus cauſa catarrhus à capite ſtatuendus eſt: qui impetu ſuopte ruit in pulmones.

Ex relatione Excell. Dn. Doctoris, partim ab ipsa avtopsia, credibile est, Illustr. Dn. Patientem summis laborare obstructionibus circa hepar & venas mesaraicas; id quod indicat corporis successiva absumptio, febris qualis qualis præsentia, facies decolor; urina & pulsus alteratus. Dixi febris qualis qualis. Nam circa illam dubito, utrum non ab hectica potius dependeat, quàm absolutè in viscerm infarctu consistat. Etenim mihi sunt pro tempore duæ Patientes nobiles, ad hecticam non solùm proclives, sed & manifestè febri hectica laborantes: redit autem singulis diebus tanti caloris paroxysmus, ut tertianæ duplicæ non absimilis videatur. Hoc est, quod difficultatem mihi parit; submitto tamen omnia Mag. D. Rechbergero, qui Illustr. D. Patientem novit à crepundiis. His positis, habemus indicationes tres: I. obstructiones hepatis & venarum circumjacentium expediendi. II. viscera corroborandi. III. vires nimis fractas restaurandi, acquisitas conservandi; quæ omnia non ita difficulter acquiri possunt, in Patiente juvene naturâ aliâs bona, obsequente hisce remediis: Imprimis propinarem levem aliquam infusionem ex rhab. fol. sen. agar. ad primas vias expurgandas: pòst, syrupum longum; denique jusculum aliquod alterans, quod per epicrasin in corpus ageret: interim, ut rectè monuit Cl. D. D. Höferus, respectus habendus est ad Hecticam, quæ fortè magis urget, quàm febris illa. Præscribenda itaque diæta conveniens: postea, si D. Seniori videbitur, utendum balneo, lacte, gelatinis, & jusculis probè nutrientibus. Tussis illa à catarrho solummodo non oritur: suspicor, pulmonum subesse corruptelam aliquam; quæ fortè emendari poterit elecgmate expectorante. II. D. Juncker.

Quoad speciem morbi, à præcedentibus Excell. D. Collegis explicatam, nihili habeo, quod contradicam; nisi quòd Excell. Dn. Junckeri opinio mihi non planè arrideat. Neque enim febris illa ab Hectica fovetur, sed est distinctissima, in III. D. Saxo.

solis obstructionibus & bile potissimum putrida consistens. Si ab hectica veniret, signum esset ultimi gradûs jamjam præsentis; quod prognostico Excellentiss. D. D. Junckeri repugnat, ubi ait, in hac Patiente morbum esse non ita curatu difficilem: ultimus autem gradus, dictus marasmodes, à me nunquam, neque, quod sciam, ab ullo alio curatus est. Itaque à purgatione feliciter inchoandum; pòst syrupum aliquem deobstruentem, absque notabili calore, propinarem, repetitâ interim singulis septimanis purgatione. Tussis desinente vel absumpto catarrho curabitur. Ex sputo licet cognoscere, pulmones esse sanos; aliàs etiam mihi suspecta esset tussis. Remediorum formulas non præscribo, sed præscribendas relinquo Mag. D. Rechbergero, qui diutius novit Illustrissimam D. Patientem.

IV. D. Rechberger. Ita est, Excell. D. Collegæ. Novi ab ineunte ætate Illustr. D. Patientem, quia & Dom. Matrem, Comitissam à Colaldo, Viduam, quam hîc præsentem videtis, triginta ab hinc annis curavi. Nostra Patiens, statura, habitu corporis delicata, naturam tamen, præter multorum opinionem, nacta est satis fortem, quæ morbis valet resistere. A proximo puerperio cepit nonnihil macilenta fieri: propterea, me svadente, utebatur singulis diebus manè cremore ptisanæ, cum jure caponis congelato, ad probè nutriendum: singulis etiam mensibus leviter à me purgata fuit; appetitus cibi erat satis integer; omnes functiones corporis satis perfectæ; nisi quòd justo citiùs à labore vel motu, vel corporis agitatione facta fuerit lassior; quod suspitionem intulit futuri morbi, juxta aph. Hipp. Propterea modis omnibus dissvasi ipsi, ne adiret, sive utendi, sive videndi gratia Thermas Badenses, locum aliàs insaluberrimum; quod tamen ipsa neglexit, conjugis amorem, & cohabitationem, propriæ valetudini præponens. Incidit itaque in febrim putridam, priùs, ut audio

audio, inordinatam, jam typum observanté tertianæ duplicis: quæ utique curationem ad se trahit, non neglecta tamen fortè non omnino absente Hectica, quæ febres tales aliquando subsequitur, etiam in iis, ubi nulla prorsus est ad Hecticam dispositio. Curatâ autem putrida, ad Hecticæ præcautionem & curationem accedendum. Illius curatio consistit in obstructionum reseratione, quæ procurari poterit, præmissâ purgatione, jusculo alterante: si hoc non suffecerit, substituamus syrupum aliquem Magistralem. Purgatio, si videbitur Excell. D. V. talis esse poterit:

℞. *Fol. sen. el.* ℥ß.
rhab. el.
agaric. troch. an. ʒj.
macis ℈ß.
spic.
schœnanth. an. gr. iij.
sem. citri ʒj.
cinam. ℈j.

Stent infus. per noctem in s. q. decoct. cordial. Manè, præmissa unica ebullit. Expressionis ℞. q. s. ad solvend. *mann. Calabr.* ℥x. M. F. Potio. Jusculum alterans fiat ex *fl. cordial. rad. cichorii, petrosel. endiv. fœnic. herb. acetos. cichor. endiv. portulac.* (quæ utrique morbo appropriata habetur) *sem. 4 frig. ma.* &c. incidantur omnia, & includantur ventri caponis ad coquendum parati. Jusculum decoctum à pingvedine separetur, decocti propinetur ℔ß. singulis diebus, manè & vesperi. Si febris putrida non cessaverit, operæ pretium videtur esse, venam aperire, ventilationis potiùs, quàm manifestæ evacuationis gratia: Diæta interim præscribenda conveniens, quam ipsamet D. Mater, tanquam bona Oeconoma, sciet optimè. Potus ordinarius erit cerevisia, quam ex Moravia habent, alba, bene defœcata. Denique febre hac cessante, reseratisque obstructionibus, maciei prospiciendum Ung. aliquo resumptivo, spinæ dorsi inuncto, post balnei usum. Observabit tunc diætam magis humidam & frigidam &c.

Effectus Consilii hujus hic fuit:

PRæfuit toti morbo Nob. & Mag. D. Rechberger, uti aliâs ordinarius: is altero die statim Potionem illam Dominæ Patienti exhibuit, at quæ plus quàm medietatem per vomitum rejecit, & nihilominus quater movit alvum: pòst unicus rediit manifestus paroxysmus: interim jusculo utebatur alterante Ægra: quia autem febrim putridam ex toto non cessasse putabat Medicus, ad præcavendam recidivam repetiit purgationem: qua feliciter peractâ, jussit venam tali, saphenam dictam, aperire, cum bono effectu. Jam nihil aliud superest, nisi ut præcaveatur suspecta hectica, maciesque corporis aboleatur. Id quod juxta præscriptum Excell. D. Rechbergeri, cremore hordei, balneo, lacte, gelatina ex jure caponis &c. commodè præstabitur. Dum hæc descripsi, bene admodùm valuit Ægra, cum nulla amplius hecticæ suspicione. Die 17. Augusti Ann. eodem.

XV.

in Affectu Catarrhoso.

anno 1639. 17. August.

REverendus Fr. Pacificus Ordinis Servorum Beatissimæ Virginis, conqueritur de capitis gravedine, odoratu amisso, cordis palpitatione, anhelitûs difficultate, ventriculi imbecillitate, lumborum dolore. Consilium petit à Medico, cujus ope vel pristinæ sanitati possit restitui, vel saltem à gravioribus symptomatis præcaveri: quod munus mihi delatum libenter exequar, priùs tamen, quàm remedia proponam, iis, quæ circa principium, causasque externas & antecedentes, continentesq;, partim ex ipsius Rev. D. Patientis relatione,

tione, partim αυτοψίᾳ propriâ, sive oculari inspectione observavi, paulò accuratiùs enarratis. Ita morbi species clarissimè innotescet, &, ipsi contraria remedia cum ratione à me proposita fuisse, nemini non persvasum fiet.

Patiens, Annorum 34. Natione Franco; habitu corporis primitùs quadratus, nunc paulò tenuior; staturâ mediocris; capillis subniger; formâ non multum decolor. Juvenis, ætati floridæ, viribus robustis, naturæque forti, nimium confidens, in ratione victûs, & rebus ad sanitatem tuendam pertinentibus (ut solemus ferè omnes) errores aliquot commisit, quos dein' propter vitam Monasticam (ubi Religio sacræ magis obedientiæ, quàm sanitati studet) corrigere non licuit. Itaque jussu superiorum iter facit in Tyrolin, Regionem minimè temperatam: æstate siquidem calore turgentem squalido; hyeme nivibus, asperrimoque frigore horridam: ubi neque aëri, neque vino, supra modum aliâs crasso & astringenti, assvetus, CAPITIS GRAVITATE corripitur, quæ, continuâ ad focum, præsentiâ magis magisque exacerbata, totius cerebri dyscrasian arguit; frigidiusculam scilicet, & humidam; hanc autem cerebri dispositionem perpetuis ferè fluxionibus & catarrhis obnoxiam esse, norunt & confitentur omnes; quin & ipsius Rev. & Rel. Fr. Patientis subsequentia testantur symptomata. Unde enim Olfactûs adhuc durans Ablatio, nisi à materia crassa, viscida & pituitosa, extremitates ventriculorum anteriorum cerebri (processuum mammmillarium) tantùm obstruente? Dixi: tantum: Nam os illud cribrosum, per quod transcolatur inspiratus aër, hic non patitur, quia vocis nulla depravatio. Unde Anhelitus Difficultas molestissima, nisi à perpetuo in pectus ruente catarrho? Hîc studiosè disquirendum, utrum in pulmones, vel cavitatem pectoris fluxio fiat; vel quorsum catarrhi materia pertingat, & quomodo respirationem impediat? Ego certè, diligenter consi-

Vide Forest. lib. 13. obs. 1. in Scholiis.

deratis omnibus, audacter pronuncio, neque in pulmones, neque in cavitatem pectoris, ſed in muſculos thoracis, reſpirationem juvantes, deſtillare catarrhum: quippe tuſſis notatu digna nunquam adfuit, ſputum quantitate non exuperat, qualitate nihil peccat: ideoque pulmones ſanos, cavitatem pectoris mundam ſtatuo. Contra, Reſpiratio difficilis eſt per intervalla, non continuò; poſt motum ſcilicet vehementiorem, ubi muſculi circa præcordia & ipſum diaphragma reſpirationem juvare debent. Quia autem muſculi catarrho diſtenduntur & breviores fiunt, dolent, & quandoq; rubent, teſte tactu & viſu. Sequitur nonnunquam CORDIS PALPITATIO, propter liberam eventilationem cordi denegatam. Fovetur utrumque malum à copiâ cruditatis & flatuum ventriculi; unde etiam VENTRICULI dolor & imbecillitas; copiâ ſcil. turgente materiâ in ipſius cavitatem demiſsâ; ubi, *præterquam*, quòd frigiditate ſua in conſenſum trahit ventriculum, coctionem turbat, & cruditates parit: quarum pars magna cum chylo rapitur in hepar juſto calidius, ibidemque aſſatur citiùs, quàm rectè coquitur. Unde corruptâ hæmatoſi neceſſariò corpus alimento idoneo deſtituitur, teſte deformato & p. n. conſtituto ex venâ apertâ, ſangvine. Hinc nova ſuboritur catarrho, cruditatibus, flatibusque materia: ita, ut hîc quaſi circulum videre liceat, vel leviter perpendenti, quomodo capitis diſcraſia à ventriculi; hæc à capitis vitioſa intemperie dependeat. LUMBORUM DOLOR, inter ambulandum, poſt ſeſſionem gravis ſurrectio, cruris alterutrius ſtupor, arenulas ſubeſſe ſignificat, tam in renibus, quàm veſicâ. Neque hoc mirum videri debet: nam dictæ cruditates viſcera, & per hæc diſperſas venas obſtruunt: unde pituita in iis coacervata materiam præbet arenulis; quæ cùm renes offendit, ad tartarum generandum, ſive hæreditario vitio, ſive calore proprio, ſive occulta vi, proclives, in ſabuloſam primùm materiam,

teriam, dein' arenas & calculos mutatur, ac dolorem ex tensione & meatuum urinariorum obstructione infert; quia verò cum ventriculo per peritonæum renes consentiunt, inter colluendum os, manè nausea percipitur, interdum etiam diutius retenti & concoctu difficilis phlegmatis, cum commodo, vomitus subsequitur; prima scilicet & cruda calculi materia sponte evacuata. Quin & per ligamenta, nervos & tendines, quibus renes cum cruribus cohærent, sympathia fit aliquando tam vehemens, ut crus alterutrum, vel utrumque stupeat, ac quasi paralysi afficiatur, coxendices item suspensæ & ligatæ, atque ad surgendum minùs aptæ videantur, quæ omnia persensit in suomet corpore noster Patiens. Cæterum tenebricosa oculorum vertigo, capite potissimum inclinato (cujus incidenter mentionem fecit R. F. tanquam non adeò pro tempore urgentis symptomatis) à vaporibus ex ventriculo jejuno, nonnunquam etiam repleto, fieri solet: eò, quòd temperamentum ventriculi nativum debile, & ad frigidum vergens, cibi copiam ferre non potest; neque os superius, retentrice facultate utcunque debilitata, ut decet, clauditur, adeoque per illud connivens vapores semicocti, & pro ventriculo tam debili, plusquam satis ingesti cibi æquè caput petunt, sicut ille, cibisque destitutus, à proximè qualiquali coctione relictas exhalationes sursum mittere consvevit. Ex his facilè colligitur, ab artis præsertim Medicæ vel leviter etiam experto, I. Ægrum Asthmate vero, affectu in pulmonibus consistente, non laborare. II. Totius morbi, & omnium supra dictorum symptomatum causam unam atque unicam eámque continentem esse (hæc est, quâ positâ ponitur, sublatâ, tollitur effectus) catarrhum, in ventriculo rudimenta, in hepate incrementum, in cerebro perfectionem acquirentem. Hîc, ut compendiosè ea, quæ supra dixi, repetam, cùm in thoracis fertur musculos, illósque distendit,

Vide Andr. Laur. in Anatom.

& fir-

& ſimul diaphragma aggravat, anhelitum reddit difficilem, cor palpitare facit, & per conſequens deliquium infert animi. Quatenus verò ventriculi cavitatem ingreditur, dyſpepſian, obſtructiones viſcerum, novamque cerebro materiam nunquam concoquibilem ſuggerit. Si ad Renes pervenit, calculum generat; unde ventriculi nauſea, vomitus, lumborum dolor, crurum ſtupor.

Prognoſticum quod attinet: ſymptomata hæc omnia, omni difficultate carere, nolim ſibi Aeger perſuadeat, idque ex hoc fundamento. I. quòd inveteratum ſit malum. II. quòd præcipua viſcera, ventriculus, hepar, cerebrum, renes, à temperie receſſerint, & quædam ex illis habitum intemperiei ferè videantur contraxiſſe. II. quòd à Viris Doctiſſimis multa adhibita remedia nihil, vel certè parum profuerint.

Contrà Rever. D. Patientem de recuperanda ſanitate bene jubent ſperare I. Vires utcunque conſtantes. II. Aetas florida. III. Voluntarium obſequium & Fiducia erga Medicum, quæ fortaſſis major eſt, quàm ſubſidium, quod ab ipſo juniore, etiam ſenioribus, fortè minùs conſideratè deſperantibus, haberi poſſit. Itaq; bonis avibus ad curationem accedendum, neq; ullo modo talis æger, in quo vel tantillum ſpei ſupereſt, deſperato relinquendus prognoſtico; quaſi ſaluberrima noſtra ſcientia nihil inveniſſet auxilii. I. ad univerſi corporis genericam evacuationem II. Obſtructiones viſcerum reſerandas. III. Catarrhum in cerebro genitum evacuandum, derivandum, exiccandum. IV. Membra ſingula, cùm ea, quæ mandant, tùm quæ recipiunt, confortando, & muniendo præcavendum. Quamvis autem facilius eſt, Indicationes, ut vocant, curativas & ex his orta remedia proponere, quàm optatum inde ſcopum aſſequi; tamen ægrotum, ſpe recuperandæ ſanitatis, adhortari oportet, ut ea, quæ præſcribentur, quàm ſtudioſisſimè obſervet, neque animum dejiciat, rebus ad votum non ſtatim ſucceden-

Indicationes.

cedentibus. Novimus enim effectum prosperum in morbis diuturnis, quamvis tardissimè, magnâ cum ægrotantium salute sæpesæpius evenisse. Ad primum itaque scopum, præ reliquis omnibus, Potio præscripta, & singulis ferè septimanis repetita mihi probatur; hæc pituitam largiter ex capite, primisq; viis, citra jacturam virium evacuabit, & subsequentibus pharmacis locum præparabit. II. Satisfaciet Jusculum aliquod alterans & deobstruens, singulis diebus semel vel bis sumptum, absque negotiorum impedimento. III. Intentioni explendæ imprimis serviet Chirurgia. Illa suppeditabit fonticulum unum nuchæ capitis, quod molestum videtur, vel duos, utrique brachio inurendos; ut æqualiter catarrhis repletum caput auxilium sentiat, factâ nimirum catarrhi ejusdem derivatione, revulsione, evacuatione &c. Exiccando cerebri humorem superfluum, multum inserviet Ol. succini inunctum vertici, circa noctem. Per nares, aliàs obstructas, trahetur Sternutatorio aliquo, ex pulv. lilior. convall. major &c. Nodulo item sæpius odorato. Ita fortè procuratâ per nares viâ ordinariâ, Olfactus restaurabitur. IV. impetrare licebit Electuario & Tragea post pastum assumendis. His accedat omnium maximè necessaria Diæta, & rerum non naturalium observatio debita; quâ neglecta, nihil prorsus auxilii, nihil emolumenti à reliquis expectare licet.

XVI.

anno 1640. 3. August.

Descriptio & Usus Acidularum Binckafeldensium.

VIr quidam Honestus, constitutionis utcunque gracilis & hirsutæ, postquam per semestre febre quartanâ laboravit, & à me, suo Medico, restitutus fuit, morbi

reliquias in visceribus latitantes, me insuper suadente usu Acidularum expugnare voluit: commodiores autem Acidulas habere non potuit, quàm illas, quas hîc compendiosè, partim meopte ingenio, partim ex aliorum relatione describere volui. Erat autem is, præterquam quòd laboravit obstructionibus venar. mesaraicar. hepatis, lienis, obnoxius etiam calculo & arenulis. Ætatem agebat annorum circiter 37.

Beschreibung
Des Binckafeldischen Sauerbronnens/ und wie derselbe mit Nutz zu gebrauchen.

Mit was glücklichem Progress, durch die mineralische medicamenten/ viel schwere und sonsten unheilsame Zuständ des Menschen curirt werden/ gibt die tägliche Erfahrung; und bezeugen es insonderheit die jenige/ welche/ durch rechten Gebrauch deroselben/ ihre Gesundheit erhalten/ und von Kranckheiten erlediget worden seyn. Weilen aber nicht einem jeden die Kunst der warhafften Præparation gegeben/ und/ so er sie auch hätte/ ihme dannoch der wahre Gebrauch und administration derselben zu zeiten verborgen ist: als hat die Göttliche Providenz, dem Menschen zu gutem/ die vornehmsten Mineren und Metall/ durch die Natur also purificirt/ und dermassen in ihrer Krafft erhöhet/ daß sie/ ohne alle weitere Præparation, inn- und ausser Leibs sicher gebraucht werden können. Dieses zwar erscheinet klärlich an den Wildbädern und Sauerbronnen/ welche allerhand Metallen und Mineren/ nicht unlauter/ und rohe/ als sie in der Erden zu finden/ sondern dermassen von allem Uberfluß und Irrdischer Untugend gereiniget/ mit sich führen/ daß deroselben vermischte Eigenschafft/ wegen lauterer subtilitet, nicht leichtlich mag gespüret werden/ es seye dann/ daß man durch vorgehende digestion, und hernach folgende künstliche Destillation, die vermischte Theil voneinander absondere/ und alsdann den Geschmack und Geruch urtheilen lasse.

Unter

Unter andern heilsamen/ und von GOtt gesegneten Wassern/ findet man 6 Meil ausserhalb der Neustadt in Oesterreich/ 14 Meil von hier/ gegen Ungarn / nicht weit von Binckafeld (daher es auch den Namen hat) einen Sauerbronnen / dessen Krafft und Würckung (so viel ich glaubwürdig berichtet / dann ich bis dato den Ort niemalen gesehen) ist / allerley Verstopffung der Leber / Miltzes und Krös-adern aufzulösen / und die darinnen lange Zeit verhaltene böse Feuchtigkeiten / und überbliebene Materi / von dem halstarrigen viertägigem Fieber / insonderheit / durch den Stuhlgang/ auszuführen / die Gäng des Urins / als Nieren / Blasen / und darzu gehörige vasa, von Schleim/ Wasser / Stein und Sand/ zu reinigen / alle Glieder des Menschen potentiâ zu stärcken/ und sänfftiglich zu erwärmen : actu zu erfrischen und zu erkühlen. Dieses alles vermag und kan obangeregter Sauerbronn / aus einer durch die Natur Ihme eingepflantzter / und von den Mineren und Metallen entlehender Krafft. Und zwar die vornehmste Würckung gewinnet er/ vermuthlich/ von dem Vitriolo : deßwegen stärcket er die Glieder / verhütet die Fäule / trücknet die übrige Feuchtigkeiten/ und verzehret dieselbe. Nach diesem folget das Eisen/ dessen spiritualische subtilitet hier insonderheit commendirt wird : diese macht dünn / zertheilet / löset auf die Verstopffungen / stärcket den Magen/ etc. Die dritte Minera ist ein gewisse Art eines Saltzes / deßwegen er säubert und treibet den Urin und Stuhlgang/ etc.

Wann nun alle hier erzehlte qualitäten/ untereinander vermischet / und mit der Feuchtigkeit des Wassers in den Leib genommen / ist leichtlich zu glauben / wie mehlich derselbe afficirt und alterirt werden muß : indeme die unreine/ und dem Menschen schädliche Materi / ein Ursach der Kranckheiten / mit den mineralischen und metallischen Geistern so lang zu kämpffen beginnet / bis die Materi letzlichen überwunden / und aus dem Leib getrieben wird. Solches kan/ mit Nutz eines bedürfftigen alsdann zuwegen gebracht werden / wann man den Saurbronn mit folgendem Methodo und Weise zu trincken anfähet und vollendet :

Nachdeme nun der Leib durch purgierende Artzney recht und wol bereitet ist / solle der Patient / in Gottes Namen / anfangen die ersten 3 Täge / von einer halben Wienerischen Oesterreichischen Aechtering. (h. e. ℔ij.) Den 4. 5. 6. Tag ein gantze / und die hernach folgende 12 Täge / 2 gantze Aechtering morgends frue um 7 oder 8 Uhr auszutrincken / also 15 Tag in allem zuverfahren. Den 19. 20. 21. Tag wiederum absteigen / und mit einer Aechtering vorlieb nehmen: den 22. 23. 24. Tag kan er die gantze Cur mit einer halben beschliessen. Es ist aber zu mercken:

Erstlich daß diese Cur (wie alle andere) insonderheit ein Mässigkeit im Essen und Trincken erfordere. Solle sich derohalben der Patient befleissen aller derjenigen Speiß / welche leichtlich zu verdäuen seyn / nicht verstopffen / oder gar zu flüssig machen. Derenthalben von hart-gesottenen Eyern / geselcht Fleisch und Fisch: item von rohem Obst / Salat / Gesämig / ꝛc. sich enthalten. Und weilen der Saurbronnen bey den meisten Personen einen sehr grossen Lust zu essen verursachet / der Magen aber ohne das / durch die actualische Kälte nicht wenig geschwecht wird: als solle der vernünfftige Patient denselben mit überflüssigen Speisen nicht beladen. Das Ordinari Tranck solle seyn ein wolabgelegener und abgezogener Oesterreicher Wein / welcher mit Sauerbronnen nicht zu vermengen / noch auch derselbe Sauerbronnen unter Tischzeit lauter getruncken werden.

Zum andern: damit die angeregte actualische Kälte des Saurbroñen dem Magen nicht gar zu schädlich seye / solle man unter dem Gebrauch desselben allezeit 1 oder 1½ Strützl essen / und etwa auswendig den Magen mit dem verordnetem Sälbl wol warm zuvor schmieren. Hier ist zu mercken / daß man von einer halben Maß 2 oder 3 mal trincken mag / und nicht allzeit ein halbe auf einmal ausleeren.

Drittens: nach getrunckenem Sauerbroñen / solle man sich nicht hefftig bewegen / damit nicht der hernachfolgende Schweiß durch

dem

den Stulgang / zu welchem der Sauerbronnen insonderheit treibet / verhindert werde. Wann aber der Leib solte verstopfft seyn / so muß der Patient von den Pülverl eines / in Rosenzucker vermengt / morgends früe einnehmen / und nichts desto weniger den Saurbronnen darauf trincken. Im fall aber das Purgier Pülverl nicht gnugsam operirte / kan man / ohn allen Schaden / ein Clystir von Sauerbronnen / gemeinem Saltz / Baumöhl und Hönig zugerichtet / etlich mal geben.

Vierdtens: in Bekleidung solle man sich warm halten / damit nicht etwan ein Reissen oder Grimmen verursachet werden möchte; und / so dergleichen Schmertzen verhanden / müste man mit dem Sauerbronnen stillhalten / und an statt dessen eine linde Purgation / oder (welches noch besser) ein Clystir von Hönig / Baumöhl / und Fleischbrü gebrauchen.

Fünfftens: ob schon der Sauerbronnen durch den Stulgang täglich operirte / so ist doch nicht ohne Nutzen / in mitten des Gebrauchs ein Purgier-pülverlein einzunehmen erlaubt: denselben Tag aber solle man den Sauerbronnen nicht trincken.

Sechßtens: es geschihet bisweilen / daß wegen verschleimeten Magens der Sauerbronn die ersten Täge durch erbrechen wiedergeben wird: alsdann solle man es der Natur übergeben / und für das erbrechen nichts / als etwa das Magen-Sälblein gebrauchen: dann dieses erbrechen ist dem Magen nutz / und præservirt vor der Colica und andern Ungelegenheiten.

Zum Siebenden und letzten / wann eines unter den Purgier-Pülverlein überbleiben solten / kan man dasselbe zum Beschluß der gantzen Curation einnehmen / folgends einen Tag rasten / und sich mit Gelegenheit nacher Haus begeben.

Formulæ medicamentorum:

℞. *Infusi purgantis* ℥ij.
extr. diacarth. ℈ij.
extr. ellebor. nigr. ℈ß.
M.F. Potio. sumat hic Viennæ.

 ℞. Pulv.

℞. *Pulv. Jalap.* ℈ij.
cum *conſ. roſar.* F. Bolus.
pro prima adventûs die.

℞. *Pulv. galap.* ʒß.
troch. alhand. gr. iij.
M. dentur tres doſes: ſi alvus
conſtipata fuerit.

℞. *Morſul. Imperator.* ℔ß.
pro confortatione ventricul.

℞. *Ol. cydonior.*
maſtich. an. ʒj.
nucis moſch. ex. ʒj.
empl. de cruſt. panis ℥ß.
M. S. Magen=Sälblein.

XVII.

in Melancholia hypochondriaca.

anno 1643. 25. April.

QUamvis Nobilis & Conſultiſſimus Vir, in cujus gratiam hæc ſcripta ſunt, à ſanitatis limite tantum non receſſerit, ut ob facultates læſas officio ſuo omnino fungi non poſſit, adeoque lecto affixus expectet, dum venit extremus, lege trahente, dies; admodum tamen prudenter & maturè rebus ſuis proſpiciens, opem Medicam poſtulavit, quam ego ipſi ferre conabor, poſtquam conſtitutionem corporis modernam, morbum ipſum, ſymptomata, eorumque cauſas, enarravero.

Eſt autem Dn. Patiens annorum 34. ſtaturâ mediocris; corporis habitu utcunque plenus; temperamento, propriâ opinione, calidus & humidus, multæ peregrinationis, laboris & induſtriæ, lingvarum multarum & Jurisprudentiæ gnarus. Is ab aliquo tempore manè, cùm è lecto ſurgit, nauſeam ſentit ventriculi, & vomendi conatum, cui nonnunquam ipſe ſuccedit vomitus, antea bilis, nunc pituitæ: augetur & irritatur malum ſuperveniente terrore, vel iracundia. Eodem tempore reſoluti in capite catarrhi ad pectus ruunt, per tuſſim expectorandi. Quin & ipſum caput olim dolore vexatum, doloris materiam nunc ad dorſum depoſuit. Præterea citra vehementem

tem motum, humida præsertim tempestate, copiosum, fœtidum, putridumque emittit sudorem, in capite potissimum, pedibus, & sub axillis. Hinc hominum consortia molestè, & non sine totius corporis angustia, ferre potest. Leviter etiam inambulando difficulter respirat, & pectus ipsi comprimitur. A pectore & tergo maculis subrubris defœdatur, quæ cuticulam extimam singulis ferè mensibus deponunt. Defluvium capillorum præter solitum patitur. Post cœnam somno prævenitur. Urina post motum bene colorata, postquam refrixerit, fit turbida: in fundum sedimentum rubrum deponit, mota dein', loturam carnis præ se fert; guttulæ etiam pingvedini similes supernatant. Sangvis ex epatica missus utcunque rubet, aliquantò tamen nigrior, & sero copiosissimo dilutus, qualis etiam conspicitur ille, qui per scarificationem secernitur, nisi quòd nigrore careat. Memoria ipsum singulariter fallit. De cætero appetitus cibi & potus ipsi videtur satis integer.

Hæc sunt potissimum symptomata, sive accidentia, quibus vir Consultissimus non sine maximo sui incommodo & sollicitudine conflictatur; quæ si ad suam substantiam, ipsum dico morbum, quò debent, transferantur, sub uno inter tria illa vulgata morborum genera, Intemperiem scil. vitium structuræ, & unionis solutionem, comprehendi non possunt, sed necesse est, ut tria hæc conjuncta dictorum symptomatum substantiam constituant: de quo ulteriùs non disputo, cùm ad curationem parū faciat. Sufficiat, omnia symptomata, eorumq; causas, tanquam ad unum fontem, malum scil. illud, litteratis præsertim familiare, *Melancholiam hypochondriacam* dictum, referre posse; in quo, propter viscerum concoctioni dicatorum intemperiem, structuræ vitium, unionisque solutionem, similia emergunt symptomat, litteratis, ut dictum, maximè familiaria, propter exercitii defectum & magnam spirituum consumptionem, qui functionum primarii sunt effectores; unde cerebri

cerebri humiditas naturalis adeò exhauritur, ut glutinosa illa & sulphurea capillorum materia deficiat, ipsique capilli jam geniti nutrimento suo destituti decidant. Ascititia verò capitis humiditas, ex ipsius imbecillitate humori noxio, ad resistendum minùs apto, tanta est, ut in capite neque absumi omnimodo, neque contineri possit, adeoque vel per sudorem capiti consvetum evacuetur, vel ibidem resoluta in subjectas partes decidat, in pectore tussim, in dorso dolorem tensivum inferendo. Quod reliquum est, & ab ipsa cerebri substantia imbibitur, & ejusdem involucris nerveis exquisitè sentientibus, meningibus dictis, communicatur: hinc dolor, memoriæque, nobilissimæ cerebri functionis & maximè quidem necessariæ, insignis læsio. Patet itaque, qua ratione, quóve respectu cerebrum possit dici & siccum & humidum.

Dn. Senner. *l. 5. pract. part. 3 s. 2. cap. 1.*

Forest. *l. 8. obs. 6. in scholiis.*

Horstius, *de san. tuend. stud. l. 2.*

Minimè verò Nobilis Dominus Patiens sibi *velim persuadeat*, humorem illum excrementitium in cerebro generari: siquidem in partibus inferioribus fovetur, atque ab ipsis elevatur. Nam etsi appetitus cibi & potus videatur satis integer; credibile tamen est, ipsum ventriculum plus appetere, quàm pro ratione constitutionis propriæ possit concoquere: idque ideo, quia ab humoribus acribus, serosisque ad appetendum instigatur. Assumptus itaque cibus, & in chylum versus, per intestina, ventriculo proximè annexa, ad mesenterii venas propellitur, ibidemque aliquod sangvinis rudimentum induit. Quòd si verò crudior chylus ex imbecilli stomacho venas illas transire opus habuerit, non potest non eas humore lento infarcire atque obstruere: unde tot incommoditates, quot enarrata symptomata.

Famelicum autem hepar & lien non sine aliqua cruditate superstite sanguinis illud rudimentum attrahit, quod dein' à visceribus hisce ascititiâ suâ temperie calidioribus vix, ac ne vix quidem corrigitur: unde corpori nutrimentum conveniens

nicos nullo modo subministratur. Propterea, quod serosi sangvinis superfluum generatur, atque hepatis & lienis vitio in totius nutritionem converti non potest, facultatis expultricis beneficio ad cutim, partem ignobiliorem, detruditur, maculasque minùs elaborato sangvini similes cuti imprimit, quas Germani die Leberflecken vocant, hepatis calidioris indubitatum signum.

Illam quidem hepatis intemperiem non sine ratione sequitur renum constitutio similis, quæ crudiorem quoque massam, sero dilutam, suscipere cogitur, atq; ex illa arenularum materiam generat, quam in lapillos etiam vis illa λιθοποιητικὴ formaret, nisi ab humorum biliosâ & serosâ acredine irritata natura, ope facultatis expultricis, cum urina maturè, & dum adhuc rubet, excerneret: hinc urina, post motum reddita, ipsi Patienti quidem videtur bene colorata, quamvis ex bile magis, quàm admixtis spiritibus tincta pelluceat. Cùm verò aër ambiens frigidus partes heterogeneas separat, mixti fit destructio, & urina turbatur, quod humoris morbifici aliquam fieri à natura coctionem arguit, sed imperfectam. In fundo autem manifestè arenularum materia deprehenditur, quæ mota, totam massam rubore suo tingit, ut loturæ carnis imaginem induat. Guttulæ verò pingves supernatantes nihil minùs, quàm substantiæ colliquationem indicant, qualem in hectica videmus. Est enim colore & crassamento similis tantùm, non revera talis urina: qualem Galenus fatetur sæpesæpius se vidisse, nullo ægri detrimento, redditam. Quòd si verò justo diutius materia illa, calculo proxima, in renibus detinetur, illos distendendo & vellicando, dolorem infert, qui dorso etiam, & ventriculo imprimis, mediantibus vinculis, nervis & tendinibus, quibus ipsi cohærent, communicatur; ventriculus dein' lacessitus, quod molestum est, per vomitum, aliquando irritum, propter ipsius materiæ defectum, conatur ejicere. Idque

Contra Joan. Bapt. Montanum apud D. Sennert. *Inst. l. 3. p. 1. s. 3 cap. 4.* Idem, *loc. cit.*

lib. 3. Epid. comment. 3. text. 27.

Hipp. aph. 2. l. 1. nonnunquam magno suo commodo, pituitam hac occasione & bilem etiam tunicis ipsius infarctam rejiciendo: manè potissimum, ubi concoctio secunda opus suum jamiam præter gressa est, cumque urina serum, sangvinis excrementum, ad renes copiosius transmisit. Quin etiam ira, & reliqui affectus animi, vomitum concitare possunt, non quòd, ex vulgi opinione, bilis commota ad ventriculum detrudatur, sed quòd, corde calfacto, arteriæ, & in ipsis contentus sangvis, calefiat; quarum calefactio lieni, plurimis arteriis referto, communicata, humorum serosorum & melancholici sanguinis fermentationem augeat, atque ita ventriculus vicinus irritetur. Hinc videmus, iratis, subitoque terrefactis, risuque commotis sinistrum latus dolere. Sennert. l. 3. pract. part. 3. cap. 2.

Præter dicta, hepatis & lienis adversam dispositionem, eamque in activis calidam, arguit sanguis ex vena epatica, vel etiam scarificatione missus, utcunque ruber, sero tamen plurimo dilutus; quod, juxta Vallesium, melancholicis, proprium est. Hinc fit, ut melancholici sint salivatores, & multum sudent. Neq; enim serum illud copiosum, sanguini permixtum, quod in corporis ambitum dispergitur coerceri potest, sed per occulta cutis spiracula erumpere cogitur. Ille autem & Patienti, & astantibus, ex sudore molestus foetor sangvinis impuritati ascribendus est, cacochymiæ index, & febrium prodromus. Erumpit autẽ sub axillis potissimùm, propter glandulas ibidem sitas, humori excrementitio aliâs à natura destinatas: à capite, propter humorẽ illius ascititium; à pedibus, quia illi à fonte caloris multum dissiti & exangues, humorum copiam (etiam ratione situs declivis) non possunt eludere. Hinc hydropicorum pedes priùs, quàm venter ipse, turgent. Optandum certè esset, ut tota massa sangvinea per sudorem humores suos excrementitios, serosos præsertim, plurimorum morborum auctores, deponeret: ita D. Patiens liberiùs respiraret, & circa præcor-

Idem Instit. l. 2. part. 3. sect. 2. c. 8.

præcordia nihil sentiret angustiæ. Certum enim est, non pulmonum vitio, sed quòd diaphragma, sive septum transversum, Germ. das Zwerchfell / princeps & primarium liberæ respirationis instrumentum, serosis humoribus & flatibus repletum, liberè attolli & deprimi non potest, respirationem difficilem fieri, post corporis præsertim motionem aliquam: quia tunc, commotis nimirum humoribus, flatûs exurgunt maximè. Addе, quòd subjectæ partes, similibus humoribus turgidæ, diaphragma distendant, atque cor, & os ventriculi superius, quod magnam cum corde & cerebro sympathiam habet, comprimant: hinc totius angustia, & circa sternum molesta sensatio, ubi ventriculi os superius latet. Eandem ob causam assumptum cibum ventriculus non bene amplectitur, neque ipse, ut par est, clauditur, adeoque vapores crudiores, & nec dum concocti cibi caput petunt, & somnum præmaturum inferunt; post cœnam maximè: tunc enim imminet somni tempus. Huc pertinent ea, quæ de cordis & cerebri cum ore ventriculi superiori consensu pulchrè scribit Andreas Laurentius. Hujus, *inquit*, putà orificii, mira est cum corde & cerebro sympathia: cum corde, ob viciniam: extremum enim cordis mucronem tangere videtur, aut saltem ab eo non longè distare: cum cerebro, ob communionem, quam faciunt nervi insignes stomachici: unde fit, ut, eo affecto, melancholica contingant symptomata; &, quoties in alimenti penuria suctum sentit, non tantùm esurit ipse, sed & cerebrum fibratis nervis lacessit. *Hæc ille.*

Andr. Laurent. *in anatom. l. 9. c. 4.*

Gual. Bruele, *in prax. Medica de stomach. dolore f. 241.*

in Anatom. l. 6. cap. 18.

Demonstratis itaque eorum symptomatum causis, quæ scripto mihi communicata sunt (plura enim malum hoc aliâs secum trahit, ut distensionem hypochondricorum, flatûs & ructôs acidos, cordis palpitationem, vertiginem &c.) restat, ut, quid salutis, rebus sic stantibus, Domino Patienti expectandum sit, prædicamus.

Melancholia quidem hypochondriaca per se lethale malum non est. Novimus enim quamplurimos, qui similiter affecti, & Medicorum legibus sanis obtemperantes, vitam longam duxerunt. Ingravescit autem, temporis tractu, ob sinistram diætæ observationem, & medicamentorum usum neglectum. Id quod ex incremento symptomatum palàm fit. Propterea ad obtemperandum Nobilem & Consultissimum Dominum Patientem singulariter adhortamur, & ipsum de recuperanda sanitate, si non omni, quod humoris pertinacia aliquando prohibet, magna tamen ex parte, bene sperare jubemus. Indicationes verò, & ipsa curatio, cum ratione videtur consistere I. in præparatione & evacuatione humoris, visceribus concoctioni destinatis infarcti, obstructionibusque tollendis. II. Præservatione opus est, ne morbifica causâ jamjam ablatâ, nova renascatur. III. in hunc finem partes nobiliores, earumque functiones corroborandæ veniunt, ut coctiones fiant salubriores, totique corpori alimentum conveniens suppeditetur.

Primum comparabitur Syrupo aliquo sæpius repetito, humores noxios ad evacuandum præparante, obstructiones viscerum solvente, & parum evacuante. Dixi, sæpius repetito; nam, quemadmodum causa morbifica unicâ vice collecta non est, ita simul evacuari nec potest, nec debet. Hunc dein, plenioris evacuationis gratia, sequatur electivè purgans, & sanguinis etiam, hoc vere præsertim, consvetudini indulgendo, per venam emissio. Postquàm verò natura suo onere utcunq; levata est, & humorum colluvies per vices exterminata, juvabit, Hippocrasis præcepto insistere, &, quò natura vergit, ducere. Ea autem, ut ex prædictis patet, sponte sua, per ambitum corporis, humorum excrementitiorum partem aliquam conatur ejicere: quod maculæ cuti impressæ, & sudor spontaneus indicant. Consultissimum igitur mihi videretur, naturam

aph. 21. l. 1.

naturam in expellendo juvare, totiusque massæ sangvineæ depurationem per sudoris procurationem aliquot vicibus tentare, idque præmisso semper diaphoretico, & interposità nonnunquam leni purgatione. Quæ omnia citra ventriculi, hepatis & lienis offensionem, quorum viscerum respectus maximus hîc haberi debet, commodiùs succederent, si curatio integra usu acidularum Egrensium posset concludi, vel, si hæ ad manûs non essent, suppleret earum vices jusculum aliquod alterans ex herbis recentibus, cum capone coctum, & per septimanas duas manè ad ℔j. epotum, sine negotiorum peragendorum detrimento.

Secunda indicatio, quæ recrudescens malum præcavet, consistit in Diætæ observatione, quâ sine cætera omnia sunt irrita. Sub Diætæ autem vocabulo Medici non cibum & potum solummodò intelligunt, sed & reliquas res non-naturales, sic dictas, quia naturam corporis nostri non constituunt: ut sunt aër, cibus & potus, somnus & vigiliæ, repletio & evacuatio, motus & quies, animi affectus. Hæc omnia Dominus Patiens, pro sua prudentia, ita moderabitur, ut ampliori admonitione non videatur indigere: vel, si opus habeat aliqua instructione, poterit ea ex Auctore aliquo impresso mutuari, vel à me seorsim tractari. Præter non-naturalium rerum observationem singulis annis bis, vere & autumno, præmissa purgatione sangvinem ex vena mittere conveniet, & singulis mensibus, excepta æstate summâ, & hyeme frigidissimâ, sudorem, vel in lecto, manè, vel in Laconico, vesperi, movere, idq; præservationis gratia.

Vide Gregor. Horstii l. 1. de san. tuend. Sex. dios. & litteratorū.
Hipp. l. 6. aphor. 47.

Tertium absolvetur Diætæ accurata observatione & medicamentis infra scriptis: quibus Deus Opt. Max. gratiam suam, sine qua irriti sunt nostri conatûs, clementissimè addere dignetur.

FINIS HERCULIS cum CONSILIIS.

INDEX

INDEX

Rerum, Morborum & Remediorum, in Opere toto contentorum.

A.

Aliment:

Aurib.

F.

F.

Hippo-

J.

Lienis

M.

Nutrix

ſucci-

campho-

Q.

R.

exter-

V. U.

Verrucæ:

Wärtzen

F I N I S.



Errata Typographica quivis Literatus facilè advertet, ac, si libuerit, Ipsemet corrigere poterit.

